U d'/of OTTAWA
39003001732808

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/pt11commentarius01knab

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

XI

DUO LIBRI MACHABAEORUM

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

NOV 27 1972

COMMENTARIUS

2073 cu

IN DUOS LIBROS

MACHABAEORUM

AUCTORE

JOSEPHO KNABENBAUER S. I.

M
1A
6a

Cum approbatione Superiorum





PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10
1907

Omnia iura vindicabuntur





PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est *Commentarius in duos libros Machabaeorum* a Iosepho Knabenbauer, Sacerdote Societatis Iesu, compositum, aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaeten, die 7 septembris 1905.

P. C. SCHAEFFER, S. I.
Prov. Germ. praepositus.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 25 septembris 1906.

† Franciscus, Card. RICHARD,
Arch. Parisiensis.

PROLEGOMENA

1. *De nomine.*

Μακκαβαῖος. Machabaeus cognomen est Iudae, tertii filii Mathathiae, 2,4 : Ἰούδας ὁ καλούμενος Μακκαβαῖος, et 2,66 : Ἰούδας M, atque in secundo libro Iudas plerumque solo nomine Machabaeus appellatur. Communiter nomen derivant ab aramaico מַקְבָּא (hebr. מקבת malleus, Iud. 4,21; 1 Reg. 6,7. Is. 44,12. Ier. 10,4), ita ut מקבי induat notionem malleator, et fortitudo Iudae in conterendis hostibus designetur; hanc ei laudem tribuit pater moribundus : Iudas Machabaeus fortis viribus a iuventute sua, sit vobis princeps militiae (2,66). Ut cognomen simile in medium profertur Carolus Martellus. De fortitudine nomen etiam explicat Iosephus Gorionides, cum Mathathiam faciat loquentem ad Iudam : mi fili qui vocaris מכבי propter fortitudinem tuam (גבורתך, III, 9; cf. *Keil,* Commentar über die B. der Makkab. p. 12). Sed patet hisce solum referri verba Mathathiae 2,66; nam ex ipsa scriptione כ illa notio non eruitur. Eadem scriptio reperitur in Gemara; ei congruit Machabaeus, et formam Μακκαβαῖος praebet *Niese* in editione Iosephi Antiquitatum 12,6,1. Ex ea forma aliam nominis explicationem iam proposuit *Calmet,* scil. מְכַבִּי exstinctor, quam *Curtiss* (The name Machabee, 1876; cf. *Kautzsch,* Apokryphen I p. 24) quoque adoptavit. Nihilominus prior acceptio cui forma usitata quoque Μακκαβαῖος congruit erit praeferenda. Ceterum ex verbis Mathathiae 2,66 elucet cognomen Iudae non esse impositum ex rebus postea gestis quae in libro narrantur. Unde etiam admitti nequit sententia nomen ortum esse ex primis litteris verborum מי כמוך באלים יהוה (Ex. 15,11 quis similis tui in fortibus, Domine?) quae primae litterae מ כ ב י vexillis Iudae bella gerentis fuissent inscriptae. Nuper explicavit *André* (Les Apocryphes, 1903 p. 64) ex nᵉqab participio Aphel : celui qui a été fait chef.

Nomen postea transiit ad omnes filios et posteros Mathathiae qui contra reges Syriae pro religione et moribus paternis dimicabant: eodem nomine designari solent qui crudeliter torti fidem suam sanguine ac morte testati sunt, de quibus 2 Mach. 6,18-7,42 refertur. Iam veteres Patres loquuntur de matre Machabaeorum, de fratribus Machabaeis, de Machabaea matre, praedicantes praeconia illorum

rat, in ius vocatus a rege eo absente corrupit Andronicum, cui vasa pretiosa e templo rapta donavit et cui persuasit, ut Oniam de sacrilegio conquestum occidendum curaret. Simulac rex reversus est, tres viri e senioribus missi Menelaum accusarunt sacrilegiorum quae ipse commisisset et Lysimachum perpetrare iussisset. Verum Menelaus multis pecuniis corrupit Ptolemaeum cuius suasu Antiochus rex non reum, sed accusatores morte damnavit. Dum Antiochus rex in Aegypto bellum gereret, rumore de eius morte in Iudaea sparso Iason cum mille viris aggressus urbem Menelaum in arcem fugere coegit et in cives saevitiam exercuit. Sed rege appropinquante aufugit; rex autem Iasonis facinus reputans seditionem ac rebellionem Iudaeorum in se et Menelaum, pontificem a se constitutum, crudeliter saeviebat in incolas urbis et Menelao duce sacra templi vasa rapiebat.

Ita factum est, ut ipsi impii proceres populi viam aperirent Antiocho regi, qua mores graecos et idololatriam in Iudaeam inveheret. Quomodo id tentatum sit et qua fortitudine, quibus vicissitudinibus et religio paterna defensa sit et roborata et regimen Syrorum repressum et dominatio Hasmonaeorum condita et stabilita, haec exponuntur libro priore.

Omnes consentiunt librum priorem maximi esse aestimandum atque eo nobis exhiberi narrationem sinceram, fide dignam, et quae ipso dicendi genere simplici, ab omni fuco alieno instructa fidem faciat atque legentibus probetur. Incipit narratio a conaminibus Antiochi regis invehendi mores graecos, abolendi et exstinguendi ritus religionemque Iudaeorum. Hisce conatibus sese opponit una familia sacerdotalis Hasmonaeorum; pii Dei cultores colliguntur, animantur ad pugnandum pro aris et focis et ducibus Machabaeis restituitur religio, coguntur reges Syriae ad concedendam veniam vivendi secundum ritus moresque paternos, excutitur demum iugum alienum et stabilitur dynastia Hasmonaeorum.

Quale consilium secutus sit sacer auctor, facile deprehenditur. Viam scil. delineat, qua ex variis multisque calamitatibus et internis et externis tandem perventum sit ad erigendam in Iudaea dynastiam Hasmonaeorum. Hac stabilita et Ioanne Hyrcano regimen adepto librum absolvit.

Huic consilio plane congruit modus quo merita et virtutes Hasmonaeorum describit et commendat. In summo religionis periculo exsurgit Mathathias zelatus legem sicut Phinees (2,26) et collecto exercitu viam aperuit reprimendi apostatas et alienigenas et restituendi religionem; iamiam moriturus filiis quid pro futuro praestandum esset egregia exhortatione exposuit (2,50 sq.). Patris monita et exemplum

praeclare imitatus est Iudas, cuius pugnas, victorias, pietatem sacer auctor sedulo commemorat : vincit Apollonium, Seronem, et auxilio divino implorato et exercitu melius disposito praeclaram de Lysiae copiis victoriam reportat et templum profanatum sacrumque cultum instaurat; pariter castigat gentes vicinas inimicas, ex quarum medio pios Iudaeos in urbem et Iudaeam reducit; pari fortitudine pugnat contra exercitum alterum a Lysia missum et contra copias Nicanoris; quarum victoriarum fructus et sui populi ab oppressione securitatem ut stabili ratione tueretur, foedus expetiit cum Romanis; et cum mox ipse in proelio contra Bacchidem occidisset, fratres eius, qui ei eousque opem tulerant eiusque socii pugnarum fuerant (3,25. 42; 4,36; 5, 10. 65; 7,6. 27) fortiter res deiectas erigere studuerant.

Pro Iuda Ionathas frater eius principatum suscepit (9,31) amicis Iudae flagitantibus. Ipse vicit Bacchidem; reges Syrorum aemuli (Alexander et Demetrius I Soter; Demetrius II, Trypho) subsidium expetebant ab eo, qui ab eorum disceptationibus sua capiebat emolumenta : urbem Ierusalem occupavit, pontificatum obtinuit, a rege declaratus est στρατηγὸς καὶ μεριδάρχης (10,65). Eo per malitiam Tryphonis occiso Simon praeclaro monumento patris fratrumque erecto memoriam eorum et merita ab oblivione vindicavit et in dignitate pontificis et principis successor fratris effectus est. Immo ei contigit, ut immunitate a tributo impetrata iugum gentium ab Israel auferretur et scriberetur in tabulis et gestis publicis : anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce et principe Iudaeorum (13,42; anno 142 ante Ch.). Ita dynastia Hasmonaeorum rite erat constituta; merita eorum ac dignitas principis ac pontificis decreto publico sunt proclamata. Simone occiso Ioannes filius eius in eadem dignitate successit. Exponitur itaque in libro, quomodo fortitudine Hasmonaeorum, Mathathiae patris et filiorum Iudae, Ionathae, Simonis et religio sit vindicata et restituta et respublica Iudaeorum demum a iugo gentium exempta et principi eidemque pontifici administranda tradita sit communi populi decreto.

Primo itaque certatum est, ut religio et ritus sacri et observatio legis in tuto collocarentur. Pace cum Lysia conclusa Iudaeis concessum est, ut ambularent in legitimis suis sicut prius (6,59). Hoc obtento id agebatur ut hanc libertatem et rempublicam defenderent contra ipsos impios ex Israel, qui ope regum Syriae pios opprimere et Hasmonaeos expellere studebant; ita contra Alcimum qui volebat fieri sacerdos (7,5 sq.) et qui bellum Iudaeis suscitavit (7,26; 9,43 sq. 2 Mach. 14,3 — et antea contra Menelaum qui pariter in perniciem Israel conspirabat 2 Mach. 13,3), contra iniquos (1 Mach. 9,58). Demum in id vires omnes

intendebantur, ut iugum gentium excuteretur et plena libertas reipublicae concederetur. Ita tribus quasi gradibus ascensum est ad erigendum regimen Hasmonaeorum. Primum illud, restitutionem religionis cultusque potissimum effecit Iudas; impios ex Israel cum eorum auxiliis alienigenarum reprimere partes erant Ionathae; ad libertatem rempublicam perduxit Simon qui dignitatem principis et sacerdotis iure hereditario ad posteros transmisit (14,41).

Sacer auctor, uti fortitudinem Machabaeorum narratione sua effert, ita pariter ostendit zelum legis, firmam in Deo fiduciam, pietatem. Id iam in ipso patre, in *Mathathia* elucet (2,19 sq.); idem moriturus commendat filiis (2,50 sq.). Praeclaram in Deum fidem pandit *Iudas* 3,18 sq. simulque animos virorum timidos firma in Deum fiducia erigit et confortat; iterum sese animant ad fortiter pro sanctis suis pugnandum orationibus et ieiunio sacris ritibus totam victoriae spem in Deo reponentes (3,44-53) et Iudas magna animi aequitate exitum rei Deo committit : sicut fuerit voluntas in coelo, sic fiet (3,60). Similiter omnem ab animis timorem expellit Iudas provocans ad prisca exempla divinae protectionis, adhortans ad orationem, monens Deum opem laturum quippe qui foederis initi tenax sit suamque gloriam gentibus notam faciat (4,8-11). Parta autem victoria canticis laudis Deo gratiarum actionem persolvunt (4,24). Conspecto exercitu forti Lysiae Deum laudant qui olim per servos suos impetum hostilem contriverit; ut similia patret orant (4,30-33). Et victoria reportata nihil antiquius habent Iudas et fratres eius quam ut dicant : ascendamus nunc mundare sancta et renovare (4,36). Clamantes in oratione ineunt proelium (5,33); pro felici successu offerunt holocausta (5,54); sacro zelo instrumenta idololatriae destruuntur (2,25; 5,68). Oratione et recordatione cladis exercitui Sennacherib divinitus inflictae Iudas ante pugnam cum Nicanore victoriam efflagitat (7,41). Eodem modo Iuda in proelio occiso *Ionathas* suos exhortatur ante pugnam : nunc ergo clamate in coelum, ut liberemini de manu inimicorum (9,46) et in periculo constitutus oravit (11,71); in calamitatibus et periculis profitetur se habere solatio sanctos libros (12,9) et grato animo coram alienigenis palam fatetur se auxilium habuisse de coelo (12,15). Eundem spiritum theocraticum *Simon* quoque manifestat; alloquens populum commemorat quanta ipse et fratres fecerint pro legibus et sanctis; profitetur se minime parcere vitae, se velle vindicare populum et sancta (13,3. 6); instrumenta idololatriae pariter destruxit et prosperum rei successum cum hymnis benedicens Dominum celebravit (13,47. 51; 14,7); inter eius praeconia refertur : legem exquisivit; sancta glorificavit et multiplicavit vasa sanctorum, et abstulit omnem iniquum et malum (14,

14. 15). Cum senex factus filios mitteret ad pugnam, iis adprecatur: auxilium de coelo vobiscum sit (16,3). Spem messianam eo tempore viguisse quoque ostenditur in ultimo alloquio Mathathiae, qui profitetur Davidem consecutum esse sedem regni in saecula (2,57); eadem spes indicatur, quia exspectatur propheta fidelis qui de re dubia respondeat (4,46) et de constitutione reipublicae sententiam ferat (14,41). Ipse Messias mox venturus non exspectatur; verum post duo circiter saecula, tempore Christi exspectatio Messiae adeo est vivida. Unde hoc? nonne vaticinium Danielis cap. 9 de tempore Messiae illam explicat exspectationem? Quod iam Dan. 4,23 cernitur, frequenter nostro libro reperitur, scil. nomine Dei vitato poni coelum v. g. 3,50. 60; 4,10. 40; 9,46; 12,15, qui usus in evangelio quoque Matthaei, in regno coelorum, deprehenditur. Originem ducit ex quadam ipsius nominis Dei reverentia.

Aliqui recentiores illa quae 14,15-16,24 narrantur postea libro ab aliquo per modum appendicis esse adiecta statuunt (ita *Destinon*, qui librum 13,54 absolvi vult, *Kautzsch* p. 29, *Wellhausen*, Israel Geschichte p. 257). Duae rationes afferuntur; scil. Iosephum illam partem non cognoscere, et 14,27 seq. alio ordine temporis res a Simone gestas referri atque in narratione antecedente. Iosephus enim narrat (contra 15,27) a rege accepta esse quae Simon misisset et uxorem Simonis et duos filios a Ptolemaeo esse in vincula coniectos (Antiq. 13,7,2. 4 et 13,8,1); secundum auctorem nostrum rex noluit accipere quae Simon miserat, sed alienavit se ab ipso et simul cum Simone eius duo filii trucidati sunt; de uxore Simonis nulla fit mentio. Alia autem, uti de Tryphone, de Dora arce, de Cendebaeo etiam apud Iosephum leguntur. Ceterum Iosephum quandoque rem aliter referre notum est; ita victoriam Iudae (7,32) convertit in eius cladem eumque in arcem hierosolymitanam (a Syris occupatam!) fugisse scribit (Antiq. 12,10,4) et a Mathathia Bacchidem esse occisum narrat (Bell. iud. 1,1,3), sed Antiq. 12,6,2 eundem vocat Apellem. Quare mihi non probatum videtur, Iosephum illam libri partem ignorasse. Et si ignorasset, num statim sequeretur, illam esse postea adiectam? Quando? post Iosephum? Porro modus et genus dicendi plane idem est atque in antecedentibus. Neque obstat ordo rerum gestarum in quibusdam alius ab ordine temporis. Nam in illo documento in v. 29 sermo fit de Machabaeis eorumque meritis generatim; dein v. 30 de Ionatha, dein v. 31 describitur conditio rerum, qua Simon dux est electus; dein merita Simonis in administratione v. 32, in munitionibus urbium v. 33. 34; dein qualiter a populo honoratus sit v. 35 etc. Et profecto in tali encomio minime opus est ut singula ordine chro-

nologico recenseantur; potius consultum est, ut similia inter se iungantur, ut ipso rerum progressu et augmento laus evadat et appareat celebrior.

Nulla itaque ratione efficitur, ut « appendix » separetur a libro et alii auctori attribuatur. Quare merito ex 16,24 etiam coniectura fit de tempore quo auctor libri scripserit. Qua de re vide infra.

In libro referuntur sat multae et accuratae designationes temporis secundum annos, menses, saepius etiam secundum dies (cf. 1,57. 62; 9,3. 54; 10,21; 13,51). Iam ex hisce recte concluditur auctori praesto fuisse documenta scripta; nam orali traditione tam distincta notitia temporis non servatur. Eiusmodi scripta etiam indicari videntur 9,22: et cetera verba bellorum Iudae et virtutum quas fecit et magnitudinis eius non sunt descripta; multa enim erant valde; quae verba a multis ita intelliguntur, ut auctor dicat ea non esse descripta in iis fontibus quibus ipse usus sit. Quae acceptio eo quoque commendatur, quia ipsis verbis allusio habetur ad locos librorum regum : reliqua autem, nonne haec scripta sunt in libro verborum dierum regum Iuda. Ei praesto fuisse alia documenta ipsis litteris quas recitat ostenditur. Verum quae hausit ex fontibus, auctor plane suis verbis suoque dicendi genere expressit; nam per integrum librum eodem tenore eademque forma texitur narratio. Certa documenta de aliquibus eventibus, proeliis exstitisse, ex ipsa accurata narratione quae quandoque cernitur merito infertur; at annales quales ait de Ioanne scriptos esse (16,23) non esse confectos de Iuda, Ionatha, Simone, ipsis illis verbis 16,23. 24 satis enuntiatur. Etiam facile patet ab eo narrationem grata quadam varietate distingui, dum praeter corticem rerum etiam sensus animorumque affectiones ducum describat aptisque alloquiis militum fortitudinem exhortantes ac stimulantes illos exhibeat.

Ad eandem varietatem spectat quod auctor aliquibus in locis carmina quaedam vel partes quasdam carminum narrationi inserit; ita 1,26-29 quattuor distichis calamitas deploratur; 1,38-42 item septem distichis; 2,8-12 quinque distichis; 3,3-9 quinque tristichis et duobus distichis celebratur encomium Iudae; 3,45 duobus distichis inserto tristicho describitur desolatio Ierusalem; 14,6-15 laudes enarrantur Simonis octo distichis, quibus tria inseruntur tristicha; praeterea 2,44 et 9,41 legitur distichon. Talia non ipse auctor composuit; nimium enim ab eius genere dicendi simplici distant, sed ea deprompsit ex carminibus vel threnis popularibus. Eiusmodi fortasse scripta quoque circumferebantur vel descriptionibus singularum rerum adiecta erant. Uti itaque verba psalmi usurpat ad eventum illustrandum (7,17. Ps. 78,1. 3), ita canticis et proverbiis popularibus usus

est, nobisque ea conservavit. Ex quibus simul discimus illud genus poeticum viguisse quoque tempore Machabaeorum, quod commendavit Siracides: laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua (Eccli. 44,1).

Proponuntur nobis in hac narratione prima quasi lineamenta pharisaeorum in Assidaeis (cf. 2,42; 7,13). Eos laudat auctor; nominantur ἰσχυροὶ δυνάμει ἀπὸ Ἰσραήλ, πᾶς ὁ ἐκουσιαζόμενος τῷ νόμῳ, commendantur a fortitudine, et omnes praedicantur studiosissimi zelatores legis. Elucet itaque iam ante tempus Machabaeorum exstitisse consociationem quandam piorum, συναγωγήν, qui proprio nomine ab aliis distinguebantur, ideoque sectam quandam constituebant. In psalmis pii Dei cultores vocantur חסידים (12,2; 16,10; 31,24; 32,6; 37,28; 79,2 etc.). Sed isti Assidaei, isti pii, primi erant ex filiis Israel qui ab Alcimo et Bacchide, legatis regis Syriae, exquirebant pacem (7,13) spem ponentes in Alcimo, utpote sacerdote. Et quidem ita egerunt, quamvis Iudas et fratres eius aperte profiterentur non esse fidendum legatis regis quippe qui venissent cum exercitu magno. Reliquerunt itaque partes Iudae et sese subiecerunt legatis a rege missis. Verum id male cessit; sexaginta ex eis occisi sunt, et Alcimus, sacerdos impius, fecit plagam magnam in Israel, dux erat et antesignanus apostatarum. Auctor unum effert, cur confisi sint Alcimo: homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. Alii, uti Geiger (Urschrift und Uebersetzungen der Bibel, p. 215), putant eos libertate religionis concessa iam incepisse diffidere Machabaeis quippe qui imperium affectarent. Id ex verbis auctoris non colligitur; proponitur solum eorum indoles simplex qua sacerdoti impio haud diffidunt.

Aliud indicium triste nobis exhibetur eo quod dignitas summi sacerdotis a rege Syriae et expetitur et confertur. In altero libro Iason eam emit ab Antiocho talentis 440; Iasonem maiore pretio oblato Menelaus a dignitate deturbat (2 M. 4,8. 24); in priore Alcimus a rege destinatur sacerdos (7,9) et Alexander Balas scribit Ionathae: et nunc constituimus te hodie summum sacerdotem (10,20) et sequenti festo scenopegiae induit se Ionathas stola sancta (10,21); Alexandro autem victo et occiso Demetrius rex statuit Ionathae principatum sacerdotii (11,27); pariter Antiochus adolescens ei statuit sacerdotium (11,57) etiam Simoni Demetrius rex statuit summum sacerdotium (14,38). Honores quoque, munus administrationis, titulus amici regis, insignia dominationis Machabaeis a regibus conferuntur (cf. 10,65.89; 11,27; 11,57.58). Indoles tamen theocratica reipublicae servatur; idem scil. est summus sacerdos et dux et princeps gentis Iudaeorum (14,41.47).

In administratione reipublicae et in rebus decernendis quaedam

decursu temporis advertitur mutatio. Et primo quidem dux est et princeps, qui sacrum pro religione bellum gerere incepit, Mathathias, qui moriturus Iudam statuit principem militiae (2,66). Eo defuncto amici Iudae, i. e. qui eousque pro religione et libertate pugnarant, elegerunt Ionathan in principem et ducem ad bellandum (9,30). Cum vero is a Tryphone captivus teneretur, Simon convocato populo promisit se vindicaturum gentem et sancta; et ei acclamarunt: tu esto dux noster (13,1-9). Praeter summum sacerdotem partem quoque habent in rebus administrandis seniores, qui iam in concilio collecti sunt, scil. γερουσία senatus (cf. 12,6; 2 M. 4,44; 11,27); cum eis nominantur sacerdotes (cf. 11,23; 12,6) quos adhibet Ionathas in deliberatione 12,35; hi nominantur in inscriptionibus litterarum 13,36; 14,20; 14,28. Qui fuerint senatores seu membra τῆς γερουσίας, quaeri potest. Sacerdotes quidem et γερουσία separatim efferuntur (12,6); neque tamen inde sequitur sacerdotes non fuisse in numero senatorum, sed solum concludi debet (quod per se clarum est) praeter sacerdotes senatores multos fuisse sacerdotes qui non pertinuerint ad γερουσίαν. In eo collegio erant nobiles et certe etiam scribae quidam seu legis doctores; nam de synagoga scribarum mentio fit 7,12, qui ab Assidaeis distinguuntur. Uti 2 M. 4,44 legitur, a senatu mittuntur tres viri, qui apud regem causam agant contra Menelaum. Apud Iosephum (Antiq. 12,3, 3) iam sub Antiocho Magno γερουσίας mentio fit.

3. *De chronologia.*

Modus res gestas enarrandi apud nostrum auctorem magnopere eo quoque commendatur, quod accurata quaedam designatio temporis saepius adiicitur. Quae ita habentur, brevi conspectu exhibentur:

1,11 anno 137 regnavit Antiochus Epiphanes,
1,21 anno 143 ascendit ex Aegypto ad Israel;
1,30 post duos annos misit principem tributorum;
1,57 anno 145, die 15 casleu erigitur abominandum idolum;
1,62 anno » die 25 » sacrificium pollutum offertur;
2,70 anno 146 mortuus est Mathathias; Iudas surrexit dux belli.
3,37 anno 147 suscipit rex expeditionem in regionem orientalem;
4,28 anno sequenti congregat Lysias exercitum;
4,52 anno 148, die 25 casleu renovatur sacrificium legitimum;
6,16 anno 149 Antiochus rex moritur;
6,20 anno 150 Iudas oppugnat arcem;
7,1 anno 151 Demetrius exiit ab urbe Roma;
7,43 anno » die 13 mensis adar vincitur Nicanor;

9,3 anno 152 mense primo Bacchides et Alcimus mittuntur;
9,54 anno 153 mense secundo Alcimus iubet destrui muros;
9,57 annis 2 siluit terra post mortem Alcimi;
10,1 anno 160 Alexander (Balas) occupat Ptolemaidam;
10,21 anno 160 mense septimo Ionathas induit stolam sanctam;
10,57 anno 162 Ptolemaeus et Cleopatra veniunt Ptolemaidam;
10,67 anno 165 venit Demetrius II a Creta;
11,19 anno 167 regnavit Demetrius;
13,41 anno 170 aufertur iugum ab Israel;
13,51 anno 171, die 23 mensis 2 intrant in arcem;
14,1 anno 172 Demetrius abiit in Mediam;
14,27 anno 172, die 18 mensis Elul } conficitur documentum in lau-
anno 3 sub Simone sacerdote } dem Simonis;
15,10 anno 174 venit Antiochus VII (Sidetes);
16,14 anno 177 mense 11. sabath interficitur Simon.

Ex quo conspectu apparet res describi ordine temporis servato. Pauca reperiuntur in altero libro :
11,21. 33. 38 anno 148 epistolae datae post mortem Antiochi;
13,1 anno 149 expeditio Lysiae et Antiochi Eupatoris;
14,4 anno 150 venit Alcimus ad Demetrium regem.

In hisce libris computatio temporis fit secundum aeram Seleucidarum, cuius annus primus incipit ab autumno 312 ante Chr. Sed quaerendum est sitne idem initium anni adoptatum ab auctore libri prioris.

Certum est menses ab eo numerari more iudaico, ita ut primus anni mensis habeatur nisan. Nam 4,52 legimus : quinta et vigesima die mensis noni, οὗτος ὁ μὴν χασελεῦ, et 10,21 septimo mense, in die sollemni scenopegiae; 16,14 mense undecimo, hic est mensis sabath. Apud Iudaeos anni religiosi initium ducebatur a mense nisan pro festis ac sollemnitatibus; initium autem anni civilis, oeconomici, pro contractibus ac negotiis petebatur a mense tischri, ab autumno (cf. Iosephus, Antiq. I, 3,3). Quare sola numeratio mensium nondum sufficit, ut dicamus auctorem anni initium computare a mense nisan.

Id tamen alia via satis efficitur. Nam 10,1 legimus : anno 160 ascendit Alexander et occupavit Ptolemaidam, et 10,21 eodem anno 160, in die sollemni scenopegiae induit se Ionathas stola sancta mense septimo; i. e. die 15 mensis tischri. Iam si initium anni computatum esset a die primo mensis tischri, pro illis quae 10,1-21 narrantur, non haberentur nisi dies 14; verum tali arcto spatio temporis fieri nequit ut illa acta esse censeantur. Itaque annus computatur a

mense nisan. Idem suadetur alia narratione : Nicanor victus est die 13 mensis adar anni 151 (7,1. 43); post quam victoriam siluit terra Iuda *dies paucos* (7,50); Demetrius enim audita clade Nicanoris misit alium exercitum ducibus Bacchide et Alcimo; et isti mense primo anni 152 applicuerunt exercitum ad Ierusalem (9,1. 3). Iam si auctor anni initium repetiisset a mense tischri, tum fluxissent a mense adar 151 usque ad nisan 152 menses tredecim, qui vix dies pauci nominari possunt; verum revera per dies paucos quievit terra Iuda, si anni initium est a mense nisan.

Quare recte ita statuunt plerique (cf. *Patritius,* De consensu p. 43; *Cornely,* Introd. II, 1 p. 464; *Schürer,* Geschichte des jüd. Volkes, 3. ed. I p. 34; *Kautzsch,* Apocryphen p. 31). Aliqui tamen, uti *Wellhausen, Niese* censent ab autumno sumi initium anni etiam apud nostrum auctorem (*Wellh.* Isr. Geschichte p. 243). Ceterum, uti *Schürer* l. c. p. 37, ostendit, in urbe Damasco eadem aera Seleucidarum cum anni initio a vere sumpto adoptata est.

Aliam computandi rationem sequitur auctor libri secundi. Ille anni initium cum graecis sumere videtur ab autumno, ita ut haec aera sex mensibus differat a priore. Secundum alios incipit computationem a mense tischri anni 311, ita ut octodecim mensibus distent aerae initia. Tale autem discrimen computandi non debet videri mirum. Nam fere singulae urbes maiores, Palaestinae vicinae, suam quaeque habebant aeram propriam (*Schürer* l. c. p. 37).

4. *Conspectus rerum utriusque libri.*

An. Ch.		Lib. I	L. II	Seleuc. I	Seleuc. II
	Seleucus donis templum honorat		3,1.2		
	Simone thesauros templi denuntiante mittitur Heliodorus, qui divinitus repulsus est a spoliatione templi		3,4-40.		
	Ob pessima Simonis studia Onias adit regem		4,1-6		
175	Post Seleucum Antiochus Epiphanes regnum suscipit	1,11	4,7	137	
	Ab eo Iason, frater Oniae, pecunia emit principatum et veniam instituendi gymnasium et ephebiam,	1,12 -15	4,8 -9		
	Multi sequuntur mores gentilium,	1,16	4,10 s.		
	Mittit Iason pecunias in sacrificium Herculis,		4,19		
	Antiochus in Aegyptum bellum paraturus				
	Ioppen et Ierusalem venit, exceptus a Iasone magnifice; dein Phoenicen,		4,21 -22		
	Menelaus supplantat Iasonem, incitat Andronicum ad caedem Oniae, et Lysimachum ad sacrilegia; accusatus absolvitur; testes morte damnantur		4,23 -50		

An. Ch.		Lib. I	L. II	Seleuc. I	Seleuc. II
	Altera Antiochi expeditio in Aegyptum	1,18 s.	5,1		
	Signa terrifica in Ierusalem.		5,2-4		
	Ob rumorem de morte regis Iason aggreditur urbem, et fugiente Menelao in arcem plurimas caedes committit		5,6 -7		
170	Antiochus, iratus ob Iasonis rebellionem, in urbem et in Iudaeos saevit, templum spoliat duce Menelao.	1,22 -29	5,11 -21	143	
	Reliquit praepositos ad affligendam gentem.		5,22		
168	Post duos annos misit Apollonium, qui urbem capit, spoliat, muros destruit, multum sanguinis fundit, arcem fortius munit et maiore praesidio firmat.	1,30 -39	5,24 -26	145	
	Multi fugiunt ex urbe	1,40			
	Antiochus mandat, ut omnes transeant ad ritus graecos; prohibet cultum Iudaeorum.	1,43 -53			
	Mittit praepositos, qui ad apostasiam cogerent	1,53	6,1		
	Ipsum templum sacrificiis pollutis et comessationibus profanatur; pii morte puniuntur.	1,57 s	6,2 -17	145	
	Multi eligunt magis mori quam inquinari	1,65			
	Eleazarus et septem fratres cum matre gloriosam mortem pro lege obeunt		6,18 -7,42		
	Mathathias cum filiis luget conditionem temporis;	2,1 s.			
	Resistit cogentibus ad sacrificandum,	2,15	(6,1)		
	Occidit Iudaeum sacrificantem et virum cogentem	2,24			
	Fugit cum suis in montes; sequuntur multi Iudaeorum;	2,27	5,27		
	In sabbato occiduntur multi legis observantissimi	2,31	6,11		
	Statuit Mathathias, ut etiam sabbato se defendant	2,40			
	Colligitur exercitus; pugnatur contra apostatas	2,42	8,1		
167	Moritur Mathathias; Iudas dux belli;	2,49		146	
	Iudas persequitur iniquos et perdit impios;	3,5 s.	8,1-7		
	Iudas feliciter pugnat contra Apollonium,	3,10			
	Item ab eo conteritur Seron	3,13			
	Fama Iudae pervenit ad Antiochum, qui exercitum colligit et expeditionem suscipere statuit in Persidem ad pecunias colligendas;	3,26 -31			
	Relinquitur Lysias, regni administrator, cum mandatis de destruendis Iudaeis	3,32 -36			
166	Rex proficiscitur ab Antiochia	3,37		147	
	Philippus (II, 5,22) scribit ad Ptolemaeum, ducem Coelesyriae et Phoenices, de periculo a Iuda imminente;		8,8		
	Lysias a Ptolemaeo de ea re edoctus mandat ut Nicanor et Gorgias cum exercitu mittantur; in eo crebri adsunt mercatores ad Iudaeos captivos emendos,	3,38 3,41	8,9 8,11		
	Iudaei precibus ad Deum fusis se praeparant ad pugnam;	3,42	8,12 s.		

An. Ch.		Lib. I	L. II	Seleuc. I	Seleuc. II
	Iudas constituit duces, tribunos, centuriones, pentacontarchas, decuriones,	3,55	8,22		
	Collocat castra ad austrum Emmaum;	3,57			
	Vincitur in pugna Nicanor;	4,6-16	8,24		
	Gorgias quoque expeditione sua nihil effecit;	4,1.20			
	Iudaei ampla spolia colligunt	4,23	8,27		
	Turpis fuga Nicanoris		8,35		
	Copiae quoque Timothei et Bacchides vincuntur;		8,30		
	occiditur Philarches,		-32		
	Callisthenes qui sacras ianuas incenderat, incendio periit	4,38)	8,33		
	Clades nuntiatur Lysiae	4,26			
	Eodem tempore Antiochus conatur templum spoliare	6,1	9,1		
	Cum esset in via versus Ecbatana, nuntiatur ei clades Nicanoris et Timothei		9,3		
165	Sequenti anno Lysias bellum movit et vincitur;	4,28		148	
	Sancta mundantur, cultus restituitur, urbs munitur, Bethsura munitur	4,36 -61	10,1 -8		
	Gentes in circuitu insurgunt contra Iudam, qui pugnat contra Idumaeos, Ammonitas, Gorgiam, Timotheum	5,1 -8.	10,14 -38		
	Interea Antiocho regi nuntius affertur de clade Lysiae et de cultu restaurato et de Bethsura occupata	6,5 -7			
	Antiochus incidit in morbum	6,8 s.	9,4 s.		
164	Moritur Antiochus Philippo constituto super negotia regni;	6,14	9,28	149	
	Filius Antiochi, Eupator, Lysia tutore, regnum suscipit;	6,17	10,10		
	Lysias alterum suscipit bellum contra Iudaeos,	(4,35)	11,1		
	Lysias victus turpiter fugiens evasit.		11,12		148
	Pacis conditiones expetit a Iuda; conceditur a rege Iudaeis, ut suis moribus vivant; recitantur documenta.		11,13 -38		
	Regionum praefecti in Iudaeos saevire pergunt		12,2		
	Flagitium Ioppitarum, et malitia Iamnitarum punitur		12,3-9		
	Suscipitur pugna contra Timotheum (ipsis nominibus regionum, urbium ea partim tangi patet quae 1 Mach. 5,9 seq.)	5,9 seq.	12,10		
	Simon pugnat in Galilaea contra Tyrios	5,15-23			
	Interea Iosephus et Azarias victi sunt a Gorgia	5,55			
	Per Ephron, Scythopolin revertitur Iudas in Ierusalem prope festum Pentecostes	5,46 -54	12,27 -31		
	Post Pentecosten pugnatur contra Gorgiam, qui fugatur in Maresa,	5,65 -68	12,32		
	Sacrificium pro mortuis		12,40		

An. Ch.		Lib. I	L. II	Seleuc. I	Seleuc. II
163	Reversus in urbem obsidebat arcem Iudas	6,18		150	
	Menelaus aliique incitant Eupatorem (Lysiam) ad bellum contra Iudam.	6,21 -27	13,3	150	149
	Regis exercitus proficiscitur;	6,28-30	13,1.2		
	Circa Modin partem exercitus aggreditur Iudas,		13,14		
	Bethsura obsidetur	6,31	13,19		
	Pugna ad Bethzacharam	6,32			
	Exercitus regis procedit contra Ierusalem	6,48			
	Bethsuram rex comprehendit	6,49	13,22		
	Ierusalem oppugnatur;	6,51			
	Verum nuntio accepto de Philippo Lysias regi persuadet, ut pacem concludat;	6,55 -63	13,23 -26		
	Menelaus occiditur.		13,8	151	
162	Demetrius regnum occupat occisis Antiocho et Lysia	7,1-4	14,1. 2		
	Instigante Alcimo mittit rex Bacchidem; Alcimus et Bacchides saeviunt in populum	7,5 -22			
	Iudas facit vindictam in desertores,	7,23			
	Quare Alcimus secundo regem adiit opem implorans contra Iudam	7,25	44,3 11-		150
	Rex mittit Nicanorem;	7,26	14,12		
	Pugna ad castellum Dessau (Adase?)		14,16		
	Nicanor prius pacifice agit cum Iuda	7,28	14,18		
	Quare Alcimus tertio adit regem, conquerens de Nicanore;		14,26		
	Nicanor acceptis mandatis regis Iudam dolo capere vult	7,30	14,29		
	Nicanor ad Capharsalama;	7,31			
	Nicanor postulat cum minis a sacerdotibus, ut Iudas tradatur;	7,33	14,31		
	Sacerdotes obsecrant Dominum	7,36	14,34		
	Nicanor iubet comprehendi Raziam, qui mori mavult		14,37		
	Committitur proelium die 13 Adar; dies Nicanoris	7,39 s.	15,1 s.		
	Et siluit terra Iuda dies paucos	7,50			
	Iudas mittit Romam ad foedus concludendum	8,1 s.			
161	Demetrius mittit Bacchidem et Alcimum	9,1		152	
160	Pugna in Laisa; Iudas cecidit	9,5-18			
	Sepelitur in Modin;	9,19			
	Ionathas suscipit principatum	9,31			
	Vindictam exercet in filios Iambri;	9,36 s.			
	Pugnatur ad Iordanem;	9,43			
	Bacchides erigit munitiones in Iuda	9,50			
159	Alcimus iubet destrui muros, moritur	9,54		153	
	Bacchides revertitur ad regem; silet terra annis duobus.	9,57			
157	Instigantibus impiis Iudaeis Bacchides denuo bellum movet, victus pacem componit cum Ionatha	9,58 -72			

An. Ch.		Lib. I	Sel.
153	Alexander Balas occupat Ptolemaidam et regnat ibi	10,1	160
	Ipse et Demetrius ambiunt amicitiam Iudaeorum	10,3-43	
150	Iudaei partes tuentur Alexandri; Demetrius cadit	10,47	
	Ionathas Ptolemaide honoratur ab Alexandro et Ptolemaeo	10,59 s.	162
147	Demetrius II venit a Creta in terram patrum suorum	10,67	165
	Pugna inter Apollonium eius ducem et Ionathan; Ionathas obtinet Ioppen et succendit Azotum; honoratur ab Alexandro	10,69 -89	
	Ionathas obviam it Ptolemaeo regi in Ioppen	11,6	
145	Alexander fugatur a Ptolemaeo et occiditur,	11,15	
	Mortuo Ptolemaeo regnat Demetrius II	11,19	167
	Ionathas arcem obsidet; accusatus apud regem et accersitus honoratur a rege et impetrat complura emolumenta;	11,20 37	
	Tryphon incipit agitare contra Demetrium	11,39	
	Ionathas mittit Demetrio Iudaeos in auxilium;	11,43	
	Demetrius promissis non stat, vexat Iudaeos;	11,53	
145	Fugatur Demetrius a Tryphone,	11,55	
	Ionathas a rege Antiocho VI honoratus feliciter pugnat contra Philisthaeos, duces Demetrii	11,57 -74	
	Ionathas renovat amicitiam cum Romanis et Spartiatis	12,1 s.	
	Ionathas et Simon continuant bellum contra duces Demetrii; et aedificant munitiones	12,24 -38	
	Perfidia Tryphonis capitur Ionathas;	12,39 s.	
	Simon eligitur dux;	13,1-11	
143	Tryphon perfidus et pecuniam extorquet et Ionathan occidit	13,12	
	Erigitur monumentum in Modin	13,25	
	Ob crudelitatem Tryphonis Simon eligit partes Demetrii II	13,34	
	Conceditur a Demetrio Iudaeis libertas; ablatum est iugum gentium ab Israel — annus primus sub Simone principe	13,35 -42	170
141	Simon occupat Gazara et arcem in urbe.	13,43	171
	Demetrius captus ponitur in custodia ab Arsace rege Mediae;	14,3	172
	Effertur prosperitas sub Simone; foedera renovantur Spartanorum et Romanorum	14,4 -24	
	Populus gratum animum in Simonem et fratres monumento publico testatur; statuitur dux et summus sacerdos, donec surgat propheta fidelis.	14,25 -49	172
	Antiochus VII litteris Iudaeis confirmat libertatem, et obsedit Doram, in quam urbem fugerat Tryphon	15,1 -14	174
	Adveniunt Numenius et socii cum epistolis a Romanis datis; Simon mittit Antiocho obsidenti Doram copias, quas ille non admittit, sed per Athenobium rex perfidus postulat sibi tradi urbes et tributa;	15,15 15,25 -33	
	Simone renuente rex mittit Cendebaeum ad bellum contra Iudaeos	15,38	
	Duo filii Simonis feliciter bellum gerunt contra Cendebaeum	16,1	
135	Simon per Ptolemaeum, generum suum, dolose cum duobus filiis occiditur;	16,11	177
	Ioannes insidias evitat.	16,21	

5. — *De numero pugnantium.*

Lysias mittit 40000 peditum et 7000 equitum (3,38); ex iis Gorgias assumit 5000 et 1000 equites (4,1). Iudas cum 3000 pugnat (4,6) ceciderunt ex hostibus circa 3000 i. e. tot hostes, quot erant pugnatores Iudaei (cf. 4,15). Anno sequenti Lysias mittit 60000 et 5000 equitum (4,28); Iudas iis opponit 10000; pugna facta circa 5000 ex exercitu Lysiae ceciderunt (4,34).

Simon accipit 3000 pro expeditione in Galilaeam et ceciderunt hostium circa 3000 (iterum tot, quot pugnatores; 5,20.22). Iudas accipit 8000 pro expeditione in Galaad; cadunt circa 8000 hostium (5 20. 34).

Contra Gorgiam pugnantes Iosephus et Azarias amittunt circa 2000 Iudaeorum (5,60). Unde eo tempore exercitus Iudaeorum iam multum superaverat numerum 15000.

Antiochus Eupator ducit contra Iudaeos 100000 et 20000 equitum et 32 elephantos; pugna facta cadunt 600 ex exercitu regis (6,30.42).

Ex exercitu Nicanoris ceciderunt 5000 (syr ℵ 500) cf. 7,32. Mox Iudas cum 3 000 alteram cladem Nicanori inflixit (7,40.43).

Bacchides expeditionem suscipit cum 20000 et 2 000 equitum; hisce opponit Iudas 3000 (9,4.5). In pugna subsequente de parte Bacchidis ceciderunt 1000 (9,49).

Demetrius ex Iudaeis adscribi 30000 in exercitum regis vult (10,36).

Ionathas cum 10.000 contra Apollonium proficiscitur (10,74); Apollonius admovit 3000 equitum et exercitum multum (10,77). Ex variis oppidis occisa sunt et incendio perierunt fere 8000 (10,85).

Ionathas misit 3 000 Antiochiam ad protegendum Demetrium (11, 44); Antiochiae rebellionem faciunt 120000; Iudaei occidunt 100000 (11,45. 48).

De alienigenis 3 000 ceciderunt (11,74).

Ionathas obviam ivit Tryphoni cum 40000 (12,41).

Antiochus VII obsidet Doram cum 120000 et 8000 equitum (15,13); ei mittit Simon 2000 (15,26). Simon mittit contra Cendebaeum 20000 (16,4); in pugna cadunt 2000 hostium (vulg. sin — 3 000 syr).

In altero libro haec habentur.

Lysimachus armat 3000 (4,40); Iason cum 1000 aggreditur urbem (5,5). Antiocho ex Aegypto reverso in Iudaea occiduntur 40000; et 40000 venumdantur (5,14).

Apollonius mittitur cum 22000 (5,24). Iudas colligit 6000 (8,1).

Mittitur Nicanor cum 20000 (8,9); Iudas colligit 6000 (8,16. vulg 7000). Si 1 Mach. 3,38 Lysias dicitur misisse 40000, res facile conciliari potest. Hoc loco enim Ptolemaeus misit Nicanorem et Gorgiam cum 20000, Lysias id non solum approbat sed mittit (Ptolemaeum et alia 20000 ob ea quae 1 Mach. 3,10-24. 27. 35 narrata sunt. Numerus Iudaeorum in priore libro effertur 3000 (4,6). Hic habentur 6000, qui numerus 8,22 genuinus statuitur. Ceciderunt super 9000; 1 Mach. 4,15 solum 3000 recitantur; sed attende ibi de pugnatoribus Iudaeis 3000 esse sermonem; hic autem Iudaeorum pugnatores recenseri 6000. Unde apparet in priore libro solum efferri, quid Iudas cum dimidia parte exercitus effecerit. Insuper in certaminibus cum Timotheo et Bacchide super 20000 ceciderunt (8,30); unde docemur hos quoque duces fuisse in illo exercitu 40000 et multitudinem hanc in varias partes fuisse divisam; duas partes legimus in priore libro; reliquas in altero libro.

Breviter 1 Mach. 5,1-8 refertur de bellis cum Idumaeis, filiis Bean, Ammonitis. Singula quaedam narrantur 2 Mach. 10,14; occiduntur non minus 20000; fugiunt in duas munitiones 9000; in iis plus quam 20000 interempta sunt (10,17.23). Cum Timotheus novas copias collegisset, in proelio ceciderunt 20500 et 600 equites (10,31).

In secunda expeditione Lysiae (quae 1 Mach. 4,35 innuitur) numerantur 80000 (11,1); in proelio cadunt 11000 et 1600 equites. Ad ea quae 1 Mach. 5,9-54 narrantur, hic plura adduntur: in locis Tubin (Tob) pereunt 10000 (12,19); Timotheus (1 Mach. 5,11. 34. 40) habet secum 120000 et 2500 equites (12,20); prosternuntur 30000; ad Carnion (1 Mach. 5,44) trucidantur 25000 (12,26); ad Ephron (1 Mach. 5,46) item 25000. Gorgias habet 3000 et 400 equites (12,32).

In tertia expeditione Lysiae adducuntur 110000 et 5300 equitum, elephanti 32, currus falcati 300 (13,2); Iudas nocte castra aggressus cum electis iuvenibus occidit 2000 (vulg 4000). Nicanor mittit 500 ad capiendum Raziam (14,39). In pugna qua Nicanor cecidit, prosternuntur 35000 (15,27).

Apparent itaque varia utriusque libri discrimina. De discrimine in loco parallelo 3,38 et 8,9 iam dictum est. In iis quae fere adduntur ad 1 Mach. 5,1-8 et 9-54 aliquid admirationis excitatur maioribus numeris occisorum.

Iudas qui in Galaad expeditionem suscepit secum adduxit 8000 (1 Mach. 5,20). In pugna cadunt 8000 hostium (5,34) et postea Timotheus congregavit exercitum nimis multum (1 Mach. 5,38); in altero libro Timotheus habet 120000 et 2500 equites (12,20). In proelio

caeduntur 30 000, ad Carnion 25 000, ad Ephron 25 000. Minime tamen dicitur haec patrata esse solum ab octo millibus; neque id supponere licet. In Galaad enim multi incolebant Iudaei; ita in locis Tubin mille Iudaei interempti erant (1 Mach. 5,13), item de multis Iudaeis in variis urbibus Galaad mentio fit (1 Mach. 5,26. 27). Quare prorsus colligendum erit per Iudaeos incolas in Galaad exercitum Iudae auctum esse. Quare immerito quis assereret per 8 000 caesa esse primo 30 000 et mox 25 000 et iterum 25 000. Id unum recte inferri potest, narrationem esse mancam; lacunas minime deesse, efferri eventus solos causis eorum ac conditionibus minime expositis.

Aliquod discrimen advertitur in tertia expeditione Lysiae; numerus peditum auctus apparet, equitum vero diminutus. In proelio quo Nicanor prosternitur recensentur 3 000 Iudaeorum (1 Mach. 7,40), hostium autem occisorum non minus 35 000 (2 Mach. 15,27), qui numerus aliqua ratione explicatur illis quae 1 Mach. 7,45-46 narrantur: exierunt scil. ex omnibus castellis Iudaei trucidantes fugitivos « et non est relictus ex eis nec unus ».

Quae leguntur 2 Mach. 8,8-15,37 eandem temporis epocham comprehendunt quam 1 Mach. 3,38-7,49 descriptam legimus. Si spectas numerum eorum qui eo spatio i. e. ab anno 166-161 (ante Chr.) in variis proeliis a Iudaeis occisi sunt, in altero libro facta computatione exhibetur numerus occisorum hostium 229 700, verum cum saepius ad numerum addatur *super* vel *plus quam* (cf. 8,24. 30; 10,23; 12,19), licet ponere numerum rotundum 230 000.

In priore autem libro saepius non effertur numerus, sed solum narratur: debellabat filios Esau, Bean, Ammon, contriti sunt (5,2-7), contritae sunt gentes, occidit omnem masculum (5,28. 35. 43. 51), contrita sunt castra Nicanoris (7,43); numeri vero qui explicite referuntur (4,15. 34; 5,22. 34; 6,22; 7,32) multitudinem occisorum dant 24.000 pro eodem spatio temporis.

Ex quo fonte Iason istos numeros quos in 2 Mach. legimus hauserit, nescimus; pro plerisque popularis quaedam traditio assumi poterit, rumor quidam vagus de tot et tot millibus; auctor vero noster secundum suum consilium (2,28. 29) accuratam rerum singularum perscrutationem relinquit historiographo, sibi attribuit studium sequendi normas epitomes faciendae. Res igitur gestas desumit ex Iasone, eius narrationem dignam esse censuit quae suis lectoribus per epitomen offeratur. De illis proeliis vix multa et certa exstabant documenta; unde pro plerisque fere non reperiebatur nisi vaga quaedam narratio popularis. Inde etiam numeri occisorum saepius iidem facile explicantur. Simul quoque patet qua ratione illi numeri accipiendi sint.

Referunt scil. quid eius aetatis homines de iis certaminibus crediderint. Neque enim tali narrandi modo ullo pacto quidquam derogatur sanae notioni inspirationis. Nam sicut Deus velle potest, et revera voluit, ut per auctorem inspiratum litteris consignarentur mores, opiniones et sententiae hominum variarum aetatum, ita vi inspirationis minime exspectandum est, ut defectus scientiae humanae et lacunae superna revelatione tollantur, nisi agatur de rebus fidei et morum vel de veritate historica, quam auctor intendit et in qua innititur doctrina quam vult exponere.

Ceterum numero militum fortium parvo multa agmina pelli, multos occidi etiam apud auctores profanos refertur. In pugna ad Granicum Alexander habuit 30 000 peditum, 5 000 equitum; numerus Persarum erat peditum 100 000, equitum 10 000; caeduntur Persarum 10 000; capiuntur 20 000 (Diod. sic. 17,19,5 et 17,21,16). Scribit Polybius (3,14) : ἐπιδιαβάντες οἱ περὶ τὸν Ἀννίβαν ἐπὶ τοὺς βαρβάρους ἐτρέψαντο πλείους ἢ δέκα μυριάδας ἀνθρώπων. In pugna apud Issum hae copiae Darii recensentur : quam primum audivit Darius Alexandrum instructa acie adventare, 30 000 equitum et 20 000 expeditorum flumen transire iubet, ut reliquum exercitum securius instruat, et primos quidem Graecos mercede conductos numero 30 000 adversus Macedonum phalangem ponit; ab utroque horum latere collocat Cadarcas ad 60 000; ad montem 20 000 statuit; reliqua multitudo pro gentium varietate post Graecos et barbaros in phalangem compositos stabat; 600 000 bellatorum in Darii exercitu esse ferebatur (Arrianus 2,8,5-9). In pugna ceciderunt ad 100 000 et in his 10 000 equitum (Arr. 2,11,8). In pugna ad Gaugamela universus Darii exercitus ferebatur esse equitum 40 000, peditum circa 1 000 000, currus falcati 200 (Arr. 3,8,6); totus autem exercitus Alexandri equites 7 000, pedites circa 40 000 (Arr. 3,12,8). Et quali effectu copiis ita magnopere inaequalibus pugnatum est? ab Alexandri partibus ἄνδρες μὲν (ἀπέθανον) ἐς ἑκατὸν μάλιστα, ἵπποι δὲ ὑπὲρ τοὺς χιλίους — ex barbaris vero circiter 300 000 caesa ferebantur multoque maior numerus captorum quam caesorum fuit (Arr. 3,15,6). Istud « ferebantur » nos docet, qua aestimatione eiusmodi numeri orti sint. Omitto numeros ingentes quos apud Herodotum legimus v. g. Xerxem duxisse 2 641 610 armatos viros ad Sepiadem et ad Thermopylas (7, 185). Unum solum exemplum certum ex recentiore tempore afferam, quo comprobetur parva manu fortium ingentem superari multitudinem. Narrat quippe Macaulay, celeberrimus rerum scriptor, in vita quam de Lord Clive composuit, ipsum ducem Clive habuisse exercitum 3 000; ei fuisse oppositum exercitum 40 000 peditum et 15 000 equitum; in pugna ceciderunt ex exercitu Clive 22

milites et 50 vulnerati sunt; exercitus vero hostium plane fusus fugatusque est (« with the loss of 22 soldiers killed and 50 wounded, Clive had scattered an army of nearly 60 000 »).

Adverti quoque oportet, ne quis de numeris in libris Machabaeorum perperam iudicet eosque a limine respuat tamquam nimium exaggeratos, reges Syriae ex variis gentibus militum turbas collegisse. Ita Antiochus Magnus habebat in exercitu Cretenses, Tectosages Galatas, peregrinos ex Graecia et mercenarios Graecos (Polyb. 5,53,3). Cum expeditionem pararet adversus Ptolemaeum, erant in eius exercitu Daae, Carmani, Cilices, Agrianes, Persae, Medi, Cissii, Cadusii, Arabes et alii e finitimis populis, mercenarii Graeci, Cretenses, Lydi, Cardaces; summa copiarum erat 62 000 peditum, 6 000 equitum, elephanti 102 (Polyb. 5,79,3 seq.). In eius bello cum Romanis numerabantur in eius exercitu 70 000; erant inter eius milites Tectosagi, Trocmi, Tolistobogi, Cappadoces, aliaque conductitiorum militum multitudo promiscua, et alia magna multitudo Phrygum, Lyciorum, Pamphyliorum, Pisidarum, Cretensium, Trallianorum, Cilicum; et equites sagittarii Daae, Mysi, Elymaei, Arabes (App. Syr. 32). Atque de eius pugnae exitu haec refert idem Appianus : reperti sunt inter caesos equites 24 et 300 pedites quos Antiochus oppresserat; ex Eumenis vero equitibus solum 15; Antiochum amisisse creditum est cum captivis circiter 50.000; aegre enim iniri numerus caesorum poterat prae multitudine (Syr. 36). In universum autem erant in romana acie ad 30 000 (l. c. 31). Ergo cernitur pugna haud absimilis illis Machabaeorum : pugnant 30 000 contra 70 000; pauci ex victoribus cadunt; ex hostibus pereunt 50 000.

Et Antiochus Epiphanes in ludis quos ad Daphnen exhibuit initium celebritatis fecit a pompa « in qua incedebant ex variis gentibus : Mysi 5 000, Cilices 3 000, totidem Thraces, Galatae 5 000, Macedones 20 000, equites Nisaei 1 000 (Polyb. 31,3,2 seq.). Et de belli gerendi ratione utile quoque est in mentem revocare quod idem Polybius scribit : graecanica et asiatica bella unum plerumque proelium finire solet, raro alterum; et ipsa proelia primo conflictu et concursu copiarum ut plurimum finiuntur (35,1,2).

Ceterum si cui numeri negotium facessant, eum amandandum censeo ad numeros in libris Paralipomenon, rogans ut quam interpretandi normam ibi probat, eandem quoque libris Machabaeorum applicet. Addo unum exemplum ex profanis. De numero militum in pugna Caesaris et Pompeii haec tradit Appianus (Bell. civ. 2,70) : « fuerunt autem copiae (ut, omissis aliis parum inter se consentientibus, gravissimos ex Romanis potissimum scriptoribus sequar, qui italici nominis

milites, ceu robur exercitus, diligenter percensent, auxiliorum neglectim mentionem facere soliti, tamquam peregrinorum et exiguum ad summum rei momentum conferentium), Caesari quidem ad 22 millia et in his 1 000 circiter equites; Pompeio vero plusquam duplum et in his equitum ad 7 000. Atque ita quidem auctores fide dignissimi produnt 70 000 Italorum conflixisse hoc proelio; alii pauciores 60 000 numerant; alii exaggerantes multitudinem τεσσαράκοντα μυριάδας, 400 000 fuisse contendunt. Ex his alii Pompeianorum numerum sesqui altera parte maiorem fuisse aiunt; alii Caesarianos tertiam tantum partem complevisse. Tanta est de exacta veritate dissensio ».

6. *De documentis allatis.*

Haec in libro priore allegantur documenta, litterae :

1. Epistola Israelitarum ex Galaad 5,10-13;
2. Rescriptum Romanorum 8,22-30;
3. Epistola Alexandri ad Ionathan 10,18-20;
4. Epistola Demetrii I ad eundem 10,25-45;
5. Epistola Demetrii II ad eundem 11,30-37;
6. Epistola Antiochi VI ad eundem 11,57;
7. Epistola Ionathae ad Spartanos 12,6-18;
8. Epistola Arii regis ad Oniam 12,20-23;
9. Epistola Demetrii II ad Simonem 13,36-40;
10. Epistola Spartiatarum ad Simonem 14,20-23;
11. Inscriptio in honorem Simonis 14,27-47;
12. Epistola Antiochi VII ad Simonem 15,2-9;
13. Epistola Lucii consulis ad Ptolemaeum 15,16-21.

Ipsa autem documenta vario modo in medium proferuntur. Aliqua adducuntur tamquam ἀντίγραφα, alia ratione quadam generali ἔγραψε κατὰ τοὺς λόγους τούτους, ἔγραψεν ἐπιστολὰς ἐχούσας τὸν τρόπον τοῦτον, ἐγέγραπτο τάδε etc.. Quare ipsa allegatione aliquid discriminis innui videtur. Quae afferuntur tamquam ἀντίγραφον, exemplar descriptum, profecto asseruntur ipsa voce documenta fideliter descripta, quae itaque auctor hausisse se affirmet vel ex tabulariis publicis vel ex exemplaribus aliis descriptis in publicum sparsis, de quorum fide ipse non dubitavit. Illa vero formula καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον adducit auctor rescriptum Romanorum (8,22-30), epistolam Demetrii II. Lastheni scriptam (11,31 seq.), epistolam Ionathae Spartiatis datam (12,5) in qua epistola etiam affirmatur additum esse τὸ ἀντίγραφον epistolae Arii regis ad Oniam (12,7), quae epistola eodem nomine ut ἀντίγραφον exhibetur 12,20-23; eodem titulo auctor nobis proponit epistolam Spartiatarum

ad Simonem (14,20. 23) et longam illam in honorem Simonis inscriptionem (14,27-47). Sunt itaque ἀντίγραφα illa sub n. 2. 5. 7. 8. 10. 11 designata. Haec igitur tempore auctoris genuina habebantur. Et iam ea de causa auctor merito illa potuit afferre.

Atque rescriptum Romanorum plenam meretur fidem. Cernitur in eo nota illa Romanorum prudentia, qua res suo arbitrio decernendas sibi reservant et neglecta foederis pro utraque parte aequalitate maius emolumentum sibi paciscunt (cf. 8,28). Offenditur *Ks.* quod in v. 26 mentio fiat navium; tempore Iudae autem Iudaeos urbem maritimam non possedisse; verum, cum Iudaeorum regio haud ita longe a mari remota esset, Romani qui futuris quoque temporibus prudenter prospicere solebant, facile eam quoque opportunitatem praeoccupare poterant. Atque revera postea Iudaei Ioppen et portum suae addiderunt ditioni. Neque dubium moveri potest de epistola Demetrii II ad Lasthenem data (11,32 seq.); in ea singula accurate determinantur et quae postea Ionathas pro rege fecit, animum Ionathae gratum pro promissis emolumentis patefaciunt.

Varia dubia moventur contra epistolas Ionathae ad Spartanos et Arii regis ad Oniam; n. 7. 8. Primo loco monendum est ab auctore utramque epistolam appellari et exhiberi ut ἀντίγραφον. Auctor autem omnium consensu censetur auctor fide dignus; accurata rerum narratione et distincta temporum designatione manifestat quam adhibuerit curam in veritate rerum indaganda. Quare certum esse debet eum epistolas non finxisse, sed vere reperisse eiusmodi epistolas quae praeferebant titulum exemplarium rescriptorum. Alia utique quaestio est: erantne illa exemplaria genuina? talene litterarum commercium exstitit? Id indagandum est. Exstitisse opinionem de cognatione inter Iudaeos et Spartiatas etiam 2 Mach. 5,9 apparet; Arium I regem et Oniam I sacerdotem eodem vixisse tempore certum est (vide Commentarium). Iam quis crediderit aliquem Iudaeum circa annum 100 ante Chr. tam accuratam notitiam habuisse de viris istis duobus, ut talem potuerit fingere epistolam? Neque Iudaeo in mentem venire poterat fingere talem cognationem; Iudaei enim exteras gentes aspernabantur; et si quis fingere voluisset ad gloriam Iudaeorum celebrandam, certe minime cogitasset de Spartiatis societatem et communionem inire volentibus, verum finxisset nationes potentes magisque vicinas appetiisse foedus cum Iudaeis et epistolam nobis proposuisset plane aliam, longe distantem ab illius indole adeo simplici. Sed quomodo Arius induci potuit istam cum Iudaeis societatem ut inire studeret? Probabilitate non caret quod attulit *Palmer* (De epistolarum quas Spartani atque Iudaei invicem sibi misisse dicuntur veritate, Darmst. 1828

p. 21) : Demetrius Poliorcetes occupaverat Peloponnesum; at Antigonus, pater eius, filii opem expetiit contra hostes suos Cassandrum, Lysimachum, Ptolemaeum, Seleucum; quare Demetrius in Asiam minorem profectus erat ad opem ferendam anno 302 ante Chr. In qua rerum conditione valde probabile est Spartanos voluisse filio et patri negotium facescere foederibus initis cum variis illarum regionum gentibus et etiam cum Iudaeis.

Facile conceditur, si foedus seu συμμαχία inter eos exstitit, etiam commercium quoddam litterarum esse institutum. At contra epistolam 12,20 tamen dubia moventur : unus tantum rex nominatur; nihil de collega regio, de ephoris, quorum erat foedera sancire, nihil de « graecismis vel dorismis », nihil de formulis in eiusmodi commercio usitatis; quod de pecoribus dicitur, ad nomades congruit, non ad Spartanos (cf. *Gr. Ks.*).

Verum istis solum ostenditur exhiberi nobis in eo exemplari epistolae epitomen brevem epistolae primitus missae, in qua epitome haec tantum descripta erant (cf. *K.*).

Ionathas itaque, cum Romam et in alias quoque regiones epistolas mitteret, etiam amicitiae olim cum Spartiatis initae memor ad eos quoque litteras dedit; esset profecto mirum, si non dedisset; nam opinio praevalebat de aliqua cognatione (2 Mach. 5,9); ex praeterito tempore testimonium foederis in manibus erat, et Ionathas in eo occupatur, ut amicitia exterorum conciliata conditionem Iudaeorum redderet securiorem. Praeterea iter illud romanum offerebat opportunitatem mittendi litteras. Quo facilius pertrahat Spartiatas ad societatem renovandam — multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos — significat se impraesentiarum non indigere eorum ope neque eam expetere (12,9); nam Deo opitulante hostes esse contritos. Sed *Ks.* contendit epistolam probabiliter postea esse insertam; illam ad Spartiatas datam sensu carere, cum dicatur Iudaeos non egere eorum ope; sed optimum in ea contineri sensum, si epistola destinata erat ad edocendos Iudaeos de indole theocratica, qua a solo Deo, non ab exteris, auxilium sit exspectandum. Esse postea insertam, gratis asseritur; eam sensu carere, falso affirmatur. Si auctor talem voluisset doctrinam Iudaeis tradere, ipsos Machabaeos quos narratione celebrat, vehementer reprehendisset tamquam alienos ab indole theocratica et inepte Ionatham finxisset auctorem epistolae, qui contrarium egerit.

Legati Simonis ad Spartiatas missi reportarunt responsum quod legitur 14,20, quod etiam ἀντίγραφον appellatur. Epistola haec brevis plane est ad rem; legatos esse bene acceptos, pristinam amicitiam esse

renovatam et in tabellas publicas relatam. Mirantur aliqui quod non apponantur nomina ἀρχόντων; sed cum ipsi qui aderant legati epistolam perferant, de veritate epistolae non poterat dubium oriri tacitis etiam nominibus; vel dicas in exemplo quo uti potuit auctor nomina non fuisse apposita. Certe omissio nominum non potest afferri contra veritatem epistolae.

Documentum in honorem Simonis 14,27-45 positum est in tabulis aereis in peribolo sanctorum in loco celebri (14,48); τὰ δὲ ἀντίγραφα in gazophylacio, ut habeat Simon et filii eius (14,49). Quare patet, unde auctor istud documentum acceperit. In eo ordinem temporis non accurate proponi, supra iam declaratum est et immerito movet ex eo *Gr.* dubium de veritate exempli rescripti. Censet *Ks.* 14,27 seq. opus esse alicuius iunioris scriptoris, qui discrimen illud non curaverit. Etiam *Ks.* supponit in eiusmodi monumento non posse observari nisi ordinem temporis.

Reliqua non directe affirmantur esse exempla rescripta. Verum de iis quoque auctorem certam habuisse notitiam et cognovisse argumentum epistolarum omnino affirmatur. Et 5,10 commemorantur γράμματα quae Israelitae ex Galaad miserunt; epistolae legebantur; earum argumentum inducitur formula λέγοντες, et est ad rerum conditionem plane natum aptumque. Epistolam Alexandri 10,18 non ad verbum referri, sed in forma epistolae exhiberi quae rex proposuerit, indicatur sententia illa καὶ ἀπέστειλεν αὐτῷ πορφύραν καὶ στέφανον χρυσοῦν quae in media epistola occurrit. Quae dicuntur in epistola, plenam prae se ferunt veritatem. Epistola Demetrii I inducitur verbis καὶ ἀπέστειλεν αὐτοῖς κατὰ τοὺς λόγους τούτους 10,25 (sicut alibi loquentes inducuntur, quorum verba ex occasione rerum et moribus eorum a scriptore componuntur); quare censeri potest recitari epistolam, non verbatim, sed secundum ea quae auctor de illa acceperat vel traditione vel fontibus scriptis. Offenduntur aliqui magnis illis ac multis promissis, quae in ea epistola enuntiantur, cum antea 10,6 pauca obtulisset. Verum oportet attendere, Demetrium dici 10,22 audivisse quae Alexander in favorem Ionathae praestitisset; unde ipse in id animum intendit, ut magnificentia et liberalitate et multitudine promissorum capiat levem ac versatilem populi indolem; quare populo inscribitur epistola. Aliud est promiseritne sincere, vel solum ut obtento proposito nihil vel pauca praestaret. Epistola ad id quod eo tempore assequi volebat, scil. ut populum a partibus Alexandri retraheret, quam maxime congruit et insuper multa continet, quibus de exactione vectigalium et de administratione rerum edocemur; quare eo quoque nomine veritas epistolae commendatur quam maxime.

Brevis illa epistola Antiochi VI ad Ionathan 11,57, nomine Antiochi a Tryphone missa, nihil habet quo suspicio moveatur. Eodem modo epistola Demetrii II ad Simonem ipso argumento probatur vera ac sincera; nam commemorantur dona a Iudaeis regi missa; concedit rex veniam ἀγνοημάτων καὶ τῶν ἁμαρτημάτων. Quis Iudaeorum talia fingere voluisset? Epistola Antiochi VII ad Simonem nobis exhibetur περιέχουσα τὸν τρόπον τοῦτον (15,2) qua formula non tam singula verba, quam argumentum et rerum summa indicari solent (cf. 2 Mach. 1,24; similiter Diog. Laert. 6,3,7 : διαθῆκαι τοῦτον ἔχουσαι τὸν τρόπον, *Gr. K.*). Atque in ea contineri quae secundum conditionem rerum requirantur et exspectentur facile ab iis ipsis conceditur qui alias proni sunt ad dubia movenda.

Epistolae, regibus ac regionibus scriptae (15,15) iam eo commendantur quod conditionibus eius temporis bene congruunt. Nam fere omnes regiones et urbes, quae enumerantur mentione facta regum Aegypti, Syriae, Pergami, Cappadociae, Parthiae, eo tempore neque Romanis neque ulli regum illorum subiectae erant; Cyprus quidem ac Cyrene pertinebant ad Aegyptum; sed Romanos ad earum regionum praesides scribere potuisse nemo facile negaverit. De ea re vide *Schürer* l. c. I p. 250 seq. qui multos recenset libellos, in quibus de isto senatus consulto et de quaestionibus ad eam rem pertinentibus tractatur.

7. *De indole narrationis.*

Uti liber primitus hebraice scriptus erat, ita genus dicendi et narrandi modus etiam valde accommodatur ad sacros libros historicos Iudaeorum. Prius illud testatur inscriptio libri quam nobis servavit Origenes (p. 2) itemque Hieronymus (Prolog. gal.) : « Machabaeorum primum librum hebraicum reperi; secundus graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest ». Ex phrasi quoque priorem fuisse hebraicum probari potest. Nam in sententiarum nexu ac constructione, sicut in ipsis phrasibus frequentes deprehenduntur hebraismi. Ita sententiae continuo inter se paratactice per καὶ iunguntur; 1,1-10 iam deprehenduntur 25 καὶ ad sententias nectendas et ipsum libri initium καὶ ἐγένετο est illud ויהי (Ios. Iud. 1 Sam. 2 Sam. Esth. Ruth in initio). Dictiones hebraisantes sunt v. g. 1,16 καὶ ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία. 1,36 καὶ ἐγένετο εἰς διάβολον πονηρόν, 2,48 οὐκ ἔδωκαν κέρας τῷ ἁμαρτωλῷ, et si 4,19 multi testes praebent ἔτι πληροῦντος Ἰούδα ταῦτα (א, A, 23. 44. 52. 56 al) pro καλοῦντας, id explicatur errore interpretis; cf. בולא et בילל etc.

Tale cernitur genus dicendi quo res gestae clare exhibentur ipsae ita, ut opinio vel iudicium scriptoris de iis non exprimatur; neque enim

laudat neque reprehendit singulorum consilia seu actiones. Uti in libris sacris historicis sermo infertur de filiis Belial, ita necessario nominandi ac designandi erant Iudaei apostatae qui ἄνομοι, παράνομοι, relinquentes legem, peccatores, impii, uti gentiles etiam, describuntur. Ipsis rebus narratis apparet quidem fortitudo, pietas, prudentia, vel dolus, malitia, superbia eorum, quorum res gestae referuntur; attamen nihil probrosi eorum nominibus affigitur, nihil laudatorii; solum Antiochum IV semel designat : exiit ῥίζα ἁμαρτωλός 1,10 et sacerdotem Alcimum vocat Ἄλκιμον τὸν ἀσεβῆ (7,9). Proelia fere semper breviter eodem paene modo exhibentur : commisit proelium, contritae sunt gentes, fugerunt, persecutus est, ceciderunt eo die octo millia. Accuratam aciei instructae descriptionem invenimus 6,33-47; certamen aliquatenus describitur 9,13-18; singularis modus resistendi et hostes fatigatione vincendi narratur 10,80 seq. Ceterum ars ponendi insidias et per exploratores cognitionem utilem acquirendi et ignibus in castris accensis hostes decipiendi bene nota erat (cf. 9,38; 11, 69; 12,26. 29).

Grata quaedam varietas inducitur ipsa rerum varietate et progressu narrationis : describitur persecutio (cap. 1), rem sacram tuetur Mathathias, filios adhortatur (cap. 2); praedicantur facinora Iudae, eius victoria de Apollonio, Serone, de Gorgia, de Lysia; describuntur caerimoniae sacrae in cultus restauratione (cap. 3. 4); puniuntur gentes hostes Iudaeorum; ipsi Iudaei e medio alienigenarum reducuntur in terram sanctam (cap. 5); res gestae regum Antiochi IV, V, VI, VII, Demetrii I, II, Alexandri, Ptolemaei, ducum Lysiae, Timothei, Cendebaei proponuntur, item praeclara facinora Iudae, Eleazari, Ionathae, Simonis et foedera ab iis inita.

Et quod unum ex praecipuis est praeter res ipsas illorum quoque animi sensus et affectus nobis panduntur et primo quidem brevi quadam significatione variorum animi motuum secundum varias temporum et eventuum conditiones (cf. 3,30. 31; 4,27; 5,54; 6,8. 44; 7,35. 48; 9,6; 10,29. 68; 12,28; 13,7). Dein praesertim eo quod eorum consilia, sententiae, iudicia, proposita, praecepta ita enuntiantur, ut singuli loquentes inducantur et ut alternis sermonibus multa expediantur. Quo narrandi modo liber noster proxime accedit ad alios libros sacros historicos; quoties enim in iis viri et mulieres loquentes fiunt? ita Iosue loquens nobis proponitur Ios. 1,10. 13, respondent v. 16 Rubenitae et Gaditae; et 2,1 loquitur Iosue, 2,3 rex Iericho, v. 4. 9 Rahab, v. 16 exploratores, v. 16 Rahab, v. 17 exploratores, v. 21 Rahab, v. 24 exploratores; item Iud. 4,6 Debora, v. 8 Barac, v. 9 Debora, v. 14 Debora, v. 18 Iahel, v. 19 Sisara, idem v. 20; item 1 Sam. 1,8 Elcana,

v. 11 Anna, v. 14 Heli, v. 15 Anna, v. 17 Heli, v. 18 Anna, eadem v. 22 et v. 26, v. 23 Elcana etc. Alternis sermonibus res et affectus, consilia proponuntur.

Iam idem largissime cernitur in nostro libro : 1,11 loquuntur viri iniqui ex Israel, 2,7 loquens fit Mathathias, 2,17 loquuntur missi ab Antiocho, v. 19 respondet Mathathias; idem v. 27; v. 33. 34 recitantur sermones alterni inter oppugnantes et oppugnatos, v. 37. 40. 41 loquuntur milites; v. 49 seq. Mathathias; 3,14 loquens fit Seron, v. 17 milites Iudae, v. 18 Iudas, v. 43 milites, v. 50 fundentes orationem inducuntur, v. 58 loquitur Iudas, 4,5 Gorgias, v. 8 Iudas, idem v. 19. 30, v. 36 Iudas et fratres eius; 5,17 Iudas, idem v. 19. 32, v. 38 exploratores, 5,40 Timotheus, v. 48 Iudas, v. 57 Azarias; 6,10 Antiochus, v. 22 impii, v. 57 Lysias; 7,3 Demetrius I, v. 6 impii, v. 14 Assidaei; 7,15 Alcimus, v. 18 populus, v. 28 Nicanor, idem v. 35, v. 37 sacerdotes, v. 40 refertur Iudae precatio; 8,20 loquuntur legati; 9,8 Iudas, v. 9 eius milites, v. 10 Iudas, v. 28 amici Iudae, v. 44 Ionathas, v. 58 iniqui; 10,4 Demetrius I, v. 16 Alexander Balas, v. 22 Demetrius, v. 52 legati Alexandri, v. 55 Ptolemaeus, v. 63 Alexander, v. 70 Apollonius per legatos; 11,9 Ptolemaeus per legatos, v. 42 Demetrius II per legatos; 12,3 legati; 12,44 Tryphon; 13,3 Simon, v. 8 populus, v. 15 Tryphon per legatos, v. 46 obsessi; 15,28 Antiochus VII per legatos, v. 33 Simon; 16,2 Simon.

Quae omnia oratione directa efferuntur. Plurimis istis soliloquiis et colloquiis singuli cum suis cogitationibus, consiliis, affectibus quasi praesentes sistuntur; ipsa narratio fit perspicua et dilucida et hac sua varietate grata legentibus. Raro argumentum epistolae, seu mandatum effertur oratione indirecta (cf. 9,60; 10,4. 6).

Narratio texitur ordine temporis. Cui ordini non obstat quod 6,1 seq. de Antiocho IV referuntur quae ratione temporis spectant ad cap. 4. 5; neque quod cap. 8 simul omnia de foedere romano narrantur. Per modum parenthesis et explicationis necessariae inseritur 9,35-42; nam cum 9,34 dictum sit Bacchidem venisse trans Iordanem, Ionathas autem in antecedentibus solum versatus esse referatur cis fluvium, debuit inseri qua occasione ipse Ionathas ante Bacchidem venerit in regionem transiordanicam; quare 9,43 iterum auctor redit ad id quod iam 9,34 scripserat. Pariter inter 11,74 et 12,24 inseritur narratio de foederibus cum Romanis et Spartiatis renovatis; ubi ipse auctor accurate designat tempus. Nam 11,74 scribit Ionathan reversum esse in Ierusalem victoria deducibus Demetrii II reportata, et 12,24. 25 narrat duces illos maiore exercitu collecto rediisse et Ionathan exiisse ab Ierusalem ad eos oppugnandos. Nihilominus *Wellhausen* contendit illam

renovationem loco esse inclusam quam ineptissimo (Israel. Geschichte, 2. ed. p. 255); verum falso ipse rem narrat; nam, uti ipsa expositione patet, renovatio non inseritur inter victoriam et persecutionem exercitus victi (quae collocatio utique esset summopere inepta) sed 12,24 altera describitur expeditio, prout auctor sacer clare indicat et v. 25 aperte affirmat scribens : non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem eius; illis obviam ivit εἰς τὴν Ἀραθῖτιν χώραν. Insuper quomodo fieri posset ut exercitus syrus fusus fugatusque ad lacum Genesar, quem Iudaei victores persequuntur, fugam caperent Ierusalem versus? id quod tamen *Wellhausen* supponere debet, nisi ad fabulas reiicere voluerit quae 11,74 et 12,24. 25 narrantur.

Narratione de oppugnatione Dorae arcis incepta 15,13. 14, refertur, quales epistolas legati Simonis a Roma retulerint v. 15-24 et dein v. 25 pergitur in narratione oppugnationis. Ipsa serie ostenditur quomodo pugna Antiochi VII contra Tryphonem et eius a Simone abalienatio in idem inciderit tempus (cf. 15,27. 37. 39).

Narrationem esse fide dignam supra iam indicatum est. Atque quae apud veteres scriptores, Polybium, Appianum, Diodorum siculum, Livium, Iustinum de hisce regibus ac temporibus narrantur, narrationi nostri libri congruunt et illustrantur, supplentur quoque nostra narratione (cf. Comment.). Sermonibus alternis et soliloquiis ea inest veritas, ut iis rite exhibeantur consilia et affectus singulorum. Immerito afferrentur contra libri veritatem quae dicuntur 1,7 de testamento Alexandri, 8,1 seq. de Romanis, 12,7 de cognatione Iudaeos inter et Spartiatas. Nam nemo potest auctori vitio vertere vel eum reprehendere, si opiniones popularium fideliter narrat.

Si itaque erat opinio pervulgata Alexandrum regnum divisisse inter duces, sacer auctor eam referre poterat sine ullius erroris culpa vel suspicione; quae 8,1 seq. leguntur ea sunt quae Iudas de Romanis audivit; plebis itaque opiniones referuntur et iis nos docemur qualiter eo tempore de Romanis iudicatum sit ab iis qui ipsi eos nondum norunt neque experti erant. Nemo postulabit ab auctore sacro, ut eiusmodi opiniones refutet, corrigat vel eas ut partim falsas partim exaggeratas traducat. Undenam id praestare posset?

Idem valet de cognatione illa Iudaeorum ac Spartiatarum, quam affirmatam videmus in epistolis Ionathae et Arii regis (12,7. 21). Talem fuisse opinionem etiam 2 Mach. 5,9 elucet. Nihil quoque refert, si auctor narrans de conamine Antiochi sacrilego nomen urbis ignoravit (6,1); numerus ille 32 militum de quovis elephanto pugnantium est utique falsus; verum in numeris facillime irrepere menda quis ignorat? ad 7,32 testes variant vel 5000 vel 500; item ad 16,10 vel

2000, vel 3000 vel 1000. Pariter immerito opponeretur contra 10,49. 50 teste Iustino duo proelia esse commissa et in priore Demetrium fuisse victorem (Iust. 35,1); altero enim proelio eodem teste Iustino Alexander Demetrium victum vita et regno spoliavit. Id unum sacer auctor pro re sua refert.

A rerum scriptore antiquo non debet postulari, ut maxima cura investiget atque exponat causas remotas et proximas singulorum eventuum; licebit ei res gestas narrare neglecta vel tacita earum connexione. Quare immerito dubium movet *Fritzsche* de victoriis reportatis de Apollonio et Serone (3,10), quarum quippe causae ac conditiones non perspicerentur satis. At cur Apollonius congregaverit gentes, facile ex conatu Iudae perdendi impios colligitur; cur Seron expeditionem susceperit, clare edicitur 3,13. 14 (cf. *Schenkel*, Bibellexicon III p. 420).

Auctorem sacrum *Geiger* accusat quod studio partium tangatur (Urschrift p. 207. 215 seq.), omnem scil. gloriam rerumque successum solis attribui Machabaeis; si alii quidquam aggredi voluerint, rem male cedere, « ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel » (5,62. 67). Illam cladem Iosepho et Azariae inflictam studio partium ab auctore fingi vel narrari, *Geiger* nullatenus probare potest. Auctor non veretur etiam de Machabaeis referre quae parum gloriae prae se ferunt : confugiunt ad exterorum opem et foedera ; a regibus Syriae constituuntur praesides et pontifices ; saepius in angustiis versantur pressi ab hostibus. Porro arguit *Geiger* auctorem studio partium agi contra pharisaeos eorumque esse adversarium. Putat iram auctoris in eos demonstrari narratione 7,13-15 scil. eo quod refert Assidaeos confisos Alcimo, sacerdoti de semine Aaron, exquisivisse pacem ab eo et Bacchide. Verum quomodo ex hac narratione inimicitiae in Assidaeos colligi possint, non perspicitur. Nonne potius cum omni honore nominantur Assidaei : πρῶτοι οἱ Ἀσιδαῖοι ἦσαν ἐν υἱοῖς Ἰσραήλ — excusatur confidentia eorum : sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos; cum prima eorum mentio fit 2,42, laudantur ἰσχυροὶ δυνάμει, πᾶς ὁ ἐκουσιαζόμενος τῷ νόμῳ et narratur eos statim ab initio se iunxisse Mathathiae eiusque filiis ad proelianda proelia Domini.

Eandem accusationem de partium studio etiam *Niese* profert (Kritik der beiden Makkabäerbücher p. 41 seq.); omnia in id dirigi, ut ex una parte removeatur quiquid umbram quandam reprehensionis afferat et ex altera ut totum tempus illustri quadam specie virtutis et gloriae appareat (p. 43); taceri quod in altero libro saepius efferatur, calamitates populo infligi in poenam peccatorum (p. 5); id solum in

initio subobscure innui; deesse quod in altero referatur de causis et origine persecutionis (die Vorgeschichte), idque omitti probabiliter, quia res parum cedat in honorem Iudaeorum; in documentis multa addi ad gloriam et ad emolumenta populi iudaici (p. 41); et generatim si qua narrantur, quae in altero libro non leguntur, vel si qua non tanguntur ex iis quae in altero continentur, *Niese* statim suspicatur malam auctoris fidem et partium studium.

Qua in re aequum rerum iudicem *Niese* se non praebet. Nam quae reprehensioni vertuntur Iudaeis non tacentur. Causa et origo persecutionis clare attribuitur illis, qui ex Israel exierunt filii iniqui et suaserunt multis, et abierunt ad regem, et recesserunt a testamento sancto et iuncti sunt nationibus etc. 1 Mach. 1,12-16. Porro quanta fuerit apostasia, minime tacetur : 1,45 multi ex Israel consenserunt servituti eius (regis) et sacrificaverunt idolis et coinquinaverunt sabbatum; item narratur 1,55 et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerunt legem et fecerunt malum super terram et effugaverunt (populum) Israel in abditis (graece 1,52 s.); et iterum 2,16 multi ex Israel consentientes accesserunt ad eos (ad sacrificandum idolis).

Porro auctorem minime tacere quae Iudaeis non laudi vertantur, apparet quoque 3,17 et 5,57 seq. 67; impii ex Israel instigant regem ad bellum 6,21-27; Iudae esse inflictam cladem, apparet 6,48; nam pugna facta ascendit exercitus regis contra Iudaeos in Ierusalem; iterum 7,5 seq. viri iniqui et impii ex Israel et Alcimus qui volebat fieri sacerdos apud Demetrium regem agunt contra Iudam et auctores sunt malorum; imo isti *multo plus quam gentes* fecerunt mala filiis Israel (7,23). Alia quae in honorem non vergunt modo allata sunt contra *Geiger :* recurritur ad foedera cum exteris, ab exteris confertur et accipitur sacerdotium. Neque silentio premitur ignavia militum Iudae 9,6. 7 : mortuo Iuda οἱ ἄνομοι i. e. apostatae Iudaei emerserunt in omnibus finibus Israel; isti ἄνομοι suadent Bacchidi eique occasionem indicant, qua possit una nocte comprehendere Ionatham et socios eius (9,58). Eodem modo 10,61 viri pestilentes ex Israel adeunt Alexandrum regem adversus Ionathan; et 11,21 abeunt quidam qui oderant gentem suam, ἄνδρες παράνομοι ad Demetrium contra Ionathan; militibus sociisque Ionathae certe opprobrio est quod 11,70 narratur; fugerunt scil.; vel 16,6 : vidit populum trepidantem; neque spectat ad gloriam Iudaeorum, quod ipse gener Simonis Simonem et filios eius dolo interficit; et fecit deceptionem magnam in Israel et reddidit mala pro bonis (16,15 seq.).

Discrimen quod cernitur est solum in eo quod in altero aliqua explicatius proponuntur; ita crimina sacerdotum, qui neglecto altari,

templo ludis palaestrae operam dant (2 Mach. 4,7-16); at idem indicatur 1 Mach. 1,15 aedificarunt gymnasium, fecerunt sibi praeputia; ibi nominantur Iason, Menelaus, Alcimus; hic solum Alcimus; num propterea auctor incusandus est quod crimen sacerdotum occultare voluerit? attamen reprehenduntur sacerdotes 5,67.

Quae si quis consideraverit aequus rerum iudex, minime dixerit cum *Niese* auctorem de sua gente quantum fieri possit, gloriose narrare, ideoque silentio premere quae minus bene vel male gesta sint. Alia commodius in Commentario expedientur; quae de documentis obicit *Niese,* etiam valde exaggerata sunt; vide supra.

8. *Quando liber compositus sit.*

Ea in quaestione sat magna cernitur doctorum consensio, qua tamen spatium item sat magnum relinquitur, adeoque tempus incertum assignatur. Nam terminus post quem liber scriptus est colligendus est ex 16,23. 24 : « et cetera sermonum Ioannis et bellorum eius et bonarum virtutum et rerum gestarum eius, ecce haec scripta sunt in libro dierum sacerdotii eius, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum ». Solum quaeri potest, sintne haec verba scripta Ioanne Hyrcano superstite, an mortuo. Illud censet *Keil* arguens, quod *ex quo* ἀφ' οὗ solum designet terminum *a quo,* non simul etiam terminum *ad quem* sacerdotii eius. Verum nonne potius *ex quo* indicat terminum *a quo* liber annalium sacerdotii eius initium habuerit? coepti sunt scribi commentarii mox ab initio eius sacerdotii, non solum fere ultimis annis. Illis itaque verbis, prout interpretes communiter intelligunt, Ioannem iam vita functum esse fere supponitur. Ergo liber scriptus est post mortem Ioannis i. e. post 105 ante Chr. Certo etiam scriptus est antequam Iudaei Romanos experti sint adversarios. Id pro certo habent ex eo quod Iudaei solum de iis audierint iique in libro laudantur. Quae ratio tamen non valde firma videtur. Nam auctor libri res gestas simpliciter refert nullo suo iudicio interposito; ita narrat quae tempore Iudae Iudaei audierint et putaverint; cum itaque uti alias ita hic quoque suam minime proferat de rebus hominibusque sententiam, non erit consultum eius silentium in locum argumenti afferre. Quare censent ex tali silentio librum scriptum intra 105 et 63 ante Ch.

Tempus tamen accuratius posse determinari mihi videtur. Etenim auctor libro suo describit quomodo rebus praeclare gestis Hasmonaei ad pontificatum et principatum pervenerint et quam merito haec dignitas Simoni iure hereditatis sit attributa. Eam dignitatem satis servavit Ioannes; verum qui post eum secuti sunt Aristobulus I,

Alexander Iannaeus gloriam dynastiae adeo obscurarunt, ut auctorem quendam pium potius dolorem manifestaturum esse credendum sit, quod talis stirps consecuta sit principatum. Verum cum auctor noster pius, legis observantissimus, laudes et praeconia Hasmonaeorum annuntiet, merito censendum erit eum scripsisse, antequam pernicies eius stirpis manifesta facta sit; proinde vel ultimo tempore Ioannis (rebus eius scil. gestis) vel mox post eius mortem. Ad quod tempus etiam aptum est, vel saltem ei nullatenus contradicit quod 13,30 legitur monumentum in Modin erectum (scil. 143 ante Ch.) exstare usque in hunc diem.

Versionem graecam haud diu postea esse adornatam ex eo colligere licet, quia Hellenistae librum hunc in suum receperunt canonem (cf. *Cornely*, Introd. II, 1,2. ed. n. 154). Ea versione Iosephus quoque usus est.

Anno 1896 in bibliotheca parisiensi *Chwolson* reperit in codice hebraeo quodam maiores partes libri huius prioris lingua hebraea expressas. Textum hunc hebraeum denuo edidit et variis disquisitionibus illustravit *Dr. Abraham Schweizer* : Untersuchungen über die Reste eines hebr. Textes vom 1. Makkabäerbuch, Berlin 1901. Textus iste modo brevior est modo diffusus magis; alio quoque ordine dispositus; videtur potius esse epitome quaedam adornata pro lectione in die festo dedicationis templi. Nondum constat sitne textus hic agnoscendus desumptus a vero et genuino textu hebraeo huius libri qui olim exsistebat, an sit potius versio satis libera (cf. quae scripsit *Dr. Vetter* in Theol. Quartalschrift 1901 p. 600 seq.).

9. *De textibus versionum.*

1. Textus graecus nobis servatus est in codice sinaitico (ℵ), alexandrino (A) et in veneto-marc. saeculi 8 vel 9 (signatur n. 23); praeter hos codices unciales reperitur in pluribus minusculis qui numeris signari solent; sunt praecipui : 19 (saec. 10), 52 (saec. fere 10), 56 (saec. 12), 62 (saec. 13); vel secundum aetatem eorum probabilem : ex saec. 10 : 19. 52. 64. 134. 243; ex saec. 12 : 55. 56. 74; ex saec. 13 : 62. 71; ex saec. 14 : 93. 106. 107. Aequalitate textus inter se cognati sunt : A, 52. 56. 106; item 19. 64. 93 et versio syra; 23. 64 (cf. *Gr. Fr.*). Descriptionem codicum praebent *Holmes* et *Parsons* in apparatu critico et ex eo *Gr.* p. XXXII.

Textus graecus receptus reperitur in editione sixtina 1587, quae praecipue adornata est ex codice 23 (codice veneto) et minusculis. Editiones sunt : Valentinus *Loch*, Vetus Testamentum graece (2. ed. Ratisbonae 1886, p. 882 seq.), *Tischendorf*, Vetus Test. graece (t. 2.

ed. 2, Lipsiae 1856, p. 507 seq.) dat editionem sixtinam et in notis lectiones variantes ex codice alexandrino; *Fritzsche*, Libri apocryphi veteris Testamenti (Lipsiae 1871, p. 203 seq.), textum recensuit atque constituit ex ℵ, A, 23 aliisque minusculis; *Swete*, The Old Testament in Greek (Cambridge III vol. p. 594 seq.) textum praebet codicis alex. cum variantibus ex ℵ et 23.

Textum in Commentario dedi plerumque ex editione *Fritzsche* cum aliquibus tamen mutationibus, de quibus in Comm. suo loco agetur.

2. Ut hodie omnes fatentur, versio syra ex graeco textu fluxit et eo quidem generatim, qui codd. 19. 64. 93 continetur et textus Luciani censetur. Versio haec prima vice impressa est in bibliis polyglottis Parisiensibus tomo nono; dein in Londinensibus tomo quarto, additis in tomo sexto lectionibus variantibus, quae depromptae sunt ex duobus codicibus (Ussher, Pococke, u, p). Recenti tempore textum edidit *de Lagarde*, Libri vet. Test. apocryphi, syriace (Lipsiae 1861); sequitur codicem nitriensem (Brit. Mus. 14446 saec. 7) quem ipse contulit; et hoc textu ego usus sum in Commentario signo S.

Generatim satis fideliter textum graecum sequitur, quamvis in minoribus saepe maiore libertate textum reddere videatur; ita saepe additur *omnis* etc.; adduntur pronomina possessiva, mutatur collocatio vocabulorum, numerus; adduntur particulae; modus passivus mutatur in activum etc. De qua re fusius agit *Schmidt* in periodico Zeitschrift für alttestamentliche Wissenschaft 1897 p. 4-17. Id frequentissime cernitur ut unum verbum graecum exprimatur duobus v. g. 1,1 percussit et occidit; 1,17 in virtute gravi et magna; item 1,29; 1,36 in scandalum et offensionem malam; 2,40 celeriter nos perdunt et auferunt a terra; 3,2 cum iucunditate et gaudio; 3,7 exacerbavit et angore affecit — gaudio affecit et laetificavit; 3,15 castra magna et fortia; 3,23 exsiliit et irruit in eos; 3,33 donec reverterentur et venirent; 3,41 vincula et compedes; 5,15 ut nos delerent et conficerent; 5,31 vox cornuum et clamor pavidus multorum; 6,39 cum apparebat et lucebat sol; 6,45 in fortitudine et audacia in medium castrorum et phalangum; 6,59 et irati sunt et succensuerunt; 7,26 ut perderet et auferret populum; 7,42 contere et frange; 8,11 vastabant et spoliabant et in captivitatem redigebant et in servitutem eos reducebant; 8,31 quare aggravasti et durum fecisti iugum tuum? 8,32 faciemus eis ultionem et iudicium; 9,15 et contritum et dissolutum est cornu dexterum; 9,23 apparuerunt et visi sunt; 9,73 coepit perdere et destruere ex eo malos; 10,43 qui fugient et refugium quaerent; et similiter saepe. Ubi graece habetur coelum pro Deo; clamare ad

coelum, versio praebet communiter habitatorem coeli; cf. 3,50. 60; 4,10. 24. 40. 55; 9,46; etiam habetur pro coelo Dominus qui in coelo (4,24). Alia in Commentario notata sunt (signo S).

Fertur quoque altera versio syra (usque ad 14,25) in codice Ambrosiano ex saeculo sexto, quem codicem edidit *Ceriani* (Translatio syra photolithographice edita, Mediolani 1876); versio haec legitur p. 592-615. Ea in multis plus minusve differt a syra simplici et arctius sequitur textum graecum. Quae mentione digna esse videbantur notavi in Commentario signo s. De ea agit Schmidt l. c. p. 233 seq. qui censet eam versionem pertinere ad familiam codicum ℵ, 23. 52. 55. 56.

3. Duo quoque textus latini circumferuntur. Antiquior ille exhibetur apud Sabatier (Bibliorum sacr. latinae versiones antiquae, vol. II p. 1017 seq.) ex codice sangermanensi, usque ad cap. 14; integer textus dicitur prostare in codice complutensi in bibliotheca universitatis Milani (cf. *Ks.* p. 33). Textus qui in vulgata habetur est idem ille textus, solum emendatus et sermone comptiore editus. Uterque textus ex vulgari textu graeco fluxit (cf. *Fritzsche* l. c. p. XX). Alia quoque reperta sunt fragmenta versionum latinarum, de quibus consuli possunt *Kennedy* in Hasting, A Dictionary of the Bible III, 60, *Berger*, Notices sur quelques textes latins inédits de l'Ancien Testament in Notices and Extraits XXXIV, 2. partie (1895); Histoire de la Vulgate (1893, 23. 392); *Mercati*, Revue biblique 1902 p. 184 sq.

10. *Subsidia interpretationis.*

Apud SS. Patres nulla invenitur explicatio librorum Mach. Solum aliquae orationes in laudem Eleazari septemque fratrum martyrum (2 Mach. 6. 7) in eorum operibus exstant; ita *S. Gregor. naz.* or. in laudem Mach. (*M.* 35,911); *S. Chrysost.* orationes tres (*M.* 50,617); *S. Gaudentii* De Mach. (*M.* 20,948); *S. August.* in sollem. SS. Mach. serm. duo (*M.* 38,1376), *S. Valeriani* De Mach. (*M.* 52,746). Libros hos tandem aliqua ratione explicavit, potissimum ad applicationes proponendas, *Rhabanus Maurus* (*M.* 109, 1125-1256). Historiam satis breviter perstringit; plura solum refert de Alexandro Magno; aliquos per decursum libri recitat locos ex Iosepho, Trogo Pompeio, Iustino, ex Chronico Eusebii et Hieronymo; ceterum nomina et res gestas piorum maxime transfert ad agendi modum et propagationem evangelii apostolorum et sanctorum; in regibus et ducibus alienigenarum adumbratos cernit animos moresque haereticorum et schismaticorum, in Antiocho Epiphane typum antichristi. Ex eo penitus

deprompsit *Walafridus Strabo* Glossam in ll. Mach. (cf. *M.* 114,64).

Commentarios qui interpreti utilitatem afferunt condiderunt *Serarius* S. I. (Moguntiae 1599; Lutetiae Parisiorum 1611 etc.), *C. Sanctius* S. I. (Lugduni 1628), *Cornelius a Lapide*, ex cuius explicatione *Tirinus* S. I. suos breves composuit commentarios, *Calmet*; notae variorum praebentur in opere : Biblia cum selectissimis litteralibus Commentariis (Venetiis 1749) et in Criticis sacris. Auctoritatem historicam librorum Mach. asseruit *Froelich* S. I. in opere : Annales compendiarii regum et rerum Syriae nummis veteribus illustrati (Viennae 1744). Contra quem scripsit lutheranus Fried. *Wernsdorf* (Prolusio de fontibus historiae Syriae in libris Mach., Lipsiae 1746), qui varias narrationes fide destitui historica asseruit. Contra quem *Froelich* aliud edidit opus : De fontibus historiae Syriae in libris Mach. prolusio in examen vocata (Viennae 1746). Dein in arenam descendit frater Friederici *Gottlieb Wernsdorf* : Commentatio hist. crit. de fide l. M. (Vratisl. 1747); cuius conatus criticus in plerisque putidus ab ipsis protestantibus iudicatur (seine Kritik ist vielfach kleinlich und peinlich, sophistisch und chicanirend, ita *Grimm*, Exegetisches Handbuch zu den Apokryphen, 3. fasc. p. XXI; similiter *Keil*, Commentar über d. B. Mach. p. 18). Contra eum scripsit suppresso nomine *Ios. Khell* S. I. : Auctoritas utriusque libri Mach. canonico-historica adserta et Froelichiani Annales Syriae defensi adversus commentationem hist. crit. G. Wernsdorfii, Viennae 1749. Adversarius iam nihil reposuit.

Ex recentiore tempore notandi sunt : Fr. X. *Patritii* S. I. De consensu utriusque libri Mach., Romae 1856; *Gillet*, Les Machabées, Paris 1880; Dr. *Hugo Weiss*, Iudas Makkabaeus, Freiburg i. B. 1897; F. de *Saulcy*, Histoire des Machabées, Paris 1880; *Fillion*, La sainte Bible commentée, t. 6, Paris 1896; *P. Piffard* S. I. La sainte Bible par Crampon, t. III. Les livres des Machabées (Paris, Tournai 1901).

Ex protestantibus. C. L. W. *Grimm*, Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zu den Apokryphen, 3. 4 fasc. Leipzig 1853. 1857; C. F. *Keil*, Commentar über die Bücher der Makkabäer, Leipzig 1875; *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel, 4. t., Göttingen 1864; *Wellhausen*, Israelitische und jüdische Geschichte, Berlin 1895; *Niese*, Kritik der beiden Makkabäerbücher, Berlin 1900.

Die Apokryphen und Pseudepigraphen des alten Test., edidit *Kautzsch* 1900; priorem librum ipse explicavit; alterum *Kamphausen* notis instruxit; *Laqueur*, Kritische Untersuchungen zum 2. Makk. 1904 (de quo libro iudicium tulit minime favens *Schürer*, Theol. Literaturzeitung 24 Dec. 1904). David Mozes *Sluys*, De Maccabaeorum libris I et II quaestiones; Amstelodami 1904.

11. *De divisione libri.*

In introductione quadam historica indicatur occasio malorum quae Antiochus Epiphanes populo intulit. Istis autem malis factum est, ut Mathathias eiusque filii pro tuenda fide et lege bellum moverent contra regem (1,1-2,70). Dein tribus partibus enarrantur res gestae Iudae (3,1-9,22), fratris eius Ionathae (9,23-12,54), fratris eius Simonis (13,1-16,16)[1].

1. Quae per compendia expressi, ex antecedentibus satis patent: Gr Grimm, Fr Fritzsche, K Keil, Ks Kautzsch., etc.

INTRODUCTIO

QUA OCCASIONE BELLUM MOTUM SIT (1,1-2,70).

1. *Prooemium de regno Alexandri et successorum* 1, 1-10.

1, 1. *Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Graecia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum et Medorum,* 2. *constituit proelia multa, et obtinuit omnium munitones et interfecit reges terrae,* 3. *et pertransiit usque ad fines terrae et accepit spolia multitudinis gentium et siluit terra in conspectu eius.* 4. *Et congregavit virtutem et exercitum fortem nimis, et exaltatum est et elevatum cor eius,* 5. *et obtinuit regiones gentium et tyrannos et facti sunt illi in tributum.* 6. *Et post haec decidit in lectum et cognovit quia moreretur;* 7. *et vocavit pueros suos nobiles qui secum erant nutriti a iuventute et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret;* 8. *et regnavit Alexander annis duodecim et mortuus est.* 9. *Et obtinuerunt pueri eius regnum, unusquisque in loco suo,* 10. *et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius et filii eorum post eos annis multis et multiplicata sunt mala in terra.*

1,1. Καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ πατάξαι Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου τὸν Μακεδόνα, ὃς ἐξῆλθεν ἐκ τῆς γῆς Χεττιείμ, καὶ ἐπάταξε τὸν Δαρεῖον βασιλέα Περσῶν καὶ Μήδων καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ, πρότερον ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. 2. Καὶ συνεστήσατο πολέμους πολλοὺς καὶ ἐκράτησεν ὀχυρωμάτων πολλῶν, καὶ ἔσφαξε βασιλεῖς τῆς γῆς, 3. καὶ διῆλθεν ἕως ἄκρων τῆς γῆς καὶ ἔλαβε σκῦλα πλήθους ἐθνῶν· καὶ ἡσύχασεν ἡ γῆ ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ ὑψώθη καὶ ἐπήρθη ἡ καρδία αὐτοῦ. 4. Καὶ συνήγαγε δύναμιν ἰσχυρὰν σφόδρα καὶ ἦρξε χωρῶν καὶ ἐθνῶν καὶ τυράννων καὶ ἐγένοντο αὐτῷ εἰς φόρον. 5. Καὶ μετὰ ταῦτα ἔπεσεν ἐπὶ τῆν κοίτην καὶ ἔγνω ὅτι ἀποθνήσκει· 6. καὶ ἐκάλεσε τοὺς παῖδας αὐτοῦ τοὺς ἐνδόξους τοὺς συνεκτρόφους αὐτοῦ ἀπὸ νεότητος καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ἔτι ζῶντος αὐτοῦ. 7. Καὶ ἐβασίλευσεν Ἀλέξανδρος ἔτη δώδεκα καὶ ἀπέθανε. 8. Καὶ ἐκράτησαν οἱ παῖδες αὐτοῦ ἕκαστος ἐν τῷ τόπῳ αὐτοῦ, 9. καὶ ἐπέθεντο πάντες διαδήματα μετὰ τὸ ἀποθανεῖν αὐτὸν, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτῶν ὀπίσω αὐτῶν ἔτη πολλὰ καὶ ἐπλήθυναν κακὰ ἐν τῇ γῇ.

In v. 1 vulgo προτερος, sed ℵ A aliq minusc προτερον quod etiam S exprimit; et quidem s et ipse antea in Iavan; S antea autem regnavit in Hellade. In v. 6 s decidit in morbum.

Brevi mentione regni Alexandri sacer auctor narrationem suam prioribus libris quasi annectit — nam sub imperio regum Persarum descriptus est populus Dei in libris Esdrae, Nehemiae, in libro Esther — et simul sibi parat transitum ad suum argumentum. Illud ipsa illa formula καὶ ἐγένετο indicari videtur; ita enim prisci quoque rerum

scriptores sacri narrationem suam prioribus continuam esse volebant (Ios. 1,1. Iud. 1 Sam. Ruth). Sententia v. 1 in vulg. et syr clara est; graeca constructio est aliquatenus impedita, cum illud καὶ ἐπάταξε inseratur, quod post μετὰ τὸ πατάξαι non erat exspectandum. Illud ἀντ' αὐτοῦ in vulg. non legitur; ne graece inepta dicantur (ac si Alexander pro Dario prius regnasset in Graecia), interpunge post αὐτοῦ et supple verbum : prius regnavit in Graecia; sensum bene exhibet syr : prius autem regnavit in Graecia. Alexander, cognomento magnus, filius Philippi, annos natus viginti regnum Macedoniae capessivit anno 336 a. Ch. et quod eius pater omni studio appetierat et maximam quoque partem adeptus erat brevi antequam occidebatur, id ipse filius plene consecutus est. Nam convocato Amphictyonum senatu ut communi omnium decreto sibi daretur hegemonia Graecorum effecit (δοθῆναι τὴν τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίαν, Diod. 17,4); unde in vulg. *primus regnavit in Graecia,* pariter designarunt eum στρατηγὸν αὐτοκράτορα τῆς Ἑλλάδος ad bellum contra Persas gerendum (Diod. l. c. et 17,16; cf. Arr. 1,1 Iustin. 11,2). Ratione habita expeditionis in Asiam dicitur *egressus de terra Cethim*, quo nomine insulae et orae maritimae maris mediterranei describuntur (cf. Ier. 2,10. Ez. 27,6. Dan. 11,30); copias scil. ex Illyria, Thessalia, Macedonia, Graecia ad Hellespontum progressus ex Europa in Asiam traiecit (Diod. 17,17) anno 334.

Alexander *percussit*, vicit, debellavit (syr) *Darium* III Codomannum, *regem Persarum et Medorum*, quo titulo (ex unione utriusque regionis in unum regnum per Cyrum facta) reges Persarum utebantur (Dan. 5,28; 6,16; 8,20. Esth. 1,14. 18. 19). Primum proelium cum exercitu Persarum commissum est ad Granicum flumen in Mysia, ubi Alexander Spithrobaten, summum Ioniae praefectum Dariique regis generum, sua manu concidit (Diod. 17,20); altero proelio apud Issum Darium ipsum vicit castris et familia regia potitus (Diod. 17,33-36; Arr. 2,7. Iustin. 11,9) idque novembri 333; demum octobri 331 victoriam reportavit apud Gaugamela prope Arbela in regione Adiabene Assyriae; post quam pugnam Darius rex a Besso, Bactrorum satrapa, captus et occisus est (Diod. 17,58 seq. 73; Arr. 3,8 seq. Iustin. 11,14) vel, uti Arrianus narrat, cum Alexander fugientium tergo instaret, Nabarzanes et Barsaentes Darium ab ipsis vulneratum relinquunt, seseque in praecipitem fugam dedunt; neque multo post Darius ex acceptis vulneribus obiit (3,21. 10). Mortuo itaque Dario Alexander ἀντ' αὐτοῦ regnavit; mox quoque mores Persarum habitumque et luxum regum Asiaticorum aemulari coepit et persicum diadema capiti imposuit vestesque regibus Persarum usitatas induit (Diod. 17,77. Iustin. 12,3). Imo, uti refertur, iam proelio ad Issum com-

misso se Asiae regem esse consideravit. Nam ad Darium scribens, quando ad me scribes, inquit, ad Asiae regem scribere te memineris (Arr. 2,14. 9) vel ut Curtius rem narrat : memento non solum regi te, sed etiam tuo scribere (4,1) et « Alexander sua sibi dari rescripsit (Dario) iussitque supplicem venire et regni arbitria victori permittere » (Iustin. 11,12).

Quae praestanda erant, antequam devicto Dario Asiae regnum occuparet, partim recensentur v. 2 *constituit* συνεστήσατο suscepit, paravit, bella multa; nam priusquam in Asiam traiiceret, et Graeciae civitates defectionem molientes in obedientia continere debuit, Thraces, Paeones, Illyrios rebelles perdomuit, contra Thebanos bellum gessit; dein expeditionem in Asiam paravit. Pugna ad Granicum facta fere tota Asia minor iam erat in eius potestate; in Lydiam movens Sardes capit, Miletum in ditionem accipit, Halicarnassum capit; exercitum duxit per Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiam, Paphlagoniam, Kappadociam, Ciliciam, ubi proelium ad Issum commissum est; post quod perrexit in Syriam, Phoenicen; Aradus, Byblos, Sidon deditionem fecerunt, Tyrum obsidione cinxit, Gazam expugnavit, Aegyptum occupavit. Regressus transito Euphrate et Tigride et pugna ad Gaugamela facta in ditionem accipit Babyloniam regionesque adiacentes, et Susa; transit in Persidem et Mediam, Hyrcaniam, Gedrosiam, Arachosiam, Bactriam, Sogdianam, Indiam; anno 326 Indum fluvium attingit. Quibus in itineribus multa certamina et proelia committebantur et multorum munitiones et arces expugnabantur; *et interfecit reges terrae* βασιλεῖς intellige principes, satrapas, nobiles belli duces, ἔσφαξε proprie mactavit; dicitur de trucidatione inermium (LXX 4 Reg. 10,7. 14, Ier. 41,7) captivorum (Ier. 39,6; 52,10; 4 Reg. 24,7), sed adhibetur quoque generatim de occisione gladio facta; hic intellige de multis ducibus in proeliis interfectis, quorum aliquos ipse sua manu interemit; ita Spithrobaten, generum Darii, Ioniae satrapam; eum Mithridatem vocat Arrianus (1,15. 7); eadem in pugna Roesacen quoque prostravit hasta per thoracem in pectus icta, Besso, qui Dario mortuo se regem constituerat, ob eius in Darium perfidiam nares summasque aures praescindi iussit; deinde Ecbatana misit, ut ibi in Medorum Persarumque concilio morte mulctaretur (Arr. 4,7. 3). In pugna ad Granicum multi nobilissimi duces Persarum occumbebant, inter eos Atizyes et Pharnaces, uxoris Darii frater, et Mithrobuzanes dux Cappadocum (Diod. 17,20. 21), Spithridates, Lydiae satrapa, Arbupales, Darii cognatus, Omares, mercenariorum dux aliique quos Arrianus nominat (1,16. 3); inter eos qui ad Issum ceciderunt, nominantur tres duces equitum, Sabaces, Aegypti satrapa, Bubaces vir

nobilissimus (Arr. 2,11. 8). In hoc contextu non erit (cum *Grimm*) cogitandum de aliis quos occidere iussit, de auctoribus conspirationis, ex quibus Philotas, Parmenio, Alexander Lyncestes morte puniti sunt (Diod. 17,80), neque huc trahendum est quod Iustinus habet : proficiscens ad persicum bellum omnes novercae suae cognatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum provehens imperiis praefecerat, interfecit; sed nec suis qui apti regno videbantur pepercit (11,5); vide v. g. de Attalo Diod. 17,2. 5.

Vidit in visione Daniel : ecce hircus veniebat ab occidente super faciem totius terrae et non tangebat terram (8,5; cf. v. 21); idem ut rem gestam tangit auctor noster v. 3 *et pertransiit usque ad fines terrae*, i. e. usque in regionem Indorum, usque ad indicum oceanum (Dion. 17,104; Arr. 5,4 seq. 6,19); Hydaspe flumine transito vicit Porum (Arr. 5,9 seq. Diod. 17,87; Curt. 8,13) et penetravit usque ad Hyphasin flumen (Diod. 17,93. 95. Arr. 5,25. Curt. 9,2); *et accepit spolia multitudinis gentium*; Darius rex ante pugnam ad Issum magnam pecuniae vim et magnificum apparatum regium Damascum miserat; omnis ea pecunia paulo post Damasci capta est a Parmenione ad id ab Alexandro misso (Arr. 2,11. 10); item Arbelis Alexander nactus est pecuniam et omnem apparatum Darii (l. c. 3,15,5) et Susis iterum pecuniam omnem, 50 millia talentùm argenti reliquumque apparatum regium accepit (l. c. 16,7) et, uti Diod. refert, Arbelis quidem invenit magnam victus ornatusque regii et gazae barbaricae copiam et ter mille argenti talenta, et Persepoli quoque thesauros accepit qui a Cyro et deinceps a regibus congesti erant, centum et viginti millia talentum (Diod. 17,64. 3; 71,1; Curt. 5,6) et Parsagadis ei occurrit Orsines satrapa cum omnis generis donis : « equorum domiti greges sequebantur currusque argento et auro adornati, pretiosa supellex et nobiles gemmae, aurea magni ponderis vasa vestesque purpureae et signati argenti talentùm tria millia » (Curt. 10,1. 4). Vide praeterea Diod. 17,66. Curt. 5,2. 8; Plutarch, Alex. 36; Strabo 15,3. 9.

Et gentes semel ab eo devictas tacita submissione paruisse indicatur : *et siluit terra in conspectu eius*; syr et siluit et quievit; eius dominationi subiecti iam non audebant rebellare; cum in regionibus maxime dissitis versaretur, tamen vix quidquam de seditionibus memoriae proditum est; revera regiones subactae siluerunt.

Quibus auxiliis haec obtinuerit, innuitur v. 4 *et congregavit virtutem et exercitum fortem nimis*; in Asiam traiecit ducens levis armaturae et sagittarios non multo plures triginta millia, equitum ultra quinque millia (Arr. 1,11. 3; Diod. 17,17); opportunis temporibus exercitum per milites recens conscriptos supplevit et auxit (cf. Arr.

1,29. 4; 3,16. 10; 19. 6; 24. 4; 25. 4; 4,7. 2; etc... Diod. 17,65. 1) in pugna ad Gaugamela « erat totus Alexandri exercitus, equites ad septem millia, pedites circa quadraginta millia » (Arr. 3,12. 5); insuper ex iis qui se ipsi subiecerunt auxilia assumebat (cf. Arr. 3,23. 4) et ex iuvenibus Persis v. g. triginta millia per tempus bene longum a praefectis et magistris res bellicas Susis edocta et armis macedonicis instructa sunt (Diod. 17,108. 2).

Verum tot victoriis rebusque prospere gestis *exaltatum est et elevatum cor eius*; spiritus superbos ac truces assumpsit, quos adulatores incitabant et augebant dictitantes nulla ratione Castorem et Pollucem cum Alexandro eiusque rebus gestis comparandos esse, imo et ipsum Herculem ab eo superari (Arr. 4,8. 3). Mores regum Persarum aemulatus προσκύνησιν, adorationem postulavit; filium Ammonis se ab ipso deo salutari gratanter accepit (Diod. 17,51,2) neque huic famae unquam contradixit, verum potius fovit opinionem Ammonem potius sibi quam Philippum patrem esse (Arr. 4,9. 9). Partis victoriis ad maiora in dies aggredienda insatiata cupiditate inhiabat; se ulterius quam Bacchum progressurum gloriabatur (Arr. 5,2. 1; 28. 1), similiter aliquam cum Hercule aemulationem haud semel affectabat (Arr. 3,3. 2; 4,28,4). Ad eandem indolem superbam varia referenda sunt facinora : incendium regiae Persepoli (Diod. 17,72), occisio Cliti (Arr. 4,8. 8) etc.

Ab India reversus peragratis regionibus Gedrosiae et Caramaniae venit Susa, Ecbatana, Babylonem (Diod. 17,104-110); obtinuerat quidem *regiones gentium et tyrannos*, reges, satrapas, *et facti sunt illi in tributum* ab Aegypto usque in Indiam. Et quis est tantae magnitudinis humanae exitus? v. 6 *et post haec decidit in lectum et cognovit quia moreretur*, referunt eum post immodicam comissationem in morbum incidisse letalem (Diod. 17,117; Arr. 7,24 seq. Plutarch, Alex. 75 seq.); v. 7 *et vocavit pueros suos nobiles* τοὺς παῖδας i. e. עבד ministros qui in aula et in re militari dignitate et muneribus honorificis potiebantur, qui eius ab adolescentia socii ac comites erant, *et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret*; sensus verborum solus esse potest : singulis ducibus assignavit singulas provincias quibus praeessent; nullo pacto illos esse constitutos reges vel eo sensu regnum eius divisum, patet ex v. 10, in quo explicite effertur, non ex dispositione Alexandri, sed ex suo ipsorum arbitratu eos assumpsisse insignia regia. Narrat Arrianus, Alexandrum cum iam maxime febri laboraret, duobus insequentibus diebus duces convocasse eisque de navigatione mandata dedisse; iussisse quoque ut duces circa aulam versarentur et demum, cum duces ad eum moribundum ingrederentur, eos iam non alloqui potuisse (Arr. 7,25). Refertur quoque eum inter-

rogatum, cuinam regnum relinqueret, respondisse τῷ κρατίστῳ (Arr. 7,26.3); dedisse quoque detractum digito annulum Perdiccae (Diod. 17,117. 3; cf. 18,1. 4). Praeterea notat Arrianus se scire multa alia de eius obitu scripta esse, veluti venenum ei esse administratum. Iactabant Rhodii Alexandrum testamentum de toto regno illic deposuisse (τὴν ὑπὲρ ὅλης τῆς βασιλείας διαθήκην ἐκεῖ θέσθαι, Diod. 18,80. 3). In illa insula Alexandrum condidisse vel deposuisse testamentum, utique manifesta est fabula; at ei tamen subest eaque ostenditur certa quaedam persuasio et pervulgata opinio quaedam ab Alexandro ante mortem esse imperata ac disposita. Et revera plura Alexander scripta reliquit de navibus, portubus, templis exstruendis, de coloniis, quae tamen exsecutioni non mandata sunt, quia recitatis commentariis regis supra modum ardua videbantur (Diod. 18,4). Quare facile explicatur quod Curtius refert : « credidere quidam testamento Alexandri distributas esse provincias » (10,10); ipse quidem addit : sed famam eius rei quamquam ab auctoribus tradita est, vanam fuisse comperimus. Testamenti mentionem etiam ingerit Ammianus Marcellinus : ut bella praetereamus Alexandri et testamento omnem nationem in successoris unius iure translatam (23,6). Eius rei famam etiam apud orientales fuisse, vide apud Herbelot, Bibliothèque orientale p. 297. Ceterum iam Rabanus notat : Alexander non tam ipse regnum divisit, quam illis dividendum reliquit.

Alexandro mortuo Arrhidaeus, filius Philippi, rex est designatus eique additus Perdiccas, cui rex moriens annulum tradiderat, tamquam regni procuratori. Dein distributae sunt provinciae; Ptolemaeus Lagi accepit Aegyptum, Laomedon Syriam, Philotas Ciliciam, Python Mediam, Eumenes Paphlagoniam et Cappadociam, Antigonus Pamphyliam Lyciamque etc.; vide Diod. 18,3. Conditum esse ab Alexandro *testamentum* recentiores communiter negant; cf. praeter *K. Gr. Ks. Droysen*, Beilage zur Gesch. des Hellenismus I p. 696 seq. Ceterum adverte, de testamento ab Alexandro scripto auctorem sacrum minime mentionem inferre; v. 8 *et regnavit Alexander annos duodecim et mortuus est* circa diem 13 Iun. 323 annos natus 32 et 8 menses; v. 9 *et obtinuerunt pueri eius*, i. e. ministri eius et belli duces (cf. v. 7) *regnum, unusquisque in loco suo*, in ea provincia quae cuique fuerat attributa (cf. Diod. 18,3); simili modo scribit Polybius : post mortem Alexandri obtinuerunt τὰς ἄρχας ταύτας Seleucus, Ptolemaeus, Lysimachus (2,71,5); de qua provinciarum distributione referunt etiam Curtius (10,10), Iustinus (13,4). Demum v. 10 *et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius*; id statim post mortem Alexandri factum esse, ex modo narrandi non sequitur; verum morte

v. 8 commemorata et sententia in v. 9 interiecta potius spatium quoddam et intervallum indicatur. Et Iustinus quidem asserit, quamdiu filii regis sui superesse potuerint, neminem eorum regiam sibi vindicasse maiestatem ; « tanta in illis verecundia fuit, ut cum opes regias haberent, regum tamen nominibus aequo animo caruerint, quoad Alexandro iustus heres fuit » (15,3). Populari loquendi modo dicitur *omnes*; non omnes quidem regium nomen assumpserunt; nomine regio recensentur Antigonus in Asia, Ptolemaeus in Aegypto, Seleucus in Babylonia, Lysimachus in Thracia, Cassander in Macedonia circa annum 306. Immerito adscribunt *Gr. Ks.* auctori sententiam eos immediate post regis mortem diademata sibi ut reges imposuisse; in tam succincta narratione, qua auctor prooemii causa ad regna priora regnum Antiochi magni adnectit, eo ipso iam arcta temporis successio excluditur vel saltem neutiquam intenditur; *et filii eorum post eos annis multis et multiplicata sunt mala in terra*, bellis illis quae reges illi inter se gerebant, eorum quoque sceleribus, iniustitiis et oppressione populorum.

2. *Antiochus rex spoliat templum* 1,11-29.

1,11. *Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus Illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romae obses, et regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Graecorum.* 12. *In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui et suaserunt multis dicentes : eamus et disponamus testamentum cum gentibus quae circa nos sunt; quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.* 13. *Et bonus visus est sermo in oculis eorum.* 14. *Et destinaverunt aliqui de populo et abierunt ad regem, et dedit illis potestatem ut facerent iustitiam gentium.* 15. *Et aedificaverunt gymnasium in Ierosolymis secundum leges nationum,* 16. *et fecerunt sibi praeputia et recesserunt a testamento sancto et iuncti sunt nationibus et venumdati sunt ut facerent malum.*

17. *Et paratum est regnum in conspectu Antiochi et coepit regnare in terra Aegypti, ut regnaret super duo regna;* 18. *et intravit in Aegyptum in multitudine gravi, in curribus et elephantis et equitibus et copiosa navium multitu-*

1,10. Καὶ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτῶν ῥίζα ἁμαρτωλὸς Ἀντίοχος Ἐπιφανής, υἱὸς Ἀντιόχου βασιλέως, ὃς ἦν ὅμηρα ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ἐβασίλευσεν ἐν ἔτει ἑκατοστῷ καὶ τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ βασιλείας Ἑλλήνων. 11. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθον ἐξ Ἰσραὴλ υἱοὶ παράνομοι καὶ ἀνέπεισαν πολλοὺς λέγοντες· πορευθῶμεν καὶ διαθώμεθα διαθήκην μετὰ τῶν ἐθνῶν τῶν κύκλῳ ἡμῶν, ὅτι ἀφ' ἧς ἐχωρίσθημεν ἀπ' αὐτῶν εὗρεν ἡμᾶς κακὰ πολλά. 12. Καὶ ἠγαθύνθη ὁ λόγος ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν. 13. Καὶ προεθυμήθησάν τινες ἀπὸ τοῦ λαοῦ καὶ ἐπορεύθησαν πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν ποιῆσαι τὰ δικαιώματα τῶν ἐθνῶν. 14. Καὶ ᾠκοδόμησαν γυμνάσιον ἐν Ἱεροσολύμοις κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐθνῶν. 15. Καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας καὶ ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας καὶ ἐζευγίσθησαν τοῖς ἔθνεσι καὶ ἐπράθησαν τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρόν.

16. Καὶ ἑτοιμάσθη ἡ βασιλεία ἐναντίον Ἀντιόχου καὶ ὑπέλαβε βασιλεῦσαι γῆς Αἰγύπτου, ὅπως βασιλεύσῃ ἐπὶ τὰς δύο βασιλείας, 17. καὶ εἰςῆλθεν εἰς Αἴγυπτον ἐν ὄχλῳ βαρεῖ, ἐν ἅρμασι καὶ ἐν ἐλέφασι καὶ ἐν ἱππεῦσι καὶ

dine; 19. et constituit bellum adversus Ptolemaeum regem Aegypti, et veritus est Ptolemaeus a facie eius et fugit et ceciderunt vulnerati multi, 20. et comprehendit civitates munitas in terra Aegypti et accepit spolia terrae Aegypti.

21. Et convertit Antiochus postquam percussit Aegyptum in centesimo et quadragesimo tertio anno, et ascendit ad Israel, 22. et ascendit Ierosolymam in multitudine gravi, 23. et intravit in sanctificationem cum superbia et accepit altare aureum et candelabrum luminis et universa vasa eius et mensam propositionis et libatoria et phialas et mortariola aurea et velum et coronas et ornamentum aureum quod in facie templi erat et comminuit omnia.

24. Et accepit argentum et aurum et vasa concupiscibilia et accepit thesauros occultos quos invenit et sublatis omnibus abiit in terram suam. 25. Et fecit caedem hominum et locutus est in superbia magna.

ἐν στόλῳ μεγάλῳ, 18. καὶ συνεστήσαντο πόλεμον πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα Αἰγύπτου, καὶ ἐνετράπη Πτολεμαῖος ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ καὶ ἔφυγε, καὶ ἔπεσον τραυματίαι πολλοί. 19. Καὶ κατελάβοντο τὰς πόλεις τὰς ὀχυρὰς ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα γῆς Αἰγύπτου.

20. Καὶ ἐπέστρεψεν Ἀντίοχος μετὰ τὸ πατάξαι Αἴγυπτον ἐν τῷ ἑκατοστῷ καὶ τεσσαρακοστῷ καὶ τρίτῳ ἔτει καὶ ἀνέβη ἐπὶ Ἰσραήλ, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱερουσαλὴμ ἐν ὄχλῳ βαρεῖ, 21. καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἁγίασμα ἐν ὑπερηφανείᾳ καὶ ἔλαβε τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν καὶ τὴν λυχνίαν τοῦ φωτὸς καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς, 22. καὶ τὴν τράπεζαν τῆς προθέσεως καὶ τὰ σπονδεῖα καὶ τὰς φιάλας καὶ τὰς θυΐσκας τὰς χρυσᾶς καὶ τὸ καταπέτασμα καὶ τοὺς στεφάνους καὶ τὸν κόσμον τὸν χρυσοῦν τὸν κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ καὶ ἐλέπισε πάντα. 23. Καὶ ἔλαβε τὸ ἀργύριον καὶ τὸ χρυσίον καὶ τὰ σκεύη τὰ ἐπιθυμητὰ καὶ ἔλαβε τοὺς θεσαυροὺς τοὺς ἀποκρύφους οὓς εὗρε. 24. Καὶ λαβὼν πάντα ἀπῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ. Καὶ ἐποίησε φονοκτονίαν καὶ ἐλάλησεν ὑπερηφανείαν μεγάλην.

26. Et factus est planctus magnus in Israel et in omni loco eorum,
27. et ingemuerunt principes et seniores, virgines et iuvenes infirmati sunt, et speciositas mulierum immutata est;

28. omnis maritus sumpsit lamentum, et quae sedebant in thoro maritali lugebant;
29. et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Iacob induit confusionem,

25. Καὶ ἐγένετο πένθος μέγα ἐπὶ Ἰσραὴλ ἐν παντὶ τόπῳ αὐτῶν,
26. καὶ ἐστέναξαν ἄρχοντες καὶ πρεσβύτεροι, παρθένοι καὶ νεανίσκοι ἠσθένησαν, καὶ τὸ κάλλος τῶν γυναικῶν ἠλλοιώθη.

27. πᾶς νυμφίος ἀνέλαβε θρῆνον, καὶ καθημένη ἐν παστῷ ἐγένετο ἐν πένθει,
28. καὶ ἐσείσθη ἡ γῆ ἐπὶ τοὺς κατοικοῦντας αὐτὴν, καὶ πᾶς ὁ οἶκος Ἰακὼβ ἐνεδύσατο αἰσχύνην.

In v. 15 ἐζευγισθησαν ℵ A pl minusc, vulgo ἐζευχθησαν. v. 18 συνεστησατο A S s vulg; etiam v. 19 singular s vulg; plural S.

Tempore bellorum inter successores Alexandri (διάδοχοι qui nominari solent) Palaestina, inter Aegyptum ac Syriam media, ab utra-

que parte afflicta modo dominatori Aegypti parebat, modo regi Syriae. Saeculo tertio a. Ch. plerumque Ptolemaeis, Aegypti regibus, subiecta erat; sed saeculo secundo ineunte Antiochus qui Magnus dicitur Palaestinam et Phoenicem regno Syriae, regno scil. Seleucidarum adiunxit (Cf. Polyb. 16,39. 3; Ios. Ant. 12,3. 3).

De posteris filiorum τῶν διαδόχων unum commemorat sacer auctor, illum scil. qui populum Dei maxime oppressit, sacrilegum bellum contra cultum Dei gessit, ita auctor exsistens, ut pii Dei cultores maxima animorum fortitudine pro religione certantes gloriam acquirerent immortalem; v. 11 *et exiit ex eis radix peccatrix* ex iis exorta est soboles scelesta (s radix impietatis), ῥίζα, radix, germen cf. Is. 11, 10. Eccli. 47,25 radix David Apoc. 5,5; 22,16; *ex iis* : illorum indolem moresque in se expressit quasi ab eis hereditate accepta et insita, *Antiochus Illustris*, Epiphanes (cf. 2 Mach. 4,7), quod cognomen pluribus regibus est inditum, ita Seleuco VI, Ptolemaeo V, regibus quoque Parthorum. apud Romanos aliquibus imperatoribus eorumque filiis titulus tribuebatur ἐπιφανέστατος, nobilissimus; refert Appianus, eum apud Syros illud cognomen accepisse, quia cum alieni regnum ad se rapuissent, βασιλεὺς οἰκεῖος ὤφθη (Syr. 45).

Filius erat Antiochi III cognomento Magni, qui regnavit 223-187; a Romanis in pugna ad Magnesiam 189 devictus inter alias conditiones pacis etiam viginti obsides dare debuit, et senatus romanus decrevit, ut tertio quoque anno mutaret obsides excepto Antiocho filio (App. Syr. 39). Mansit itaque Antiochus obses Romae fere usque ad annum 176, scil. donec alter filius Antiochi III, Seleucus IV Philopator (187-175) in sui fratris vicem Demetrium, filium suum, Romanis obsidem dedit. Quo facto Antiocho domum redire licuit. Qui ubi Roma Athenas pervenit, Seleucus insidiis Heliodori cuiusdam aulici occisus est. Heliodorum regno expulerunt Eumenes et Attalus Antiochumque in possessionem deduxerunt regni, quod proprie pertinebat ad Demetrium, filium Seleuci (cf. App. 45). Regnavit Antiochus per undecim annos 175-164. De eius indole et moribus veteres referunt : novam ceterisque regibus insolitam vitae rationem assumebat; clam e regia egressus per urbem temere vagabatur; cum plebeiis et infimae sortis hominibus versari ac compotare honori ducebat; in iuvenum convivium subito cum tibia et symphonia irrumpebat lasciviens et comessabundus; dempta veste regia toga amictus, perinde ac Romae a candidatis fieri viderat, salutabat ac prehensabat obvium quemque, illos amplectens et rogans, ut pro se suffragium ferrent; aliis dono dabat talos, aliis palmulas, aliis aurum; in publicis balneis cum frequentissima plebe lavabatur etc. ita, ut alii viri simplicitatem, alii ἀλογίαν,

alii eius insaniam μανίαν declararent; quare Polybius eum Ἐπιμανῆ, non Ἐπιφανῆ, vocat (Pol. 26,10. Diod. 29,32). Ceterum alio loco Diodorus de eo scribit : erant consilia quaedam Antiochi et facta regia et admiratione digna; quaedam contra abiecta adeo et vilia, ut ab omnibus plane sperneretur (31,16. 1); de pompa magnifica et ludis apud Daphnen celebratis narrat Polybius (31,3 seq.); praeterea cf. Müller, Fragm. hist. gr. 3,186; Livius 41,20.

Antiochus *regnavit in anno 137 regni Graecorum*, secundum aeram Seleucidarum, cuius annus primus incipit ab autumno anni 312 a. Ch. Vocantur a Iosepho anni regni Assyriorum; eorum initium ipse quoque assignat : ex quo Syria potitus est Seleucus cognomine Nicator (Ant. 13,6. 7). Eius quippe initium sumitur a victoria quam Seleucus Nicator reportavit de Nicanore, duce Antigoni, cui victoriae acceptum refertur regnum Seleucidarum. Hanc temporis computationem etiam sacer auctor sequitur. Solum quaeritur sumpseritne initium anni ab autumno i. e. a prima die mensis tischri, an a vere a prima nisan. Aera quidem Seleucidarum ab autumno computatur; verum auctorem nostrum a vere incipere, probasse omnino videtur *Schürer* (Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu 3. ed. I p. 34 seq.) ad quem *Ks.* quoque pro ea sententia provocat. Vide ad 1 Mach. 7,1; 10,1; eandemque sententiam antea iam pluribus propugnavit *Patritius* (De consensu utriusque l. Mach. p. 33-41), et consentit *Fillion*.

Respublica iudaica constituta sub pontifice et subiecta, ut olim Persis, ita modo regno Seleucidarum, arctis limitibus regionis Iudaeae fere concludebatur. Ad eam non pertinebat Samaria, neque urbes littorales; in quibus plerumque alienigenae habitabant. In Palaestina sat multae erant civitates seu coloniae graecae et 2 Mach. 6,8 nominantur πόλεις Ἑλληνίδες in vicina Iudaeae regione. Extra ipsam Iudaeam sat multi Iudaei habitabant in Galilaea, Samaria, in regione transiordanica, Graecis intermixti. Unde Iudaei quoque mores Graecorum eorumque vitae instituta ex consuetudine atque commercio noscere incipiebant, et, ut fieri solet, mox aliquibus cultum illud vitae genus arrisit. Quare v. 12 *in diebus illis exierunt ex Israel viri iniqui*, 2 Mach. 4,7 discimus id fuisse initio regni Antiochi eorumque principem fuisse Iasonem, fratrem Oniae. In medio populo Dei exstiterunt (cf. Deut. 13,14) παράνομοι, legis violatores, viri improbi (s); υἱοὶ παράνομοι apud LXX 2 Par. 13,7 iidem sunt qui hebr. filii Belial (cf. 3 Reg. 21,10. 13), S filii iniquitatis (עולא); ita apostatae a lege vocantur passim in libro ἄνομοι, ἄνδρες παράνομοι, λοιμοί, ἐργάται τῆς ἀνομίας, ἐργαζόμενοι τὴν ἀδικίαν, ἀσεβεῖς, καταλιπόντες τὸν νόμον; isti alios quoque in suam apostasiam pertrahere conabantur : *eamus et disponamus testa-*

mentum, agite, ineamus foedus *cum gentibus*; testamentum in vulg. plerumque significat foedus (Ex. 30,26 arca testamenti etc. Matth. 26, 28 sanguis meus novi testamenti etc.); quale foedus intelligant, patet ex subsequentibus: inire volunt vitae ac morum societatem relictis institutis paternis. Lege autem divina cautum erat, ne inirent foedus cum Cananaeis aliisque terrae incolis (Deut. 7,2 seq.). Quod olim de iis praeceptum erat, ne scil. in perversionem atque idololatriam inducerentur, idem ex pari ratione applicandum erat ad Syros, Phoenices, Graecos. Ex ea autem cum gentibus societate sibi promittunt prosperitatem. Suam populi historiam egregie pervertunt, afferentes hanc rationem : *quia ex quo* (ἀφ' ἧς, scil. ἡμέρας) *recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala*, nam ex historia sacra patet populum tum fuisse afflictum, cum relicta lege Dei foedera et commercia inirent cum extraneis; talia quam maxime reprehendunt prophetae (Is. 28,15; 30,1; 31,1. Ier. 2,18. Ez. 16,25. 28). Verum istos taedet vitae ex norma legis agendae; observationem legis et mandatorum Dei vocare videntur mala multa; vitae amoenitatem, luxuriam, voluptates gentium appetunt. Illa utique Iudaeorum ab aliis nationibus separatio, peculiares eorum consuetudines vitae et cultus sacri, circumcisio, observatio sabbati provocabant irrisionem externorum et Iudaeis saepe opprobrio vertebantur. Nota sunt externorum de Iudaeis iudicia : solos inter omnes nationes a consuetudine alterius gentis abhorrere et hostium loco habere cunctos mortalium (Diod. 34,1; cf. Tacit. hist. 5,5. 2. Dio Cass. 49,22. Iosephus c. Ap. 2,10. 14. Iuvenal 14,103 etc.). Talia igitur *mala* obtendere poterant ad alios ad apostasiam instigandos. Sed principes isti et instigatores, Iason, Menelaus, Tobiae filii maxime dominandi cupiditate agebantur (2 Mach. 4,7 seq. cf. Ios. Ant. 12,5. Bell. iud. 1,1 : erat autem Iudaeis inter se de principatu certamen, ἑκάστου τῶν ἐν ἀξιώματι μὴ φέροντος τοῖς ὁμοίοις ὑποτετάχθαι).

Talis sermo (v. 12) multis placuit; in oculis eorum cf. Ios. 22,30 hebr. 2 Sam. 3,36 etc. v. 13 καὶ προεθυμήθησάν τινες aliqui de populi erant prompti; sese libenter paratos declarabant ut regem adirent; nominatur 2 Mach. 4,7 Iason, qui centum talentis a rege sibi comparavit veniam introducendi mores Graecorum; *et dedit illis potestatem ut facerent iustitiam gentium*, δικαιώματα ea scil. quae apud gentes statuta sunt et decreta, S facere (s se gerere) secundum normam (legem) gentium. Potestate a rege accepta freti isti novatores facile consilia sua perficere poterant; nam qui sese opponeret, tamquam in regem rebellis traduci potuit ac contineri; neque quisquam ob legis mosaicae transgressionem seu negligentiam in ius vocari et puniri iam poterat, vel saltem omnis eiusmodi conatus efficaciter supprimi poterat;

et aedificaverunt gymnasium in urbe sancta, S stadium, sed s gymnasium i. e. locus publicus, palaestra, ubi varii ludi athletici, cursus, pancration, pugilatus, luctatus exercebantur. Haec plane apta et facta erant ad iuvenes alliciendos et graecis moribus eos assuefaciendos.

Ne in palaestra et balneis irrisioni Graecorum exponerentur v. 16 *fecerunt sibi praeputia,* bene S et s נגדו attraxerunt, sicut hebr dicitur מושך, graece ἐπισπᾶσθαι (cf. 1 Cor. 7,18; Buxtorf, Lex. chald. c. 1274); instrumento quodam (ἐπισπαστήρ) cutis attrahebatur, vel etiam fiebat arte chirurgica quam describit Celsus (De medicina 7,25; cf. Friedreich, Zur Bibel II. p. 161). Erat autem circumcisio signum foederis (Gen. 17, 9 seq.); unde eam abolentes revera declarabant se velle recedere ab eo, se foedus illud et promissa et bona eius negligere eiusque praecepta abiicere: *recesserunt a testamento sancto,* quo foedere scil. Deo consecrati erant, *et iuncti sunt nationibus,* ἐζευγίσθησαν, vel ἐζεύχθησαν colligati quasi sunt eodem iugo cum gentibus, S commisti sunt, s coniuncti sunt cum gentibus, *et venumdati sunt,* cf. 3 Reg. 21,20, sicut mancipia in servitutem peccati sese abiecerunt (S delectati sunt, s adducti sunt facere mala; vim vocis graece non expresserunt). Pluribus ea enarrantur 2 Mach. 4,11-20.

Itaque per ipsos primores ac sacerdotes fermentum corruptionis positum est in populo Dei. Iam quae calamitates ista apostasia adductae sint, sacer auctor narrat. Promiserant perfidi illi magnam quandam felicitatem ex foedere inito cum gentibus v. 12; verum miseros facit populos peccatum; hoc iidem mox experti sunt. Quare refertur quid mali Antiochus Iudaeis intulerit post bellum aegyptiacum. Quod bellum hoc loco commemoratum 2 Mach. 5,1 ut secundum assignatur. In dubium quidem id revocat Schürer (l. c. p. 170); sed cum ipse fateatur ex aliis fontibus nihil certi constare de numero et tempore expeditionum in Aegyptum, immerito illud testimonium clarum negligit. Certum solum esse dicit ultimam expeditionem in annum 168 incidere. De bellis contra Aegyptum gestis vide quae dixi ad Daniel 11,23 seq.

Antiochus, Roma reversus, ipse regnum occupavit quod Demetrii, Seleuci filii erat; v. 17 *et paratum est regnum in conspectu Antiochi,* ἡτοιμάσθη LXX 1 Sam. 13,13; 20,31; 2 Sam. 7,12; 3 Reg. 2,12; 2 Par. 12,1; Ps. 9,17; 88,5 etc., adhibetur vox pro hebr. הכין firmare, stabilire, roborare (in vulg. uti hic quandoque praeparare); unde: firmatum est regnum i. e. vidit Antiochus se in firma ac tuta regni possessione esse; bene s firmum stetit regnum; dum S paratum est duplici verbo exprimit. Regnum sibi firmiter in tuto esse collocatum, existimare potuit interfecto Heliodoro qui post occisionem Seleuci thronum usurparat, et postquam a Romanis rex erat agnitus. Cum ita-

que id videret, ὑπέλαβε mente agitavit, ut potiretur regno Aegypti; vulg. haud bene *coepit regnare*, S expetivit, s opinatus est. Ita voluit *regnare super duo regna*. Magno apparatu bellico v. 18 in Aegyptum intravit; ἐν στόλῳ μεγάλῳ certe non est intelligendum cum S de magna pompa seu gloria, neque generatim de armatu, quippe qui iam satis describitur *in multitudine gravi* (S in exercitu forti et magno, s in populis fortibus), *curribus, elephantis, equitibus*; ergo cum s et vulg. de *copiosa navium multitudine*, s in navibus multis; ita quoque *Gr. Ks.* Et classem Antiochum habuisse etiam clarum est ex navali proelio apud Pelusium, quo victor fuerat, uti legati Alexandri in senatu romano conquesti sunt (Livius 44,19), cf. Polyb. 28,16. 10. Posset mirum videri de magna classe et de elephantis fieri mentionem; nam post cladem quam Antiochus Magnus apud Magnesiam acceperat, inter pacis conditiones etiam haec erant : elephantos omnes tradito, neque alios parato; tradito et naves longas, neque plures quam decem naves tectas habeto (Polyb. 22,26. 12). Sed eae conditiones non observabantur neque Antiochus IV is erat qui regni occupandi cupidine actus tali foedere se obstrictum censeret. Magistratus romani aut muneribus corrumpi poterant (exemplum affert Livius, epit. 57) aut eiusmodi negligentia foederis opportuna videri poterat, ut quando vellent et expediret, bellum innovarent. Currus intelligendi erant falcati (cf. 2 Mach. 13,2) et δρεπανηφόρα ἅρματα etiam Antiochus Magnus in prima fronte ante reliquam aciem ad pugnae initium faciendum collocavit (App. Syr. 32 in fine). De elephantis cf. 3,34; 6,30. 34; 11,56. 2 Mach. 11,4; 13,2; 15,20.

Bellum autem *constituit* (S fecit, s disposuit), graece plerumque συνεστήσαντο scil. Antiochus et exercitus, copiae eius, *adversus Ptolemaeum regem Aegypti*, cum agatur de bello secundo, intelligendus erit Ptolemaeus Physcon, qui, postquam priore bello Ptolemaeus Philometor in potestatem Antiochi venerat, regnum occupavit. Contra eum per honestam speciem maioris Ptolemaei reducendi in regnum bellum movit (Livius 44,19); verum ei minime in animo erat fratrem maiorem, Philometorem, in regnum reducere, quod ipse totum occupare desiderabat. Physcon *veritus est a facie eius* ἐντράπη sese convertit *et fugit*, S et victus est Ptolemaeus et fugerunt (s accurate exprimit graecum), *et occiderunt vulnerati multi* τραυματίαι, quae vox apud LXX etiam ponitur pro hebr חללים (percussi, interfecti), quo sensu S et ceciderunt occisi multi (s hoc membrum non habet); v. 20 καὶ κατελάβοντο, etiam S effert pluralem, dum s et vulg *comprehendit civitates munitas et accepit spolia* (S acceperunt) *terrae Aegypti*. De eo scribit Diod. (31,1) : initio Antiochus iactabat haud se cupidum regni Aegyptii

grandem belli apparatum instruxisse, sed maiori Ptolemaeo velle se patriam dignitatem confirmare; res tamen aliter se habebat;... satis patuit Antiochum unum esse de multis regibus qui nullam honestatem utilitate potiorem esse iudicant. Ceterum cf. Polyb. 28,1. 16; Stark, Gaza u. d. philist. Küste p. 431.

Cur Antiochus ex Aegypto reversus ad Ierusalem ascenderit ibique adeo saevierit, ratio declaratur 2 Mach. 5,5-7. 11. Perturbatione et caedibus a Iasone perpetratis suspicatus est rex Iudaeos contra se rebellasse; v. 21 *et convertit Antiochus, postquam percussit Aegyptum in centesimo et quadragesimo tertio anno* i. e. 170 a. Ch. (autumno *K.* Schürer l. c. p. 170), *et ascendit ad Israel*, ad populum Dei, incolam regionis Iudaeae, *et ascendit* (quam verbi repetitionem omittunt A, pl minusc, vet lat, s) Ierosolymam in *multitudine gravi*; cf. v. 18, s in populo forti; et prius quidem sacer auctor facinus sacrilegum contra templum Dei commissum commemorat (v. 23. 24), dein eius in homines saevitiam (v. 25); utroque scelere maximus populo Dei luctus est exortus (v. 26-29).

Avaritia ductus (ὑπὸ πλεονεξίας, Ios. Ant. 12,5,4) templum spoliavit, ut eius opibus exhaustum suum aerarium impleret; v. 23 *et intravit in sanctificationem* τὸ ἁγίασμα, ναός in ipsum templi sacrarium, in sanctum, quo solis sacerdotibus ingredi licebat; ea re iam patefecit superbam arrogantiam et insolentiam, ἐν ὑπερηφανείᾳ, inde sibi sumpsit *altare aureum* i. e. altare incensorum, altare auro obtectum, i. e. laminas auri quibus altare erat inductum abstulit, uti ex ἐλέπισε πάντα et ex re ipsa patet. Vasa sacra argentea et aurea quae abstulit Nabuchodonosor (2 Par. 36,7. Ier. 52,17. Dan. 1,2; 5,2) reddiderat Cyrus (Esdr. 1,7; 5,14; 6,5). Altare incensorum erat in sancto. Et abstulit *candelabrum luminis*, quod in sancto positum erat (Ex. 25,31 seq.), meminit Iosephus λυχνίας χρυσέας (l. c.); habuit candelabrum septem lucernas; vel, ut alii volunt, ipse cogitavit de templo Salomonis, in quo decem erant candelabra (3 Reg. 7,49. 2 Par. 4,7), *et universa vasa eius*, scil. vasa olearia, emunctoria; cf. Ex. 25,37; 37,23; *et mensam propositionis*, in qua reponendi erant panes cum thure ante Dominum; mensa erat auro obducta cum labio aureo et circulis aureis (Ex. 25,24; 1 Par. 28,16); de panibus propositionis vide Lev. 24,5; ad mensam pertinebant *libatoria* σπονδεῖα, calices, cyathi, in quibus libamina offerebantur vel quibus vinum in sacrificiis libabatur, *et phialas*, pateras, lances, quibus panes illi afferebantur, *et mortariola* τὰς θυίσκας, Ex. 25,29 hebr. כַּפּוֹת; item Ex. 37,16, ubi recensentur vasa ad diversos usus mensae propositionis (aliter 3 Reg. 7,50), scutellas; alii explicant thuribula; S (quasi vox pertineret ad θύειν) instrumenta sacrificiorum et oblatio-

num aurea; sed s כבא cum signo pluralis praebet; quae vasa omnia erant *aurea*; *et velum* τὸ καταπέτασμα denotat apud LXX velum quod ante sanctum sanctorum oppansum erat pro hebr. פָּרֹכֶת, sed ponitur etiam pro velo alio Ex. 26,37; 38,18. Num. 3,26; pro מָסָךְ velum ante sanctum, et ante portam atrii. Uti Iosephus vult scribens μηδὲ τῶν καταπετασμάτων ἀποσχόμενος, plura vela abstulit Antiochus; etiam S praebet pluralem, dum s singularem numerum servat, qui erit retinendus (cf. 4,51; ibi habetur pluralis : appenderunt vela). Antiochus certe abstulit velum maxime pretiosum i. e. quod erat ante sanctum sanctorum cf. Ex. 26,31; *et coronas*, τοὺς στεφάνους, dona scil. quae a piis in templo ponebantur, *et ornamentum aureum quod in facie templi erat*, in parte anteriore templi; *et comminuit omnia*, ἐλέπισε detraxit i. e. omne aurum detraxit ab iis instrumentis, vasis, ornamentis; quae erant integra ex auro, integra abstulit; ab iis quae erant inaurata seu auro obducta, aurum detrahendum curavit; ea igitur hoc sensu *comminuit*; bene S s et abrasit (omne opus S, quodvis s). Quaecumque itaque pretiosa erant, v. 24 *vasa concupiscibilia* cf. LXX Os. 13,15; 2 Par. 32,27 (vulg. vasa magni pretii), 36,10 (pretiosissima), 2 Mach. 5, 16 sancta vasa, quae ab aliis regibus et civitatibus erant posita ad ornatum loci et gloriam; etiam Iosephus commemorat eum vidisse in templo τὸν ἄλλον τῶν ἀναθημάτων κόσμον πολυτελέστατον. Tali praeda raptis quoque thesauris occultis (quos invenire potuit) onustus, καὶ μηδὲν ὅλως ὑπολιπὼν (Iosephus), *abiit in terram suam*. Verum antequam abiret, minime contentus quod populo Dei thesauros et instrumenta templi rapuisset, *fecit caedem hominum*; 2 Mach. 5,14 caede et servitute octoginta millia perierunt; ibidem v. 21 quae ex templo abstulit, aestimantur mille octingenta talenta; insuper usus est sermonibus insolentia et blasphemia plenis; cf. Dan. 11,28. 36; s solum habet : et fecit in eis caedem magnam (proprie gladium חרבא, S קטלא). Versionem veterum impugnat Wellhausen contendens φονοκτονίαν solum significare violationem, seu profanationem, contaminationem; eo sensu vocem adhiberi LXX Num. 35,33 et Ps. 105,37 (Israel. Gesch. p. 238). Utique ponitur iis in locis pro hebr חנף; at eo in contextu verbum bene explicari potest caede commissa maculare. Quare acceptio veterum, quae etymologiam sequitur, omnino retinenda est et confirmatur narratione 2 Mach. 5,14, quam sine ulla ratione falsitatis accusat Wellhausen.

Iam relicto communi narrandi genere luctum inter pios ortum describit auctor quattuor distichis. Hac subita dictionis mutatione indicari videtur, auctorem afferre lamentationem, seu partem lamentationis qua illa infortunia simili modo fuerint descripta, sicuti olim

calamitates publicae in threnis Ieremiae et quandoque in psalmis et apud prophetas. Ipsa haec parva lamentatio ordine et gradatione pertexitur. Modo generali in v. 26 dicitur totum Dei populum (*Israel*) quocumque loco demum inhabitaret planctum edidisse magnum. Dein hic planctus per singulos populi ordines varia ad singulos accommodatione describitur : *ingemuerunt principes et seniores,* magistratus, senatores; qui iuventute et viribus florebant (*virgines, iuvenes*) prae luctus acerbitate *infirmati sunt*; cf. Lament. 1,4; pulchritudo mulierum prae tristitia et planctu emarcuit, evanuit; ipsae enim crinibus dissolutis, tunsione pectoris, impositione cinerum planctum edere solebant. Immo qui alias quam maxime laetari solent, sponsus, νυμφίος vel novus maritus, et sponsa seu nova nupta, ipsi quoque luctu occupantur, ἐν παστῷ in thalamo; νυμφίος etiam apud graecos novum maritum, iuvenem maritum significat; qua notione vox hic quoque adhiberi potest (neque tamen necessario) quia sequitur ἡ καθημένη ἐν παστῷ, S s praebent חתנא sponsus. Nuptias verti in planctum alias quoque effertur ad magnam exhibendam miseriam Ier. 7,34; 16,9; 25,10; Ez. 26,13; Bar. 2,23. Demum ipsa quoque *terra* terrore perculsa ob ingentem incolarum afflictionem ἐσείσθη concussa est; bene redditur ἐπὶ *super* habitantes (S s על). Cum hominibus enim et terra affligitur; cf. Ier. 4, 23; 9,9; Mich. 1,4. Et culmen calamitatis in eo cernitur, quod *universa domus Iacob,* tota haec familia populi Dei electi, iam consistat coram gentibus, pudore et confusione operta; nam videtur a Deo suo derelicta et gentium irrisioni ac spoliationi tradita; cf. Lament. 1,21 omnes inimici mei audierunt malum, laetati sunt; 2,15 plauserunt super te manibus omnes transeuntes, sibilaverunt etc. Tale opprobrium coram gentibus maximo dolori verti solebat piis Dei cultoribus; cf. Ps. 43,17; 78,4 facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt; 88,42; 108,24. Ier. 14,21. Ez. 34,29.

3. *Apollonius saevit in Iudaeos* 1,30-42.

1, 30. *Et post duos annos dierum misit rex principem tributorum in civitates Iuda et venit Ierusalem cum turba magna.* 31. *Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo, et crediderunt ei;* 32. *et irruit super civitatem repente et percussit eam plaga magna et perdidit populum multum ex Israel;* 33. *et accepit spolia civitatis et succendit eam igni et destruxit domos eius et muros eius in circuitu.* 34. *Et captivas duxerunt mu-*

1,29. Καὶ μετὰ δύο ἔτη ἡμερῶν ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς ἄρχοντα φορολογίας εἰς τὰς πόλεις Ἰούδα καὶ ἦλθεν εἰς Ἱερουσαλὴμ ἐν ὄχλῳ βαρεῖ. 30. Καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς λόγους εἰρηνικοὺς ἐν δόλῳ καὶ ἐνεπίστευσαν αὐτῷ. Καὶ ἐπέπεσεν ἐπὶ τὴν πόλιν ἐξάπινα καὶ ἐπάταξεν αὐτὴν πληγὴν μεγάλην, καὶ ἀπώλεσε λαὸν πολὺν ἐξ Ἰσραήλ. 31. Καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα τῆς πόλεως καὶ ἐνεπύρισεν αὐτὴν πυρὶ καὶ καθεῖλε τοὺς οἴκους αὐτῆς καὶ τὰ τείχη αὐτῆς κύκλῳ. 32. Καὶ ἠχμαλώτευσαν τὰς

lieres et natos et pecora possederunt. 35. *Et aedificaverunt civitatem David muro magno et firmo et turribus firmis et facta est illis in arcem;* 36. *et posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, et convaluerunt in ea, et posuerunt arma et escas et congregaverunt spolia Ierusalem,* 37. *et reposuerunt illic et facti sunt in laqueum magnum.*

38. *Et factum est hoc ad insidias sanctificationi*
et in diabolum malum in Israel;
39. *et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis,*
et contaminaverunt sanctificationem;
40. *et fugerunt habitatores Ierusalem propter eos*
et facta est habitatio exterorum,
et facta est extera semini suo,
et nati eius reliquerunt eam.
41. *Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo,*
dies festi eius conversi sunt in luctum,
sabbata eius in opprobrium,
honores eius in nihilum.
42. *Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius,*
et sublimitas eius conversa est in luctum.

γυναῖκας καὶ τὰ τέκνα καὶ τὰ κτήνη ἐκληρονόμησαν. 33. Καὶ ᾠκοδόμησαν τὴν πόλιν Δαυὶδ τείχει μεγάλῳ καὶ ὀχυρῷ, πύργοις ὀχυροῖς καὶ ἐγένετο αὐτοῖς εἰς ἄκραν. 34. Καὶ ἔθηκαν ἐκεῖ ἔθνος ἁμαρτωλὸν, ἄνδρας παρανόμους, καὶ ἐνίσχυσαν ἐν αὐτῇ, 35. καὶ παρέθεντο ὅπλα καὶ τροφὰς, καὶ συναγαγόντες τὰ σκῦλα Ἱερουσαλὴμ ἀπέθεντο ἐκεῖ καὶ ἐγένοντο εἰς μεγάλην παγίδα.

36. Καὶ ἐγένετο εἰς ἔνεδρον τῷ ἁγιάσματι καὶ εἰς διάβολον πονηρὸν τῷ Ἰσραὴλ διὰ παντός.
37. καὶ ἐξέχεαν αἷμα ἀθῶον κύκλῳ τοῦ ἁγιάσματος,
καὶ ἐμόλυναν τὸ ἁγίασμα,
38. καὶ ἔφυγον οἱ κάτοικοι Ἱερουσαλὴμ δι' αὐτούς,
καὶ ἐγένετο κατοικία ἀλλοτρίων·
καὶ ἐγένετο ἀλλοτρία τοῖς γεννήμασιν αὐτῆς,
καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἐγκατέλιπον αὐτήν.
39. Τὸ ἁγίασμα αὐτῆς ἠρημώθη ὡς ἔρημος,
αἱ ἑορταὶ αὐτῆς ἐστράφησαν εἰς πένθος,
τὰ σάββατα αὐτῆς εἰς ὀνειδισμὸν,
ἡ τιμὴ αὐτῆς εἰς ἐξουδένωσιν.
40. Κατὰ τὴν δόξαν αὐτῆς ἐπληθύνθη ἡ ἀτιμία αὐτῆς,
καὶ τὸ ὕψος αὐτῆς ἐστράφη εἰς πένθος.

Postquam Antiochus ex Aegypto excessit, Philometor et Physcon fratres suadente Cleopatra sorore in amicitiam redierunt et ambo una regnarunt apud se statuentes, ut resisterent Antiocho qui praesidiis Pelusii relictis Aegypto dominari velle clare ostenderat. Neque eos exspectatio fefellit. Nam vere ineunte anni 168 a. Ch. Antiochus contra eos magnum duxit exercitum. Verum fratribus opem ferunt Romani, quorum auxilium illi iam antea imploraverant (cf. Livius 44,19). Advenerunt scil. legati romani, C. Popilius, C. Decimius, C. Hostilius, et Popilius prolato senatus decreto Antiochum Aegypto abstinere iussit nullo ad deliberandum tempore concesso (Livius 45,11 seq. Polyb. 29, 11; App. Syr. 66; Iustinus 34,3). Et Antiochus qui bellum contra Romanos suscipere verebatur copias suas in Syriam βαρυνόμενος μὲν καὶ στένων, gravate quidem ac gemens, sed tamen abduxit in praesentia tempori cedendum ratus, ut Polybius (29,11. 8) scribit.

Sua itaque spe deiectus eo magis inhiabat, ut Iudaeam sibi plane subiiceret atque quam conceperat iram et furorem ex minis Romanorum explere voluisse videtur vexatione Iudaeorum; cf. Dan. 11,30 « et venient super eum naves Kittim (hebr trieres et Romani vulg) et percutietur et revertetur et indignabitur contra testamentum sanctuarii (hebr in foedus sacrum) et faciet » i. e. iram suam explebit. Et primo quidem misit qui populum vexaret et arcem ad coercendos Iudaeos firmaret; v. 30 *et post duos annos dierum,* hebr מקץ שׁנתים ימים Gen. 41,1 et vide 2 Sam. 13,23; 14,28; Ier. 28, 3. 11, quasi post duos annos temporis, post biennii tempus; itaque ex v. 21 anno 145 aer. Seleuc. i. e. 168 a. Ch., *misit rex principem tributorum,* 2 Mach. 5,24, nominatur Apollonius, *in civitates Iuda et venit Ierusalem cum turba magna,* viginti duobus millibus (2 Mach. 5,24); S misit Antiochus rex in terram Iuda. Iosephus eo anno ipsum regem in urbem Ierusalem ascendisse scribit et eam fecisse spoliationem templi, de qua sermo est v. 23 post secundam in Aegyptum expeditionem (Ant. 12,5,4). Apollonius simulavit animum benignum et amicum, et professus est pacem et amicitiam se fovere erga Iudaeos, ut eos redderet securos; *et crediderunt ei*: ei fidebant; verbis illis pacificis fidem adhibebant. Iudaeis itaque secure degentibus nec quidquam mali suspicantibus ille v. 32 *irruit super civitatem repente* et inermes et imparatos magno numero occidit; partem urbis incendio vastavit, domus evertit et muros urbis in circuitu destruxit; mulieres et iuvenes in captivitatem abducti sunt; spolia civitatis et possessiones civium κτήνη pecudes, *pecora* milites occuparunt; cf. 2 Mach. 5,25. 26.

Destructis muris iam erepta erat Iudaeis magna opportunitas sese defendendi; insuper Apollonius occupatam arcem etiam magis munivit v. 35 *et aedificaverunt* i. e. firmarunt, munierunt (cf. 3 Reg. 15,17 et infra 4,60; 12,37; 15,39) *civitatem David muro magno et firmo et turribus firmis et facta est illis in arcem;* ipsam arcem magno instruxit praesidio; posuit in ea *gentem peccatricem,* milites extraneos, alienigenas; tali enim appellatione gentes alienigenae notari solent (cf. 2, 48. 62. 1 Sam. 15,18. Rom. 2,19; Gal. 2,15) *viros iniquos* παρανόμους i. e. viros legis transgressores (uti s bene vertit); ex ipsis scil. Iudaeis viros apostatas a lege; ita Iosephus quoque : in arce manebant καὶ τοῦ πλήθους οἱ ἀσεβεῖς καὶ πονηροί (Ant. 12,5,4), quibus nominibus in libro nostro et apud Iosephum desertores legis ac foederis notantur. Reliquum quoque apparatum, *arma, escas* ibi posuerunt et quae excursionibus in urbem factis spolia rapuerunt, illic quoque in tuto collocarunt; unde *facti sunt in laqueum magnum,* plurimas molestias populo Dei intulerunt.

Civitas David vocatur arx illa vetus Iebusaeorum quam David expugnavit; ita 2 Sam. 5,9 habitavit David in arce et vocavit eam civitatem David, et in libris Regum et Paralipomenon saepius mentio fit civitatis David tamquam regionis ab ipsa urbe Ierusalem distinctae. Eadem notione etiam hoc loco vox capienda est. Arcem, quae iam antea in urbe commemoratur (2 Mach. 4,12. 27; 5,5), Apollonius maioribus munimentis instruxit. De situ huius arcis magna est inter varios locorum sacrorum exploratores controversia (cf. Zeitschrift des deutschen Palaestinavereins III, 189; IV, 181; V, 313; XI, 1 seq.; Biblische Studien III, 1; Theol. Quartalschrift 1870, 181; 1884, 34; 1889, 77; 1900, 356; *Gatt,* Sion in Ierusalem 1901 etc. Plura apud *Schürer* I p. 199). Pro nostra re interea sufficit arcem ἄκραν fuisse prope templum, uti elucet 1,38 et 4,41, cum enim Iudas templum emundaret, etiam milites constituit, ut pugnarent contra eos qui erant in arce; item patet 6,18 et 13,53 et munivit montem templi qui erat secus arcem. De civitate David cf. 7,32 et 14,36. Etiam Iosephus arcem prope templum fuisse scribit: ἦν ὑψηλὴ καὶ ὑπερκειμένη τὸ ἱερόν et eos qui in templum ascendebant fuisse a custodibus arcis interemptos, ἐπέκειτο γὰρ τῷ ἱερῷ ἡ ἄκρα (Ant. 12,5,4. 9,3) et secundum eum arx erat sita in inferiore urbe: τὴν ἐν τῇ κάτω πόλει ᾠκοδόμησεν ἄκραν (Ant. 12,5,4) et: illis ex urbe superiore eiectis, milites in inferiorem compellit — ista autem civitatis pars Acra dicta est (Bell. 1,1,4) itemque: κατεῖχε τὴν ἄκραν, αὕτη δ' ἦν ἡ κάτω πόλις (Bell. 5,6,1). Ceterum vide de hac re *Alfons Schulz,* Theol. Quartalschrift 1900 p. 356-389.

Quanta mala per praesidium in arce piis Israelitis illata sint, sacer auctor relicto narrandi genere septem effert distichis, de quibus idem iudicandum erit quod supra de v. 26-29.

Arx illa facta est εἰς ἔνεδρον *ad insidias* sanctuario, templo; cf. 6,18 et hi qui erant in arce concluserant Israel in circuitu sanctorum; item 4,41; et facta est *in diabolum malum* i. e. in adversarium malum, molestissimum ac pessimum (S in scandalum et offensionem malam; s retinet diabolum vel calumniatorem), facta est לשטן רע (cf. 1 Sam. 29,4. 2 Sam. 19,23. 1 Reg. 5,18) pro Israel omni tempore, uti S s exprimunt διὰ παντός. Altero disticho v. 39 explicatur chiastice, quomodo custodes arcis sese exhibuerint adversarios et populi et templi: *effuderunt sanguinem innocentem,* eos qui in templum ascendebant, telis conficiebant, ita sanguinem effundebant *in circuitu* sanctuarii, *et contaminaverunt* templum; eius sanctitati nullo modo parcebant (cf. 2 Mach. 6,4). Quali horrore horum scelerum perculsi sint pii Dei cultores, declaratur v. 40 *fugerunt habitatores Ierusalem propter eos,* iam videbant nullius vitam tutam esse; urbs sancta facta est *habitatio exte-*

rorum; e contra pro sobole et generatione sua facta est *extera* aliena. Et quia pii Israelitae, τὰ τέκνα αὐτῆς, urbem reliquerunt, ad ceteras calamitates illud maximum accedit v. 41 templum desertum est ut desertum; dies festi iam solo luctu et moestitia agi possunt; cf. Am. 8, 10. Tob. 2,6; sabbata fiunt profanatione et irrisione alienigenarum *in opprobrium*, et tota gloria urbis sanctae penitus exstincta est; cf. Lament. 1,6 egressus est a filia Sion omnis decor eius. Et v. 42 quo magis antea honorata erat, eo peiore ignominia nunc iacet prostrata; *sublimitas eius conversa est in luctum*, S in depressionem, uti 64 εἰς ταπείνωσιν.

4. *Regis edictum de religione* 1,43-56.

1,43. *Et scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus et relinqueret unusquisque legem suam.* 44. *Et consenserunt omnes gentes secundum verbum regis Antiochi.* 45. *Et multi ex Israel consenserunt servituti eius et sacrificaverunt idolis et coinquinaverunt sabbatum.* 46. *Et misit rex libros per manus nuntiorum in Ierusalem et in omnes civitates Iuda, ut sequerentur leges gentium terrae,* 47, *et prohiberent holocausta et sacrificia et placationes fieri in templo Dei,* 48. *et prohiberent celebrari sabbatum et dies solemnes,* 49. *et iussit coinquinari sancta et sanctum populum Israel,* 50. *et iussit aedificari aras et templa et idola et immolari carnes suillas et pecora communia,* 51. *et relinquere filios suos incircumcisos et coinquinari animas eorum in omnibus immundis et abominationibus ita ut obliviscerentur legem et immutarent omnes iustificationes Dei.* 52. *Et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur.*

53. *Secundum omnia verba haec scripsit omni regno suo et praeposuit principes populo qui haec fieri cogerent,* 54. *et iusserunt civitatibus Iuda sacrificare.* 55. *Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerant legem Domini et fecerunt mala super terram,* 56. *et effugaverunt populum Israel in abditis et in absconditis fugitivorum locis.*

1,41. Καὶ ἔγραψεν ὁ βασιλεὺς πάσῃ τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ εἶναι πάντας εἰς λαὸν ἕνα, 42. καὶ ἐγκαταλιπεῖν ἕκαστον τὰ νόμιμα αὐτοῦ. Καὶ ἐπεδέξατο πάντα τὰ ἔθνη κατὰ τὸν λόγον τοῦ βασιλέως. 43. Καὶ πολλοὶ ἀπὸ Ἰσραὴλ εὐδόκησαν τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ καὶ ἔθυσαν τοῖς εἰδώλοις καὶ ἐβεβήλωσαν τὸ σάββατον. 44. Καὶ ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς βιβλία ἐν χειρὶ ἀγγέλων εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ τὰς πόλεις Ἰούδα πορευθῆναι ὀπίσω νομίμων ἀλλοτρίων τῆς γῆς, 45. καὶ κωλῦσαι ὁλοκαυτώματα καὶ θυσίαν καὶ σπονδὴν ἐκ τοῦ ἁγιάσματος, καὶ βεβηλῶσαι σάββατα καὶ ἑορτὰς 46. καὶ μιᾶναι ἁγίασμα καὶ ἁγίους, 47. οἰκοδομῆσαι βωμοὺς καὶ τεμένη καὶ εἰδωλεῖα καὶ θύειν ὕεια καὶ κτήνη κοινὰ, 48. καὶ ἀφιέναι τοὺς υἱοὺς αὐτῶν ἀπεριτμήτους, βδελύξαι τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἐν παντὶ ἀκαθάρτῳ καὶ βεβηλώσει, 49. ὥςτε ἐπιλαθέσθαι τοῦ νόμου καὶ ἀλλάξαι πάντα τὰ δικαιώματα. 50. Καὶ ὃς ἂν μὴ ποιήσῃ κατὰ τὸ ῥῆμα τοῦ βασιλέως ἀποθανεῖται.

51. Κατὰ πάντας τοὺς λόγους τούτους ἔγραψε πάσῃ τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ καὶ ἐποίησεν ἐπισκόπους ἐπὶ πάντα τὸν λαόν· καὶ ἐνετείλατο ταῖς πόλεσιν Ἰούδα θυσιάζειν κατὰ πόλιν καὶ πόλιν. 52. Καὶ συνηθροίσθησαν ἀπὸ τοῦ λαοῦ πρὸς αὐτοὺς πολλοὶ, πᾶς ὁ ἐγκαταλιπὼν τὸν νόμον, καὶ ἐποίησαν κακὰ ἐν τῇ γῇ, 53. καὶ ἔθεντο τὸν Ἰσραὴλ ἐν κρύφοις ἐν παντὶ φυγαδευτηρίῳ αὐτῶν.

Ad regni firmitatem ac prosperitatem multum valent et conferunt mores iidem atque instituta quibus nationes singulae regantur et in unum quasi regni corpus coalescant. Id Alexandro Magno fuisse in consiliis fatentur omnes, cum variis illis regionum orientalium gentibus graecos mores, litteras graecas, cultum et humanitatem graecam tradere vellet. Haud absimile pro suo regno efficere voluisse Antiochus nobis exhibetur decreto illo de quo 1,43. 53 et 2,19 mentio infertur. Quo decreto statuit pro omni regno suo εἶναι πάντας εἰς λαὸν ἕνα, ut omnes essent unus populus (S, s; εἰς A plures minusc., *Fr.*); ad quam unitatem efficiendam maxime confert unitas institutionum ac cultus religiosi. Antiochus rex « in sacrificiis atque donariis et in deorum cultu omnes qui (ante eum) regnarunt superavit » (Polyb. 26, 10. 11) et Livius de eo scribit : in duabus tamen magnis honestisque rebus vere regius erat animus in urbium donis et deorum cultu; magnificentiae in deos vel Iovis Olympii templum Athenis testis est, Antiochiae Iovis Capitolini templum magnificum (41,20). Gentibus idololatris nulla erat difficultas etiam cultum Iovis assumere; unde v. 44 *et consenserunt* ἐπεδέξατο, lat. receperunt, *omnes gentes secundum verbum regis*, S. s et acceperunt omnes gentes ut facerent sicut verbum regis. Imo ex Iudaeis quoque v. 45 *consenserunt servituti eius*, τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ cultui divino quem ipse rex profitebatur; idque demonstrabant eo quod *sacrificaverunt idolis et coinquinaverunt sabbatum*, hisce duobus, idololatria et profanatione diei Domino consecrati, quam maxime efficaciter apostasiam declarantes. Sunt scil. ii de quibus iam v. 15. 16. actum est.

Cum itaque *multi ex Israel* adeo prompte regi obsecundarent, ipse facili negotio existimavit se posse totum populum in suas pertrahere partes; quare v. 46 *misit rex libros*, βιβλία, uti ספר epistolas, mandata quae scripto dantur (S omittit vocem, s misit epistolas) per nuntios *in Ierusalem et in omnes civitates Iuda*, πορευθῆναι, uti hebr הלך (vulg. ambulare) i. e. ut adhaererent, vitae rationem instituerent secundum mores ac consuetudines alienigenarum ἀλλοτρίων qui una cum ipsis regionem incolebant. Iam singula enumerantur quae isti regis nuntii praestare debebant, scil. 47 prohibere, κωλῦσαι impedire et removere ἐκ τοῦ ἁγιάσματος ex templo holocausta, oblationem, libationem; dein v. 48 βεβηλῶσαι profanare sabbata et dies festos i. e. Iudaeos cogere ut hos dies iam non ut sacros haberent, sed communia in iis negotia peragerent; item v. 49 μιᾶναι ἁγίασμα sanctuarium, templum polluere, καὶ ἁγίους bene vulg. *sanctum populum Israel*, eos scil. cogere ut neglectis praeceptis de rebus immundis sese coram Deo macularent, qua immunditie desinerent esse populus sanctus Dei (aliter S s sanctua-

rium et sanctum); sed ἅγιοι dicuntur pii Dei cultores, fideles (Dan. 7,18. 21. 25; 8,24).

Impedito et destructo cultu Dei (v. 47-49) incumbebat nuntiis regis introducere idololatriam; unde v. 50 οἰκοδομῆσαι βωμοὺς *aras*, τεμένη loca sacra seu lucus constituere, εἰδωλεῖα, fana vel delubra; εἴδωλα (A 56. 64. vulg. S : aedificare aras et domum idolorum et statuere idola; s aedificare fana et templa idolorum). Legendum itaque erit εἰδωλεῖα, ita postulat verbum *aedificare*, quod ad erigenda vel statuenda idola non congruit; ita utraque versio syra effert templa, atque ita etiam legisse videtur Iosephus, cum de idolis erectis nihil commemoret. Ad haec idololatriae instrumenta exigi debebant sacrificia cultui Dei plane opposita *immolari carnes suillas et pecora communia* i. e. immunda quae essent secundum legem (S, s sues). Porro ut apostasia aperte constaret iubebantur omittere circumcisionem recens natorum v. 51, ergo signum foederis Dei negligere et eo ipso eos excludere a populo Dei. Ipsi autem parentes et adulti iubebantur *coinquinari*, βδελύξαι i. e. nuntiis regis erat impositum ut eos contaminarent omni re immunda et βεβηλώσει profanatione, scil. ut eos cogerent rebus, cibis, animalibus uti lege prohibitis, uti quoque consuetudine et commercio hominum secundum legem immundorum (cf. Lev. 12. 15 cap.), ψυχὰς αὐτῶν cum aliqua emphasi, ut eius contaminationis intime conscii eam ut talem et tamquam legi Dei contrariam sentirent. Ita inducenda erat in animis oblivio legis et integra quaedam immutatio, abrogatio praeceptorum et decretorum legis, ut scil. haec commutarentur cum vitae institutis alienigenarum. Eiusmodi autem regis mandatis addita erat sanctio gravissima, v. 52 qui non obsequerentur, morte erant puniendi.

Quae mandata ut exsecutioni mandarentur, per universam regionem constituit v. 53 ἐπισκόπους inspectores qui invigilarent in omnem populum (s super omne regnum suum et super omnem populum) et mandavit civitatibus Iuda ut in singulis urbibus sacrificia fierent; κατὰ πόλιν καὶ πόλιν; ubique ergo altaria erant erigenda. Qua iam multiplicitate locorum ad sacrificia destinatorum maxima cerni poterat oppositio ad cultum Dei eiusque sacrificia uno in templo urbis sanctae offerenda. Quo effectu haec omnia imperabantur? Ad hoc redditur responsio duplex v. 55. 56; v. 55; uti iam ex v. 15. 45 exspectandum erat, multi recesserunt a populo et convenerunt ad illos inspectores; scil. omnes illi qui legem reliquerant; isti *fecerunt mala super terram*; πρὸς αὐτούς *ad eos* refer ad ἐπισκόπους, principes populi v. 53, uti ex graeco et S s patet (s multi ex omni Israel qui dereliquerunt legem). Mala fecerunt i. e. mandatis regis obsequebantur et insuper

v. 56 expulerunt *Israel* i. e. qui impietatibus istis non consentientes fideliter Deo adhaerebant, in loca abdita, ἔθεντο collocabant i. e. coegerunt eos ut ἐν παντὶ φυγαδευτηρίῳ αὐτῶν in quovis refugii loco qui in eorum regione inveniri poterat sese absconderent. Ita populus misere erat discerptus. Impii cum alienigenis impie vivebant; fideles in montibus et speluncis refugium quaerebant (cf. 2,28. 31. 2 Mach. 6,11). Hic s quoque signo solito caput hoc finit (v. 29-53 secundum graecum; v. 30-56 secundum vulg).

5. *Persecutio in fideles* 1,57-67.

1,57. *Die quintadecima mensis Casleu quinto et quadragesimo et centesimo anno aedificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Iuda in circuitu aedificaverunt aras;* 58. *et ante ianuas domorum et in plateis incendebant thura et sacrificabant;* 59. *et libros legis Dei combusserunt igni scindentes eos,* 60. *et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum.* 61. *In virtute sua faciebant haec populo Israel qui inveniebatur in omni mense et mense in civitatibus;* 62. *et quinta et vigesima die mensis sacrificabant super aram quae erat contra altare;* 63. *et mulieres quae circumcidebant filios suos trucidabantur secundum iussum regis Antiochi;* 64. *et suspendebant pueros a cervicibus per universas domos eorum, et eos qui circumciderant illos trucidabant.* 65. *Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda et elegerunt magis mori quam cibis coinquinari immundis;* 66. *et noluerunt infringere legem Dei sanctam et trucidati sunt.* 67. *Et facta est ira magna super populum valde.*

1,54. Καὶ τῇ πεντεκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ Χασελεῦ τῷ πέμπτῳ καὶ τεσσαρακοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἔτει ᾠκοδόμησαν βδέλυγμα ἐρημώσεως ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον καὶ ἐν πόλεσιν Ἰούδα κύκλῳ ᾠκοδόμησαν βωμούς, 55. καὶ ἐπὶ τῶν θυρῶν τῶν οἰκιῶν καὶ ἐν ταῖς πλατείαις ἐθυμίων, 56. καὶ τὰ βιβλία τοῦ νόμου ἃ εὗρον ἐνεπύρισαν πυρὶ κατασχίσαντες, 57. καὶ ὅπου εὑρίσκετο παρά τινι βιβλίον διαθήκης, καὶ εἴ τις συνευδόκει τῷ νόμῳ, τὸ σύγκριμα τοῦ βασιλέως ἐθανάτου αὐτόν. 58. Ἐν ἰσχύϊ αὐτῶν ἐποίουν οὕτως τῷ Ἰσραὴλ τοῖς εὑρισκομένοις ἐν παντὶ μηνὶ καὶ μηνὶ ἐν ταῖς πόλεσιν. 59. Καὶ τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνὸς θυσιάζοντες ἐπὶ τὸν βωμὸν ὃς ἦν ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, 60. καὶ τὰς γυναῖκας τὰς περιτετμηκυίας τὰ τέκνα αὐτῶν ἐθανάτωσαν κατὰ τὸ πρόσταγμα, 61. καὶ ἐκρέμασαν τὰ βρέφη ἐκ τῶν τραχήλων αὐτῶν καὶ τοὺς οἴκους αὐτῶν προενόμευσαν καὶ τοὺς περιτετμηκότας αὐτοὺς ἐθανάτωσαν· 62. καὶ πολλοὶ ἐν Ἰσραὴλ ἐκραταιώθησαν καὶ ὠχυρώθησαν ἐν αὐτοῖς τοῦ μὴ φαγεῖν κοινά, 63. καὶ ἐπεδέξαντο ἀποθανεῖν, ἵνα μὴ μιανθῶσι τοῖς βρώμασι καὶ μὴ βεβηλώσωσι διαθήκην ἁγίαν καὶ ἀπέθανον. 64. Καὶ ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ἰσραὴλ σφόδρα.

In v. 54 s die 25. In v. 61 A 56 s οικειους; om προενομευσαν et εθανατωσαν ℵ A s 23. 56 al; sed S integrum versum exhibet.

Quae rex edicto suo mandaverat (1,46-53), iam exsecutioni quomodo mandata sint exponitur. Et primo quidem v. 57. 58 narratur

factum esse quod primo loco in v. 47 praeceptum est; dicitur in vulg. regem Antiochum aedificasse, sed graece et S s legitur *aedificarunt* scil. ii quos Antiochus tamquam inspectores et exsecutores miserat (v. 53); ipse itaque per nuntios suos. Iosephus quidem scribit regem die 25. mensis Casleu anno Seleucidarum 145 magno cum exercitu ascendisse in urbem Ierusalem; sed ei tempori adscribit quae anno 143 facta sunt, scil. quae v. 23 seq. narrantur. Die porro 15. *mensis Casleu*, qui est mensis Iudaeorum a nisan nonus (december) altare Dei summa profanatione maculatum est, dum scil. super altare holocautomatum aedificaretur ara ad sacrificia idololatrica offerenda. Aram talem esse intelligendam, patet tum ex membro addito : *et per universas civitates Iuda aedificaverunt aras*, tum ex v. 62 *sacrificabant super aram*, ἐπὶ τὸν βωμὸν ὃς ἦν ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου. Sacer autem auctor eam aram pia quadam indignatione vocat βδέλυγμα ἐρημώσεως abominationem vastationis, rem scil. quam maxime abominabilem, qua vastatio exhibetur et declaratur. Notio deprompta est ex Dan. 11,31, ubi de profanatione sanctuarii agitur. Legitur 2 Mach. 6,2 templum in urbe cognominatum esse Iovis Olympii; unde aliqui concluserunt idolum Iovis esse positum in altari Dei; id vulg innuit *abominandum idolum desolationis* et ita refert Hieronymus (in Dan. 8,14 et 11,31; *M.* 25,537. 569); verum ex 2 Mach. 6,2 id non sequitur, neque ad textum nostrum quadrat (nam aedificare non dicitur de erigenda statua) neque ad v. 62.

In narratione v. 57 et 62 duo tempora et duo eventus clare distinguuntur : die 15 aedificabatur altare, die 25 in eo offerebatur sacrificium. Nihilominus iam veteres aliqui (*Houbigant*, *Calmet*) et recentiores (*Gr. Ks.*) volunt utroque loco legendum esse contra fere omnes testes die 25; sed cur? dicunt id consequi ex 1 Mach. 4,52. 54. Sed ibi solum dicitur sacrificium secundum legem esse oblatum post triennium eodem die 25. quo contaminarunt illud gentes; id quod aeque bene, imo ob mentionem sacrificii potius refertur ad maximam illam contaminationem, quod super altare Domini non solum ara idoli aedificata sit, verum in ea impura oblata sint sacrificia. Dein aliud est aedificare, aliud offerre; neque ulla cernitur ratio cur si de eodem die esset narratio, auctor non secundo loco scripsisset eodem die. Porro quod *Gr.* monet, praeceptum esse ab Antiocho, ut singulis mensibus die 25 in ara idoli offerretur, id non est ad rem, quia in v. 57 agitur de aedificanda ara; si vero Iosephus scribit Antiochum invasisse urbem die 25, nondum probatur eum in utroque loco legisse diem 25. Annus 145 Seleucidarum est annus 168 a. Ch. Regem circa idem tempus adfuisse in Ierusalem, concluditur ex 2 Mach. 7 (cf. *Patr.* p. 126).

In *omnibus* urbibus Iuda aras (s fana) aedificatas esse, nec graece nec syre dicitur. Quantopere idolorum cultum promovere studuerint, ostenditur v. 58 *ante ianuas domorum et in plateis incendebant thura* (S sacrificabant, s ponebant aromata). Eius rei auctores fuisse inspectores eorumque ministros, elucet ex sequentibus. Quo facilius legem Dei oblivione obruerent, *libros legis* κατασχίσαντες discissos *combusserunt igni,* quos invenerunt; volumina scindebant ad contemptum ostendendum vel ut homines irati agere solent; ceterum cf. Ier. 36,23 cum legisset Iudi tres pagellas vel quattuor, scidit illud (Ioakim rex) scalpello scribae et proiecit in ignem. Libri legis proprie sunt quinque libri Moysis, pentateuchus; sensu latiore omnes libri sacri intelligi possunt. Regio edicto iubebantur Iudaei destruere libros legis; unde v. 60 et ὅπου ubi inveniebatur apud aliquem βιβλίον διαθήκης volumen foederis (Ex. 24,7; proprie complectens Ex. 20-23) scil. vel aliqua pars librorum sacrorum, edictum regis trucidabat eum i. e. secundum edictum regis capitis reus erat; item qui legem observans deprehendebatur, edictum regis erat, ut moreretur (S). Quod edictum ut exsecutioni mandaretur, inspectores illi invigilabant v. 61 *in virtute sua* i. e. potestate sibi tradita usi ita faciebant populo Israel, scil. iis *qui inveniebantur* τοῖς εὑρισκομένοις qui in aliqua re deprehensi erant rei; talem vero investigationem faciebant ἐν παντὶ μηνὶ καὶ μηνὶ i. e. singulis mensibus in civitatibus, eosque qui deprehensi fuerant trucidabant, uti v. 63. 64 pluribus enarratur. Illud *faciebant haec* οὕτως refertur ad exsecutionem edicti regis. Sententiam ita concipiunt *Gr. K. Fil.* ut singulis mensibus certo quodam die ad alios terrendos ii occisi fuerint qui cum volumine legis deprehensi fuerant. Veteres intelligebant de iis qui in celebratione neomeniae deprehensi fuerint (*Lap. Tirin.*), celebrari solitum esse singulis mensibus regis natalem eoque die omnes urbium accolas sacrificiis pro regis incolumitate oblatis adesse debuisse (*Calm.* 2 Mach. 6,7; de qua re vide infra). Sed neque vox mensis neque ἐποίουν οὕτως tali acceptioni accommodatur.

Ut abolitio cultus Dei aperte demonstraretur, in ipso loco sacrificiis Dei sacro polluta oblata sunt sacrificia v. 62 *et quinta et vigesima die mensis sacrificabant* θυσιάζοντες scil. ἦσαν i. e. singulis mensibus eo die sacrificabant, quo primum sacrificium pollutum oblatum erat (2 Mach. 10,5 et infra 4,54), *super aram,* de qua v. 57, *quae erat contra altare* ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου super altare holocautomatum (S, s על)[1]. Erat circumcisio signum foederis et sponsio legem observandi; quare severe inter-

1. Eodem modo Iosephus : ἐποικοδομήσας καὶ τῷ θυσιαστηρίῳ βωμόν, σύας ἐπ' αὐτοῦ κατέσφαξεν.

dicta erat v. 51 et crudeliter occidebantur qui pueros circumciderant; occidebantur matres quae vel ipsae infantes sacro foederi initiaverant — id enim iis licebat, si necessitas cogeret — vel permiserant ut circumciderentur v. 63 atque earum mors reddebatur maxime acerba, quia cum infantibus ad cervices appensis crudeli morti tradebantur; cf. 2 Mach. 6,10 duae mulieres pueris ad ubera suspensis per muros praecipitabantur. Domos quoque diripiebant, praedam ex iis agentes (graece, S; dum s solum habet : et domesticos eorum qui circumciderant eos; vide lect. var.); de direptione domorum tacent cum vulg. plures testes.

Neque pauci legi divinae ac cultui Dei fideles permanebant v. 65 *multi* in Israel roborati et confirmati sunt in animis suis (graece, S, s), *definierunt*, firmiter statuerunt *apud se, ut non manducarent immunda;* mortem potius *elegerunt* (ἐπελέξαντο A 19. 23 al. S) susceperunt (vet lat. s), ἵνα μὴ ne contaminarentur neve profanarent sacrum foedus; ideoque *trucidati sunt;* cf. 2 Mach. 6,18 seq. Gravissima haec persecutio et poenae populo inflictae tamquam ira Dei in populum considerantur, quippe qui eiusmodi permittat afflictiones, non eas clementer avertat; ceterum vide 2,49; 3,8. 2 Mach. 5,17-20; 6,12; 7, 33; 8,5.

6. *Mathathias deflet miseriam populi* 2,1-14.

2,1. *In diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis filii Simeonis, sacerdos ex filiis Ioarib, ab Ierusalem et consedit in monte Modin;* 2. *et habebat filios quinque : Ioannem qui cognominabatur Gaddis,* 3. *et Simonem, qui cognominabatur Thasi,* 4. *et Iudam, qui vocabatur Machabaeus,* 5. *et Eleazarum, qui cognominabatur Abaron, et Ionathan qui cognominabatur Apphus.* 6. *Hi viderunt mala quae fiebant in populo Iuda et in Ierusalem,* 7. *et dixit Mathathias : vae mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei et contritionem civitatis sanctae et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum?* 8. *sancta in manu extraneorum facta sunt.*

Templum eius ut homo ignobilis,
9. *vasa gloriae eius captiva abducta sunt;*

2,1. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἀνέστη Ματταθίας Ἰωάννου τοῦ Συμεὼν ἱερεὺς τῶν υἱῶν Ἰωαρὶβ ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐκάθισεν ἐν Μωδεΐν, 2. καὶ αὐτῷ υἱοὶ πέντε· Ἰωάννης ὁ ἐπικαλούμενος Γαδδίς, 3. Σίμων ὁ καλούμενος Θασσί,

4. Ἰούδας, ὁ καλούμενος Μακκαβαῖος,
5. Ἐλεάζαρ ὁ καλούμενος Αὐαρὰν,
Ἰωνάθαν ὁ καλούμενος Ἀπφοῦς.

6. Καὶ εἶδε τὰς βλασφημίας τὰς γινομένας ἐν Ἰούδᾳ καὶ ἐν Ἱερουσαλὴμ, 7. καὶ εἶπεν·

οἴμοι, ἵνα τί τοῦτο ἐγεννήθην ἰδεῖν τὸ σύντριμμα τοῦ λαοῦ μου καὶ τὸ σύντριμμα
τῆς πόλεως τῆς αγίας καὶ καθίσαι ἐκεῖ ἐν
τῷ δοθῆναι αὐτὴν ἐν χειρὶ ἐχθρῶν καὶ τὸ ἁγίασμα ἐν χειρὶ ἀλλοτρίων;

8. Ἐγένετο ὁ ναὸς αὐτῆς ὡς ἀνὴρ ἄδοξος,
9. τὰ σκεύη τῆς δόξης αὐτῆς αἰχμάλωτα ἀπήχθη,

trucidati sunt senes eius in plateis,
et iuvenes eius ceciderunt in gladio inimicorum.
10. *Quae gens non hereditavit regnum eius,*
et non obtinuit spolia eius?
11. *omnis compositio eius ablata est;*
quae erat libera facta est ancilla;
12. *et ecce sancta nostra et pulchritudo nostra et claritas nostra desolata est,*
et coinquinaverunt ea gentes.

13. *Quo ergo nobis adhuc vivere?* 14. *et scidit vestimenta sua Mathathias et filii eius et operuerunt se ciliciis et planxerunt valde.*

ἀπεκτάνθη τὰ νήπια αὐτῆς ἐν ταῖς πλατείαις αὐτῆς,
οἱ νεανίσκοι αὐτῆς ἐν ῥομφαίᾳ ἐχθροῦ.
10. Ποῖον ἔθνος οὐκ ἐκληρονόμησε βασιλείαν αὐτῆς
καὶ οὐκ ἐκράτησε τῶν σκύλων αὐτῆς;
11. πᾶς ὁ κόσμος αὐτῆς ἀφῃρέθη,
ἀντὶ ἐλευθέρας ἐγένετο εἰς δούλην,
12. καὶ ἰδοὺ τὰ ἅγια ἡμῶν καὶ ἡ καλλονὴ ἡμῶν
καὶ ἡ δόξα ἡμῶν ἠρημώθη,
καὶ ἐβεβήλωσαν αὐτὰ τὰ ἔθνη.

13. Ἵνα τί ἡμῖν ἔτι ζῆν; 14. καὶ διέρρηξε Ματταθίας καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ περιεβάλοντο σάκκους καὶ ἐπένθησαν σφόδρα.

Mathathias (etiam Ματθίας, Iosephus, Bell. 1,1,3, donum Iahve) vocatur apud Iosephum υἱὸς Ἀσαμωναίου (Bell. l. c.), sed Ant. 12,6,1 Symeon demum filius vocatur Asamonaei, sicut apud ipsum et apud rabbinos posteri Mathathiae vocantur οἱ Ἀσαμωναίου παῖδες, ἡ Ἀσαμωναίων γενεά (Ant. 14,16,4; 20,8,11) חשמונים, Hasmonaei. Erat Mathathias sacerdos ex vice Ioarib, ἐξ ἐφημερίας ex ordine sacerdotalis Ioarib, qui erat primus ordo ex viginti quattuor ordinibus, quos David instituerat ad templi servitium (cf. 1 Par. 24,7). Primus ille ordo prae reliquis nobilior habebatur (cf. Iosephus, vita 1). Apud Iudaeos quandoque pontifex appellatur (cf. Gr.); sed nostro libro *sacerdos* vocatur, et contra illam opinionem quam *Serarius, Lap. Tirin.* alii sequuntur, iam animadvertit *Calmet:* si pontificatus munere donatus fuisset, iam illius dignitas hereditario iure ad posteros devenisset, neque id muneris populus Iudae Machabaeo detulisset. Pro Ἰωαρίβ (ιωριμ ℵ, ιωαρειμ A 62. 64) praebent S, s Ionadab.

Ad quid referendum sit *ab Ierusalem* disceptatur. Iosephus vocem refert ad Mathathiam eum vocans Hierosolymitanum; similiter alii qui explicant eum ab Hierosolymis secessisse et consedisse in Modin (*Calm. Gr.*); ita posse iungi certum videtur, cum ἀνιστάναι etiam apud Thucydidem (1,105 ἀπὸ Αἰγίνης) ea notione adhibeatur; sed v. 17.70 et praesertim 13,25 docemur Modin esse patriam Mathathiae et Machabaeorum. Quare *ab Ierusalem* iungendum erit cum voce cui additur τῶν υἱῶν Ἰωαρίβ qui sacerdotes erant, seu ortum habebant ex Ierusalem. Nam hoc quoque loco de Mathathia dicitur ἐκάθισεν i. e. habitavit (uti bene S, s), sedem suam habuit in Modin; ἀνέστη (hebr. קם, uti S, s) dicitur de eo qui in publicum prodiit; indicatur verbo hoc in illis

diebus incepisse Mathathiam primas agere partes in negotio resistendi decretis impiis regis. Modin vel Modeim, vicus iuxta Diospolim (Onomast. ed. Lagarde p. 140. 281) i. e. prope Lyddam, in via ab Ierusalem versus Ioppen, hodie Medije; iam in carta geographica quae in Medaba reperta est legitur Μωδεειμ η νυν Μωδιθα, unde nomen recens ortum est (cf. Revue bibl. 1897 p. 174; Recueil d'archéologie orientale II 170); vicus, κώμη (Iosephus, Ant. 12,6,2) erat in monte positus, uti ex 13,29 colligitur (quod tamen negatur in Revue bibl. I, 109).

Recensentur quinque eius filii, de quorum rebus gestis in libro sermo erit. De cognominibus variae coniecturae propositae sunt; pleraeque valde incertae. Et *Gaddis* (S, s גדי) probabiliter nomen est idem quod Num. 13,11 legitur; ergo felix? felicitate donatus? mortem quidem obiit non adeo felicem (9,36); sed cur et quando eiusmodi cognomina indita fuerint, nos plane latet. Simoni Iosephus tribuit cognomen Ματθῆς. S s Tharsi, Θασσί aliqui referunt ad aramaicum תסס fervere (cf. Buxtorf, Lex. chald. c. 2617); unde Simon fervens, zelotes vocaretur; Iudas Machabaeus (vide Proleg.); Eleazar (Deus est auxiliator) Αὐαράν (S s Chauran), a voce חור perforare? perforator? ob rem gestam 6,43-46? Ionathan (i. e. Theodorus) Ἀπφοῦς, explicant communiter חכרש astutus, vafer; verum eam acceptionem laborare defectu ostendit *Zenner* (Theol. Zeitschrift, Innsbruck 1894 p. 761); ipse vocem truncatam et mutilatam censet pro rabbinico אפוסטמוס i. e. postumus, postremo loco natus; atque is erat e filiis Mathathiae Ionathan. Uti Buxtorf ex fontibus talmudicis aliisque affert (Lex. chald. c. 118) nomine Apostomi vocabatur princeps Graecorum tempore templi secundi, qui comburi iussit legem et imaginem in templo erexit die 17 mensis Iunii.

In v. 6 graece et s de solo Mathathia fit sermo; secundum S et vulg etiam de filiis eius: et viderunt τὰς βλασφημίας, testes erant, quantopere verbis et actibus contra Deum et legem peccaretur ab alienigenis et apostatis; quare in acerbas lamentationes Mathathias prorumpit v. 7; lamentatur duram sortem, quod vita sua in tempora adeo luctuosa inciderit; cum emphasi effert bis τὸ σύντριμμα contritionem (semel S, s: cur erat mihi videre malum populi mei et contritionem urbis sanctae); et *sedere illic,* ita ut scelera illa prohibere non valeam, sed quasi otiosus et iners videre debeam populum tradi in manus inimicorum, sanctuarium in potestatem alienorum (S et sedebant ibi alieni; s et sedebant ibi, cum traderetur in manum inimicorum, et sancti eius in manum alienorum tradebantur).

Iterum insertur lamentatio quinque distichis expressa. Primum distichon deflet templi ignominiam et ablationem vasorum eius sacro-

rum; *templum eius* irrisioni habetur et despicitur *sicut homo ignobilis;* alii supplent : sicut domus viri ignobilis (*K. Gr. Ks.*); A et plures minusc. praebent ἔνδοξος, item S; erat templum eius olim sicut vir nobilis; s templum sicut virum nobilem spoliarunt; legerunt itaque interpretes syri (uti vet. lat.) ἔνδοξος et uterque conatus est bonum inde efficere sensum. De vasis abreptis lege 1,23; S s ibant in captivitatem. In altero disticho defletur trucidatio parvulorum in locis publicis (vulg *senes*) et occisio iuvenum gladio inimici; cf. 1,63. 64. In tertio disticho effertur cum magna indignatione, quod haec gentium colluvies regnum populi Dei invaserit et spolia abripuerit. Nam in exercitu syro militabant ex gentibus vicinis (cf. 2 Mach. 8,9), ex Philisthaeis, Edomitis, Arabibus, Moabitis, Ammonitis, Samaritanis, Chaldaeis (cf. Lap. Gr. K.); ab istis urbem sanctam conculcari, populum fidelem divexari non poterat non esse summo moerori.

Et quam male urbem sanctam tractaverint, conculcaverint, effertur magno cum dolore in disticho quarto et quinto : omnis ornatus, κόσμος, splendor, dignitas, maiestas eius ablata est; e conditione ingenua et libera in vilem servitutem est redacta. Quae servitus eo acerbior est quia illis non solum politica libertas est ablata, sed religiosa etiam eaque quam maxime, qua tamen sub Persis, Alexandro Magno, Ptolemaeis, Seleucidis eousque frui licuit. Quaecumque sancta, pulchra, magnifica iis erant, dira vastatione prostrata iacent; gentes cuncta profanarunt, contaminarunt. Cum itaque sanctissima quaeque ac carissima conculcata et deleta et ablata sint, quasi desperabundus et taedio vitae oppressus exclamat pius sacerdos : ad quid adhuc vita nobis prodest? Dolorem autem luctum manifestant scissis vestimentis (cf. 3,47; 4,39; 5,14 etc.), et induentes se saccis, ciliciis i. e. tunicis atris et contextis e filis crassis, quae sacci instar haerebant corpori. Modo igitur consueto et luctum et poenitentiam declarant.

De Mathathia nulla fit mentio in altero libro. Apud Iosephum Mathathias vocatur filius Asamonaeu (Bell. 1,1,3); alias M. υἱὸς Ἰωάννου τοῦ Συμεῶνος τοῦ Ἀσαμωναίου. Ioannes Hyrcanus, etiam magis filii eius multos habebant adversarios eorumque ius ad pontificatum semper in controversiam vocabatur.

Ex hisce infert *Niese* quaecumque capite hoc secundo de Mathathia narrentur eo consilio esse conficta (tendenziöse Erdichtung), ut Simoni et filiis eius ius hereditatis asseri posset. Nomen Asamonaei esse omissum; probabiliter dubitatum esse de eius origine sacerdotali vel ob genealogiam eius non satis puram fingi genealogiam a Ioarib ortam eamque gloriosam (l. c. p. 44 seq.). Eius rei argumentum affert Niese, quia in altero libro nullus omnino locus relinquitur pro Mathathia; ab initio enim Iudam eo munere fungi quod in priore libro Mathathiae attribuatur.

Verum haec sine ratione sufficienti, imo temere affirmantur. Nam cur in altero libro nihil contineatur de Mathathia, clare exponitur 2 Mach. 2,20. Porro initium oppressionis breviter solum tangitur in altero libro; 5,27 idem refert quod 1 Mach. 2,28 refertur; 6,11 narrat quod 1 Mach. 2,31-38 habetur. Iam nemo poterit demonstrare, cur non pauca illa (1 Mach. 2, 42 seq.) inseri possint ante 2 Mach. 8,1, quo loco Iudas describitur in ea dignitate, qua nobis exhibetur 1 Mach. 3,2 seq. Quae Niese de Asamonaeo suspicatur, gratis suspicatur, cum ipse fateatur nos de eo plane nihil scire.

Liber scriptus est, antequam posteri Mathathiae degeneres facti sunt et impugnati: ergo tum minime necesse erat eos fictione nobilis originis ab impugnatione tueri.

7. *Qua occasione coepta sit defensio legis* 2,15-26.

2,15. *Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho, ut cogerent eos qui confugerant in civitatem Modin immolare et accendere thura et a lege Dei discedere.* 16. *Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos; sed Mathathias et filii eius constanter steterunt;* 17. *et respondentes qui missi erant ab Antiocho dixerunt Mathathiae: princeps et clarissimus et magnus es in hac civitate et ornatus filiis et fratribus;* 18. *ergo accede prior et fac iussum regis, sicut fecerunt omnes gentes et viri Iuda et qui remanserunt in Ierusalem et eris tu et filii tui inter amicos regis et amplificatus auro et argento et muneribus multis.* 19. *Et respondit Mathathias et dixit magna voce; et si omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis eius,* 20. *ego et filii mei et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum;* 21. *propitius sit nobis Deus, non est nobis utile relinquere legem et iustitias Dei;* 22. *non audiemus verba regis Antiochi nec sacrificabimus transgredientes legis nostrae mandata, ut eamus altera via.*

23. *Et ut cessavit loqui verba haec, accessit quidam Iudaeus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin secundum iussum regis.* 24. *Et vidit Mathathias et doluit et con-*

2,15. Καὶ ἦλθον οἱ παρὰ τοῦ βασιλέως οἱ καταναγκάζοντες τὴν ἀποστασίαν εἰς Μωδεὶν τὴν πόλιν ἵνα θυσιάσωσι.

16. Καὶ πολλοὶ ἀπὸ Ἰσραὴλ πρὸς αὐτοὺς προσῆλθον, καὶ Ματταθίας καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ συνήχθησαν, 17. καὶ ἀπεκρίθησαν οἱ παρὰ τοῦ βασιλέως καὶ εἶπον τῷ Ματταθίᾳ λέγοντες· ἄρχων καὶ ἔνδοξος καὶ μέγας εἶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ καὶ ἐστηριγμένος ἐν υἱοῖς καὶ ἀδελφοῖς· 18. νῦν οὖν πρόσελθε πρῶτος καὶ ποίησον τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως, ὡς ἐποίησαν πάντα τὰ ἔθνη καὶ οἱ ἄνδρες Ἰούδα καὶ οἱ καταλειφθέντες ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἔσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου τῶν φίλων τοῦ βασιλέως καὶ σὺ καὶ οἱ υἱοί σου δοξασθήσεσθε ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ καὶ ἀποστολαῖς πολλαῖς. 19. Καὶ ἀπεκρίθη Ματταθίας καὶ εἶπε φωνῇ μεγάλῃ· εἰ πάντα τὰ ἔθνη τὰ ἐν οἴκῳ τῆς βασιλείας τοῦ βασιλέως ἀκούουσιν αὐτοῦ ἀποστῆναι ἕκαστος ἀπὸ λατρείας πατέρων αὐτοῦ, καὶ ᾑρετίσαντο ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ, 20. κἀγὼ καὶ οἱ υἱοί μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου πορευσόμεθα ἐν διαθήκῃ πατέρων ἡμῶν. 21. Ἵλεως ἡμῖν καταλιπεῖν νόμον καὶ δικαιώματα, 22. τῶν λόγων τοῦ βασιλέως οὐκ ἀκουσόμεθα τοῦ παρελθεῖν τὴν λατρείαν ἡμῶν δεξιὰν ἢ ἀριστεράν.

23. Καὶ ὡς ἐπαύσατο λαλῶν τοὺς λόγους τούτους, προσῆλθεν ἀνὴρ Ἰουδαῖος ἐν ὀφθαλμοῖς πάντων θυσιᾶσαι ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ ἐν Μωδεὶν κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως. 24. Καὶ εἶδε Ματταθίας καὶ ἐζήλωσε κα

tremuerunt renes eius et accensus est furor eius secundum iudicium legis et insiliens trucidavit eum super aram; 25. *sed et virum quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare occidit in ipso tempore et aram destruxit;* 26. *et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.*

ἐτρόμησαν οἱ νεφροὶ αὐτοῦ καὶ ἀνήνεγκε θυμὸν κατὰ τὸ κρίμα καὶ δραμὼν ἔσφαξεν αὐτὸν ἐπὶ τὸν βωμόν, 25. καὶ τὸν ἄνδρα τοῦ βασιλέως τὸν ἀναγκάζοντα θύειν ἀπέκτεινεν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ καὶ τὸν βωμὸν καθεῖλε. 26. Καὶ ἐζήλωσε τῷ νόμῳ καθὼς ἐποίησε Φινεὲς τῷ Ζαμβρὶ υἱῷ Σαλώμ.

Exemplo nobis exhibetur, qua ratione mandata regis illi inspectores exsequenda curaverint (cf. 1,50. 61). Perlustrabant scil. urbes singulas. Qua occasione etiam pervenerunt in Modin. Bene appellantur isti a rege missi οἱ καταναγκάζοντες τὴν ἀποστασίαν adigentes seu cogentes ad apostasiam. Venerant autem Modin, ut sacrificarent (gr. vet. lat. S, s) i. e. ut solemnia sacrificia peragerent, quibus scil. Iudaeos interesse et apostasiam participatione declarare cogerent. In vulg. fusius declaratur quibus actionibus discessus a lege designetur : immolando, thura accedendo. Cum Iudaeis uno solum loco, in templo, victimam immolare i. e. sacrificare liceret, iam sola oblatione in alia urbe designabatur apostasia. Illud in vulg *qui confugerant in Modin* nullibi habetur et sensum perturbat. Et v. 16 *multi* ex Israel accesserunt ad regis nuntios, scil. ut sacrificarent et regi obsequentes se ostenderent; Mathathias et filii eius συνήχθησαν congregati sunt, convenerunt (gr. S, s), ut rem explorarent et observarent quid factu opus esset (ita *Gr. K.*); sed aptius videtur explicare eos esse congregatos iussu inspectorum regis; id quod ex allocutione et postulatione eorum v. 17 colligitur. Dicuntur illi *respondere,* i. e. generatim ex rerum conditionibus vel ex certa quadam occasione ansam capere aliquid dicendi. Isti ex auctoritate muneris Mathathiae, qua est ἄρχων in urbe, ex honore quo fruitur apud omnes ἔνδοξος, ex potentia qua in alios propterea pollet, μέγας, cui potentiae etiam ex eo multum accedit, quod non sit solus, sed suffultus dignitate per filios et fratres ἐστηριγμένος, ex hisce igitur omnibus capiebant occasionem et argumenta eum hortandi, ut accederet primus ad regis mandatum observandum v. 18; exempla ei proponunt : *omnes gentes* regi obsecutae sunt, etiam *viri Iuda,* imo qui non aufugerunt, sed remanserunt in Ierusalem; addunt promissiones : tu et domus tua (tu et filii tui 52. 55. S, s, vulg) eris ex amicis regis; regis amici dicuntur quos rex singulari favore prosequitur et imprimis illi, qui summo magistratu, muneribus maxime honoratis funguntur, regis consiliarii. Ita Dionysius ἐπιστολόγραφος Antiochi regis unus ex amicis eius vocatur (Polyb. 31,3,. 16); et consiliarii quos advocat Alexander φίλοι appellantur (Diod. 17,54,3; cf. 55,1 belli dux ex amicis seligitur etc.); ceterum vide 6,10. 14; 10,65; 11,27; 15,28.

2 Mach. 1,14; 8,9; LXX Esth. 1,3; 2,18; 3,1 etc. Praeter regis favorem et dignitates porro promittuntur amplissimae opes, quibus eorum conditio illustrior atque honoratior reddatur, scil. *auro et argento*, pecunia, vasis, supellectile, coronis, aliisque *muneribus multis* (cf. 10,20,89).

Verum hisce omnibus spretis Mathathias clara voce qua omnes audirent sollemniter professus est se suosque nullatenus legem sanctam deserturos esse neque se ullo modo tangi exemplo aliorum; *etsi omnes gentes* τὰ ἐν οἴκῳ τῆς βασιλείας τοῦ βασιλέως (S quae sub imperio regis sunt, s gentes regni regis), quae in regione dominationis regis versantur; ἐν οἴκῳ i. e. בית locus, regio? audiunt regem eique *obediunt* et ita quidem ut unusquisque discedat ἀπὸ λατρείας πατέρων αὐτοῦ a cultu divino quem patres observarant; καὶ ἠρετίσαντο etsi omnes gentes sibi elegerint praecepta regis observanda iisque delectatae fuerint, v. 20 κἀγὼ (א A 23. 44; vulgo ἀλλ' ἐγὼ, S; s solum ego, uti vulg), explica καὶ ut hebr ו in apodosi, ego et filii mei et fratres mei ambulabimus in foedere quod maiores nostri observarunt; v. 21 ἵλεως ἡμῖν absit a nobis, ita quandoque apud LXX חלילה exprimitur (2 Sam. 20,20; 23,17. 1 Par. 11,19) i. e. Deus propitius nobis scil. avertat καταλιπεῖν ut relinquamus legem et δικαιώματα statuta; *iustitias Dei* eadem notione, ea scil. quae Deus tamquam iusta nobis praescripsit; est enim iustitia Dei status ille rectus et iustus quem Deus apud homines exsistere et valere vult; qua notione dictio et apud prophetas et apud S. Paulum saepius usurpatur. Cum emphasi v. 22 τῶν λόγων τοῦ βασιλέως (et s) primo loco ponitur: mandatis regis non obsequemur, ut scil. relinquamus cultum divinum nostrum δεξιὰν ἢ ἀριστεράν (scil. χεῖρα) ad latus dexterum vel sinistrum i. e. ullo modo (cf. Deut. 2,27; 5,29; 17,11 etc.); in vulg. sensus idem pluribus proponitur; item in S: ut transgredianur foedus nostrum et cultum nostrum, aut declinemus ab iis ad dexteram aut sinistram; s accurate sequitur graecum.

Fidei professionem praeclaram aeque ac fortem edidit Mathathias. Nonne sperandum erat verbis adeo piis ac firmis animos omnium Iudaeorum roboratum iri? At simulac cessavit loqui verba haec, processit vir Iudaeus *in omnium oculis*, palam, coram omnibus omnibusque qui aderant spectantibus θυσιάσαι ἐπὶ τοῦ βωμοῦ sacrificaturus super altare (θυμιάσαι A, item s offerre thura). Zelo honoris Dei et sacra indignatione accensus est Mathathias: *contremuerunt renes eius*, intimis animi recessibus commotus est, καὶ ἀνήνεγκε θυμὸν et ex iis sursum adduxit iram, excandescentia correptus est *secundum iudicium legis* κατὰ τὸ κρίμα, sicut ius et lex sacra postulavit; nam Deut. 13,7 seq. idololatrae non esse parcendum edicitur: non acquiescas ei nec audias

neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum, sed statim interficies; et v. 15 seq. habitatores urbis idololatrae percutiendi sunt, urbs et omnia usque ad pecora delenda. Mathathias ἄρχων suo iure usus secundum legem eum trucidavit, qui in omnium conspectu eam perpetravit abominationem. Inspectorem quoque regium qui ad impia sacrificia cogebat occidit, ita zelum legis exhibens, uti olim Phinees (Num. 25,4).

Narrationem Iosephus aliquantum exornat, Mathathiam cum filiis suis machaeras (κοπίδας) gerentibus in virum illum irruisse, et Apellem praefectum regium (τὸν στρατηγόν) una cum paucis militibus esse trucidatum (Antiq. 12,6,2). Alio loco (Bell. 1) eum nominaverat Bacchidem.

8. *Initium dimicationis pro lege* 2,27-48.

2,27. *Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate dicens : omnis qui zelum habet legis statuens testamentum exeat post me.* 28. *Et fugit ipse et filii eius in montes et reliquerunt quaecumque habebant in civitate.* 29. *Tunc descenderunt multi quaerentes iudicium et iustitiam in desertum,* 30. *et sederunt ibi ipsi et filii eorum et mulieres eorum et pecora eorum, quoniam inundaverunt super eos mala.* 31. *Et renuntiatum est viris regis et exercitui qui erat in Ierusalem civitate David, quoniam discessissent viri quidam qui dissipaverunt mandatum regis in loca occulta in deserto et abiissent post illos multi.* 32. *Et statim perrexerunt ad eos et constituerunt adversus eos proelium in die sabbatorum;*

33. *et dixerunt ad eos : resistitis et nunc adhuc? exite et facite secundum verbum regis Antiochi, et vivetis.* 34. *Et dixerunt : non exibimus neque faciemus verbum regis ut polluamus diem sabbatorum.* 35. *Et concitaverunt adversus eos proelium.* 36. *Et non responderunt eis nec lapidem miserunt in eos nec oppilaverunt loca occulta,* 37. *dicentes : moriamur omnes in simplicitate nostra, et testes erunt super nos coelum et terra quod iniuste perditis nos.* 38. *Et intu-*

2,27. Καὶ ἀνέκραξε Ματταθίας ἐν τῇ πόλει φωνῇ μεγάλῃ λέγων· πᾶς ὁ ζηλῶν τῷ νόμῳ καὶ ἱστῶν διαθήκην ἐξελθέτω ὀπίσω μου. 28. Καὶ ἔφυγον αὐτὸς καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ εἰς τὰ ὄρη καὶ ἐγκατέλιπον ὅσα εἶχον ἐν τῇ πόλει. 29. Τότε κατέβησαν πολλοὶ ζητοῦντες δικαιοσύνην καὶ κρίμα εἰς τὴν ἔρημον καθίσαι ἐκεῖ, 30. αὐτοὶ καὶ οἱ υἱοὶ αὐτῶν καὶ αἱ γυναῖκες αὐτῶν καὶ τὰ κτήνη αὐτῶν, ὅτι ἐπληθύνθη ἐπ' αὐτοὺς τὰ κακά. 31. Καὶ ἀνηγγέλη τοῖς ἀνδράσι τοῦ βασιλέως καὶ ταῖς δυνάμεσιν αἳ ἦσαν ἐν Ἱερουσαλὴμ πόλει Δαυὶδ, ὅτι κατέβησαν ἄνδρες οἵτινες διεσκέδασαν τὴν ἐντολὴν τοῦ βασιλέως εἰς τοὺς κρύφους ἐν τῇ ἐρήμῳ, 32. καὶ ἔδραμον ὀπίσω αὐτῶν πολλοί, καὶ καταλαβόντες αὐτοὺς παρενέβαλον ἐπ' αὐτοὺς καὶ συνεστήσαντο πρὸς αὐτοὺς πόλεμον ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, 33. καὶ εἶπον πρὸς αὐτοὺς· ἕως τοῦ νῦν, ἐξελθόντες ποιήσατε κατὰ τὸν λόγον τοῦ βασιλέως καὶ ζήσεσθε. 34. Καὶ εἶπον· οὐκ ἐξελευσόμεθα οὐδὲ ποιήσομεν τὸν λόγον τοῦ βασιλέως τοῦ βεβηλῶσαι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων. 35. Καὶ ἐτάχυναν ἐπ' αὐτοὺς πόλεμον. 36. Καὶ οὐκ ἀπεκρίθησαν αὐτοῖς οὐδὲ λίθον ἐνετίναξαν αὐτοῖς, οὐδὲ ἐνέφραξαν τοὺς κρύφους, 37. λέγοντες· ἀποθάνωμεν πάντες ἐν τῇ ἁπλότητι ἡμῶν· μαρτυρεῖ ἐφ' ἡμᾶς ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ ὅτι ἀκρίτως ἀπόλλυτε ἡμᾶς. 38. Καὶ ἀνέστησαν ἐπ' αὐτοὺς ἐν τῷ πολεμῷ τοῖς σάββασι, καὶ ἀπέθανον αὐτοὶ καὶ αἱ γυναῖκες αὐτῶν καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν καὶ

lerunt illis bellum sabbatis et mortui sunt ipsi et uxores eorum et filii eorum et pecora eorum usque ad mille animas hominum.

39. *Et cognovit Mathathias et amici eius et luctum habuerunt super eos valde;* 40. *et dixit vir proximo suo : si omnes fecerimus, sicut fratres nostri fecerunt, et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris et iustificationibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra.* 41. *Et cogitaverunt in die illa dicentes : omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum et non moriemur omnes sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.*

42. *Tunc congregata est ad eos synagoga Assidaeorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege,* 43. *et omnes qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos et facti sunt illis ad firmamentum;* 44. *et collegerunt exercitum,*

et percusserunt peccatores in ira sua, et viros iniquos in indignatione sua

et ceteri fugerunt ad nationes ut evaderent.

45. *Et circuivit Mathathias et amici eius et destruxerunt aras;* 46. *et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel et in fortitudine;* 47. *et persecuti sunt filios superbiae et prosperatum est opus in manibus eorum,* 48. *et obtinuerunt legem de manibus gentium et de manibus regum et non dederunt cornu peccatori.*

τὰ κτήνη αὐτῶν ἕως χιλίων ψυχῶν ἀνθρώπων.

39. Καὶ ἔγνω Ματταθίας καὶ οἱ φίλοι αὐτοῦ καὶ ἐπένθησαν ἐπ' αὐτοὺς ἕως σφόδρα. 40. Καὶ εἶπεν ἀνὴρ τῷ πλησίον αὐτοῦ· ἐὰν πάντες ποιήσωμεν ὡς οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν ἐποίησαν, καὶ μὴ πολεμήσωμεν πρὸς τὰ ἔθνη ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν καὶ τῶν δικαιωμάτων ἡμῶν, νῦν τάχιον ἡμᾶς ὀλοθρεύσουσιν ἀπὸ τῆς γῆς. 41. Καὶ ἐβουλεύσαντο τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ λέγοντες· πᾶς ἄνθρωπος ὃς ἐὰν ἔλθῃ πρὸς ἡμᾶς εἰς πόλεμον τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, πολεμήσωμεν κατέναντι αὐτοῦ, καὶ οὐ μὴ ἀποθάνωμεν πάντες καθὼς ἀπέθανον οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν ἐν τοῖς κρύφοις.

42. Τότε συνήχθησαν πρὸς αὐτοὺς συναγωγὴ Ἀσιδαίων, ἰσχυροὶ δυνάμει ἀπὸ Ἰσραὴλ, πᾶς ὁ ἑκουσιαζόμενος τῷ νόμῳ, 43. καὶ πάντες οἱ φυγαδεύοντες ἀπὸ τῶν κακῶν προσετέθησαν αὐτοῖς καὶ ἐγένοντο αὐτοῖς εἰς στήριγμα. 44. Καὶ συνεστήσαντο δύναμιν,

καὶ ἐπάταξαν ἁμαρτωλοὺς ἐν ὀργῇ αὐτῶν καὶ ἄνδρας ἀνόμους ἐν θυμῷ αὐτῶν,

καὶ οἱ λοιποὶ ἔφυγον εἰς τὰ ἔθνη σωθῆναι.

45. Καὶ ἐκύκλωσε Ματταθίας καὶ οἱ φίλοι αὐτοῦ καὶ καθεῖλον τοὺς βωμοὺς αὐτῶν· 46. καὶ περιέτεμον τὰ παιδάρια τὰ ἀπερίτμητα ὅσα εὗρον ἐν ὁρίοις Ἰσραὴλ ἐν ἰσχύϊ, 47. καὶ ἐδίωξαν τοὺς υἱοὺς τῆς ὑπερηφανίας καὶ κατευοδώθη τὸ ἔργον ἐν χειρὶ αὐτῶν, 48. καὶ ἀντελάβοντο τοῦ νόμου ἐκ χειρὸς τῶν ἐθνῶν καὶ ἐκ χειρὸς τῶν βασιλέων καὶ οὐκ ἔδωκαν κέρας τῷ ἁμαρτωλῷ.

Ostenderat Mathathias zelum legis audaci facinore; eundem magis quoque ostendit sua ad cives evocatione et suo quo praeit exemplo fugae. Rite enim perspexit, ut apostasia cohiberetur necesse esse separare prius fideles a turba et commercio infidelium; ut vero sua restitueretur dignitas ac libertas reipublicae et legi, opus esse procedere via et ordine ad proeliandum. Praeclaro initio utrumque inauguravit. Et primo quidem animos provocat generosos, Dei legisque amantes; v. 27 *statuens testamentum* ἱστῶν qui foedus sacrum retinere, conservare vult. Relictis opibus ipse cum filiis fugit in montes regionis Iu-

daeae, ubi secure poterant latere. Horum exemplo animati *multi quaerentes iudicium et iustitiam*, qui vitam instituere volebant secundum iustitiam et normam iuris, sese receperunt *in desertum* Iudaeae in occidentali parte maris mortui, ibique habitabant; neque enim deerant ibi loca pascua; nam *mala*, vexationes, scelera idololatriae, defectiones multorum, dira necessitas vel recedendi a lege vel sese fuga subtrahendi, *super eos inundaverunt*, ἐπληθύνθη (etiam S, s; A ἐσκληρύνθη). Inde elucet et subsequentibus pugnis etiam magis patet, sicut tempore Eliae, ita in ea quoque persecutione reliquisse sibi Deum multos qui non curvaverunt genua coram Baal.

Latere non poterat haec multorum fuga v. 31; mox ea innotuit inspectoribus regis et militibus *in Ierusalem* i. e. in[1] *civitate David*, in arce constitutis (cf. 1,35. 36); et cur fugam arripuissent, innotuit, οἵτινες, quippe qui, sc. ut tales *qui dissipaverunt* διεσκέδασαν, qui neglexerunt, violarunt, irritum reddiderunt mandatum regis. In deserto Iudaeae cavernae, latebrae non deerant (cf. 1,56); in speluncis habitabant, ἐν σπηλαίοις διῆγον (Iosephus l. c.). Hoc nuntio accepto multi milites ex arce ad illos persequendos festinarunt. Exaggeratione narrat Iosephus totum praesidium arcis excurrisse. Et cum illos assecuti essent (καταλαβόντες) seu invenissent, ubi laterent, παρενέβαλον ἐπ' αὐτούς obsidione eos clauserunt; παρεμβάλλειν frequentissime in nostro libro legitur notione castra ponere, obsidere. Die vero sabbati pararunt oppugnationem eorum; ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, die quo celebrari solent sabbata; sed forte melius explicatur pluralis vel eo quia dies festi eo numero saepe efferri solent, uti τὰ ἐγκαίνια, ἄζυμα, γενέσια vel ex forma aramaica שׁבתא. Sed antea interpellant eos : ἕως τοῦ νῦν, est exclamatio : usque nunc! scil. resistitis; dicunt cum indignatione : satis superque usque nunc contumaces fuistis; S addit explicationis gratia : sufficit usque nunc (similiter in aliquibus ἕως τ. ν. ἱκανόν), s saltem usque huc. Iubentur egressi facere, ut rex imperavit; ea conditione vitam servabunt. Negant illi se egressuros esse et regis mandatum impleturos; uti textus fertur, videtur ab iis nomine regis postulatum esse, ut tamquam documentum obedientiae sabbatum violarent seu negligerent; nam cum esset dies sabbati, pronum erat ut prae aliis hoc statim documentum ab iis exigeretur. Aliis placet explicare : eos cum indignatione reiecisse, et aegre tulisse quod die sabbati sacro talis fieret postulatio qua ipsa diei sanctitas profanaretur.

Recusantibus iam bellum infertur, v. 35, idque celeriter ἐτάχυνον. Illi vero ne manum quidem moverunt ad sui defensionem, neque

1. Repetitur praepositio in S; sed s habet ut graece; ceterum sensus non mutatur.

aditum ad latebras obstruxerunt; sabbati religionem simplici pietate observare malunt; testari tamen asserunt coelum et terram, coelicolas scil. Deum et angelos, et optimum quemque hominum, *quod iniuste perditis nos*; s quod innoxios nos perditis. Aggressi nihilominus sunt illos inermes omnesque trucidarunt v. 38; de istis Iudaeis haec iudicat *Calm.* : « magnam profecto laudem merentur, qui legis ac sabbati studio ne hanc violarent, constantissime mortem obiere; attamen debita huic rei prudentia et consilio caruerunt; leges rituales hominum commodo sunt, non detrimento »; eos tamquam martyres laudat *Lap.* et *Serarius* quoque ait non esse eos culpandos neque fuisse in eis proprie dictam imprudentiam, ideoque nec vituperatione dignam inscientiam; « deinde ad tantam sabbati custodiam eos religionis in Deum ipsiusque legis amor excitabat, et summae laudis est pro sacris rebus, Dei ecclesiaeque legibus gravissima quaeque perpeti, etiamsi quis forte tali et loco et tempore obligatus non esset ». De iis ita censet S. Ambrosius : « cum essent parati ad repugnandum pro templo Dei et pro legitimis suis, dolo hostium die lacessiti sabbati, maluerunt vulneribus offerre nuda corpora quam repugnare, ne violarent sabbatum. Itaque omnes laeti se obtulerunt morti. Sed Machabaei considerantes quod hoc exemplo gens omnis posset perire, sabbato etiam, cum ipsi in bellum provocarentur, ulti sunt innocentium necem fratrum suorum » (De officiis 1,40. *M.* 16,18). Simili modo Ptolemaeus Soter die sabbati dolo urbem sanctam occupavit; quare, ut Iosephus refert (Antiq. 12,1), Agatharchides Cnidius Iudaeis exprobrat δεισιδαιμονίαν : « est gens quae Iudaeorum dicitur, qui urbem incolentes magnam et bene munitam nomine Hierosolyma, passi sunt eam in Ptolemaei potestatem venire quod arma capere noluerint atque ex superstitione intempestiva (διὰ τὴν ἄκαιρον δεισιδαιμονίαν) crudeli dominatori sese subiecerunt ». Narrat Iosephus illos in speluncis suffocatos et combustos esse (Ant. 12,6); id quod verbis v. 38 non indicatur; fortasse id coniecit Iosephus ex facinore patrato (2 Mach. 6,11).

Re cognita Mathathias et amici eius illis quidem luctu funebri debitum habuerunt honorem, at simul inter se (*dixit vir proximo suo*, noto hebraismo, 2 Reg. 7,9) prudenter deliberabant v. 39; uti Iosephus narrat, multi ex illo periculo evaserunt et se Mathathiae adiunxerunt; eos docuit Mathathias etiam sabbatis pugnare, « si hoc non fecerint, legem servantes sibi ipsos hostes fore, cum inimici eos aggressuri essent eo die quo ipsi vim non essent propulsaturi; adeoque nihil prohibiturum esse, quin omnes hoc modo absque pugna pereant » (l. c.). Volunt itaque pugnare pro vita sua et pro sacris sta-

tutis : *pro animabus nostris et iustificationibus nostris*, S s pro lege nostra; unde v. 41 ἐβουλεύσαντο decreverunt, consilium ceperunt, ut die quoque sabbati vim vi repellerent; « atque hactenus nobis mansit consuetudo, ut sabbatis etiam quandoquidem oportet pugnemus » (Iosephus l. c.).

Cum iam de summa re ageretur, etiam reliqui pii Dei cultores aperte sese partibus Machabaeorum adiunxerunt ad bellum hostibus religionis inferendum v. 42 συναγωγή i. e. multitudo (cf. 7,12; 3,44) Ἀσιδαίων i. e. חסידים i. e. pii; quo nomine in vetere testamento, praesertim in psalmis, pii Dei cultores designantur (Ps. 12,2; 16,10; 30,5; 31,24; 37,28 etc. in vulg. saepe sancti). Isti peculiarem quandam factionem constituisse videntur, qui sicut postea pharisaei singulari ratione perfectae observationi legis operam dabant et a reliqua turba secernebantur eo nomine quo omnibus innotescebant. Tunc quidem numerum sectatorum Mathathiae auxerunt; at data occasione iterum separati a Machabaeis consilia ceperunt (1 Mach. 7,13). Describuntur in v. 42 ἰσχυροὶ δυνάμει (LXX, 1 Par. 7,2. 7. 40, hebr. גבורי חיל vulg. viri fortissimi, robustissimi); *omnis voluntarius in lege*, ὁ ἑκουσιαζόμενος qui promptus ac paratus erat, sponte se offerebat ad legem tuendam, ad pugnandum et patiendum pro lege. Insuper illis adiuncti sunt v. 43 *qui fugiebant a malis* quae scil. per impios regis ministros et per impia regis mandata inferebantur; horum numerus sat magnus erat, uti ex addito apparet : *et facti sunt illis ad firmamentum*; robur exercitus Mathathiae invalescebat; s facti sunt illis in adiutorium.

Atque ante omnia aggrediebantur, ut abominationibus remotis legis observantia stabiliretur; quare v. 44 collectis militibus *percusserunt* (S occiderunt) Iudaeos apostatas zelo et studio religionis; quam sacram indignationem simul cum gaudio de lege Dei vindicata sacer auctor disticho inserto exprimit. Quos gladius ultor non attigit, scil. *et ceteri*, Iudaei peccatores et legis contemptores, fuga ad loca gentium arrepta sibi consulere studebant.

Zelatores autem legis v. 45 loca et symbola idololatriae, *aras*, destruxerunt per omnem regionem circumeuntes; signum foederis, circumcisionem, sedulo administrabant ἐν ἰσχύϊ, etiam usi vi ac coactione, ubi opus erat, scil. si quos parentes timidos ac reluctantes invenissent ob timorem regis; etiam invitis parentibus circumcidebant eo quod parentes Israelitae lege obligabantur (*Lap.*). Quae legis instauratio ut tuto consisteret, Syros etiam seu milites regis persequebantur, *filios superbiae*, viros arrogantiae et insolentiae addictos, quippe qui bellum gerere in Deum praesumebant v. 47. Atque opus instaurationis felici-

ter successit, ita quidem, ut v. 48 legem (ab hostibus quasi captam, oppressam, impeditam) ex manibus inimicorum eriperent et in libertatem vindicarent; S et sumpserunt (s et eripuerunt) legem ex manu gentium et ex manu regum et non dederunt ut erigeretur cornu peccatoris (s ut graece) : *non dederunt cornu*, potentiam ac robur peccatoris, regis Antiochi, crescere et dominari minime sinebant. Symbolum potentiae ac fortitudinis est cornu; unde exaltare cornu 1 Sam. 2,10; producere cornu Ps. 131,17; confringere, conterere cornu Ps. 74, 11. Eccli. 47,8 etc.

9. *Mathathias moritur* 2,49-69.

2,49. *Et appropinquaverunt dies Mathathiae moriendi et dixit filiis suis : nunc confortata est superbia et castigatio et tempus eversionis et ira indignationis;* 50. *nunc ergo, o filii, aemulatores estote legis et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum;* 51. *et mementote operum patrum, quae fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum.* 52. *Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis et reputatum est ei ad iustitiam?* 53. *Ioseph in tempore angustiae suae custodivit mandatum et factus est dominus Aegypti;* 54. *Phinees, pater noster, zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotii aeterni;* 55. *Iesus dum implevit verbum, factus est dux in Israel;* 56. *Caleb dum testificatur in ecclesia, accepit hereditatem;*

57. *David in sua misericordia consecutus est sedem regni in saecula;* 58. *Elias dum zelat zelum legis, receptus est in coelum;* 59. *Ananias et Azarias et Misael credentes liberati sunt de flamma;* 60. *Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.*

61. *Et ita cogitate per generationem et generationem, quia omnes qui sperant in eum non infirmantur;* 62. *et a verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus et vermis est;*

63. *hodie extollitur et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam et cogitatio eius periit.*

2,49. Καὶ ἤγγισαν αἱ ἡμέραι τοῦ Ματταθίου ἀποθανεῖν καὶ εἶπε τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ· νῦν ἐστηρίχθη ὑπερηφανία καὶ ἔλεγμὸς καὶ καιρὸς καταστροφῆς καὶ ὀργὴ θυμοῦ· 50. καὶ νῦν, τέκνα, ζηλώσατε τῷ νόμῳ καὶ δότε τὰς ψυχὰς ὑμῶν ὑπὲρ διαθήκης πατέρων ἡμῶν· 51. μνήσθητε τῶν πατέρων ἡμῶν τὰ ἔργα ἃ ἐποίησαν ἐν ταῖς γενεαῖς αὐτῶν καὶ δέξασθε δόξαν μεγάλην καὶ ὄνομα αἰώνιον. 52. Ἀβραὰμ οὐχὶ ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστὸς καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην; 53. Ἰωσὴφ ἐν καιρῷ στενοχωρίας αὐτοῦ ἐφύλαξεν ἐντολὴν καὶ ἐγένετο κύριος Αἰγύπτου· 54. Φινεὲς ὁ πατὴρ ἡμῶν ἐν τῷ ζηλῶσαι ζῆλον ἔλαβε διαθήκην ἱερωσύνης αἰωνίας· 55. Ἰησοῦς ἐν τῷ πληρῶσαι λόγον ἐγένετο κριτὴς ἐν Ἰσραήλ· 56. Χαλὲβ ἐν τῷ ἐπιμαρτύρασθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἔλαβε γῆς κληρονομίαν·

57. Δαυὶδ ἐν τῷ ἐλέῳ αὐτοῦ ἐκληρονόμησε θρόνον βασιλείας εἰς αἰῶνα αἰῶνος· 58. Ἠλίας ἐν τῷ ζηλῶσαι ζῆλον νόμου ἀνελήφθη ἕως εἰς τὸν οὐρανόν· 59. Ἀνανίας, Ἀζαρίας, Μισαὴλ πιστεύσαντες ἐσώθησαν ἐκ φλογός· 60. Δανιὴλ ἐν τῇ ἁπλότητι αὐτοῦ ἐρρύσθη ἐκ στόματος λεόντων.

61. Καὶ οὕτως ἐννοήθητε κατὰ γενεὰν καὶ γενεάν, ὅτι πάντες οἱ ἐλπίζοντες ἐπ' αὐτὸν οὐκ ἀσθενήσουσι· 62. καὶ ἀπὸ λόγων ἀνδρὸς ἁμαρτωλοῦ μὴ φοβηθῆτε, ὅτι ἡ δόξα αὐτοῦ εἰς κοπρίαν καὶ εἰς σκώληκας· 63. σήμερον ἐπαρθήσεται καὶ αὔριον οὐ μὴ εὑρεθῇ, ὅτι ἐπέστρεψεν εἰς τὸν χοῦν αὐτοῦ καὶ ὁ διαλογισμὸς αὐτοῦ ἀπώλετο.

64. *Vos ergo filii confortamini et viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis.* 65. *Et ecce, Simon frater vester, scio quod vir consilii est, ipsum audite semper et ipse erit vobis pater;* 66. *et Iudas Machabaeus, fortis viribus a iuventute sua, sit vobis princeps militiae et ipse aget bellum populi;* 67. *et adducetis ad vos omnes factores legis et vindicate vindictam populi vestri;*

68. *retribuite retributionem gentibus et intendite in praeceptum legis.*

69. *Et benedixit eos, et appositus est ad patres suos,* 70. *et defunctus est anno centesimo et quadragesimo sexto; et sepultus est a filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, et planxerunt eum omnis Israel planctu magno.*

64. Καὶ ὑμεῖς, τέκνα, ἰσχύσατε καὶ ἀνδρίζεσθε ἐν τῷ νόμῳ, ὅτι ἐν αὐτῷ δοξασθήσεσθε. 65. Καὶ ἰδοὺ Συμεὼν ὁ ἀδελφὸς ὑμῶν, οἶδα ὅτι ἀνὴρ βουλῆς ἐστιν, αὐτοῦ ἀκούετε πάσας τὰς ἡμέρας, αὐτὸς ὑμῖν ἔσται εἰς πατέρα. 66. Καὶ Ἰούδας Μακκαβαῖος ἰσχυρὸς δυνάμει ἐκ νεότητος αὐτοῦ, οὗτος ὑμῖν ἔσται ἄρχων στρατιᾶς καὶ πολεμήσει πόλεμον λαῶν. 67. Καὶ ὑμεῖς προσάξατε πρὸς ὑμᾶς πάντας τοὺς ποιητὰς τοῦ νόμου καὶ ἐκδικήσατε ἐκδίκησιν τοῦ λαοῦ ὑμῶν· 68. ἀνταπόδοτε ἀνταπόδομα τοῖς ἔθνεσι, καὶ προσέχετε εἰς τὰ προστάγματα τοῦ νόμου.

69. Καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ· 70. καὶ ἀπέθανεν ἐν τῷ ἑκτῷ καὶ τεσσαρακοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἔτει· καὶ ἔθαψαν αὐτὸν οἱ υἱοὶ αὐτοῦ ἐν τάφοις πατέρων αὐτῶν ἐν Μωδεΐν, καὶ ἐκόψαντο αὐτὸν πᾶς Ἰσραὴλ κοπετὸν μέγαν.

Mathathias, sacri pro lege Dei et cultu certaminis auctor, finem vitae prospiciens fidelitatem observationis legis atque pro ea pugnandi constantiam tamquam sacrum quoddam testamentum filiis legavit. Quo ultimo sermone quasi imitator exsistit Iacob patriarchae (Gen. 49), Moysis (Deut. 33), Iosue (Ios. 23. 24), David regis (3 Reg. 2). Conditione temporis paucis delineata filios adhortatur, ut legis studium ac zelum usque ad profusionem vitae exhibeant. Adhortationem fulcit prolatis exemplis sanctorum, qui variis difficultatibus obiectis fidem Dei servantes protectionem Dei experti sunt et praemia fidelitatis reportarunt (v. 49-61); dein monet gloriam et minas hominis impii stercoris instar esse reputanda (v. 62. 63); demum normam agendi et regendi filiis tradit (v. 64-68).

Eodem modo quo narratio de ultimis rebus gestis Iacob patriarchae (Gen. 47,29) et David regis (3 Reg. 2,1) vestitur, sacer auctor finem vitae operumque Mathathiae indicat v. 49 καὶ ἤγγισαν (cf. LXX l. c.); quae agantur tempora, declarat: invaluit insolentia inimicorum et quasi sedem firmam fixit in regione nostra; gravis facta est *castigatio*, ἐλεγμός, vexatio scil. piorum per impios; incumbit *tempus eversionis*, quo sacra nostra instituta et respublica diruuntur; Dei quoque in nos devolvitur *ira indignationis* (cf. 1,67; 2 Mach. 5,17. 20: ipse locus derelictus in ira Dei est), ὀργὴ θυμοῦ affectus, irae vehementia, aestus exprimitur. Secundum Iosephum (Ant. 12,6,3) Mathathias per annum imperavit. Studium legis et foederis sacri commendat, in quo scil. foedere maiores vitam transegerant. Eorum opera et exempla vitae si

firmiter memoria recoluerint, fore ut ipsi quoque imitatione eorum gloriam famamque perennem acquirant. S omittit in v. 51 prima verba (et mementote operum patrum); s vero accurate graecum sequitur : mementote opera primorum (maiorum) etc.

Abraham inventus est fidelis in mandato Dei quam maxime inexspectato et difficillimo (Gen. 22,2); ea quoque occasione suam in Dei fidem summopere probavit et exhibuit; quare merito laus illa, eius fidei attributa Gen. 15,6, hoc loco repetitur. Id enim iussus est facere, quo omnem Dei de posteritate promissionem ipse irritam reddere ac destruere videbatur; verum Deus firmam eius fidem ad praeclarum exitum adduxit. Est itaque Abraham praeclaro exemplo, ut in rebus quoque plane desperatis praevaleat fides. Ioseph quoque diu in servitute retentus, imo eximia castitatis virtute exhibita in carcerem deiectus non se tradidit diffidentiae, quamvis vitae sors mirum quantum discreparet a somniis illis promissivis, sed *custodivit mandatum*, fidem ac fiduciam in Deum; et demum praemium eximium fidei et patientiae consecutus est. Sunt qui v. 52 de tentatione explicent quae ei ab uxore Putiphar facta sit (*Lap. Gr.*); sed *tempus angustiae* maius quid et magis diuturnum designat; mandatum, ἐντολή, bene dicitur de norma vitae a Deo praescripta, quae qualis sit nemo Iudaeus ignorat. Quia Ioseph diutius spe omni quasi ablata in fide ac patientia perseveravit, exemplum praebet tempori Machabaeorum apprime accommodatum.

Tertio loco exemplum affertur quasi domesticum : *Phinees, pater noster,* unus scil. ex maioribus familiae totius sacerdotalis, filius Eleazar et nepos Aaron pontificis; de eius zelo vide Num. 25,7 et in praemium zeli « erit tam ipsi quam semini eius pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo et expiavit scelus filiorum Israel » (Num. 25,13).

Unde Machabaeos, utpote sacerdotes, praeprimis decet zelum legis exhibere. Iesus (Iosue) Domini *verbum,* mandatum (Num. 27,16 seq. Ios. 1,2-10) magna animi constantia, difficultatibus minime fractus, exsecutus est; ideoque κριτής princeps, dux, salvator factus est pro Israel. In eo elucet animus fortis et ad proelia Dei proelianda promptus ac paratus. Caleb contra omnium fere tumultum et impetum pro veritate fortiter testatus est in conventu populi (Num. 14,6-10); quare praemium fidelis testimonii adeptus est hereditatem terrae; cf. Num. 14,24. Ios. 14,6-14); S terram hereditatis; s hereditatem (uti ℵ,vulg.). David quoque ἐν τῷ ἐλέῳ αὐτοῦ propter suam pietatem (cf. חסד Ier. 2,2. Os. 6,4. 6; 2 Chron. 32,32; 35,26. Neh. 13,14 LXX ἔλεος) quam in Deum exhibuit 2 Sam. 7,2, *consecutus est sedem regni* εἰς αἰῶνα αἰῶνος qua

locutione thronus revera aeternus declaratur qui in Messia filio David erectus est; talis regni perennis promissio clare quoque enuntiatur 2 Sam. 7,13.16; Ps. 88,29. 37. 38; 131,11. 12. Notatu dignum est clare exprimi aeternum thronum regni David (i. e. Messiae) eo tempore quo iam diu temporale regnum David prostratum iacuit; verum semper viva erat exspectatio Messiae (s habet ut vulg. *in saecula;* S (quod est) in saeculum saeculorum).

Eximium zeli inter aerumnas et persecutiones exhibiti exemplum et zeli praemium singulare et praestantissimum cernitur in Elia (cf. 3 Reg. 18,16 seq. 4 Reg. 2,11); non sine emphasi dicitur ἕως εἰς τὸν οὐρανόν usque in coelum (similiter s); ἕως tamen omittitur in ℵ, S et nonnullis minusculis; ως in A explicatur ex 4 Reg. 2,1 LXX. Exhibetur itaque notio et spes immortalitatis, quam abesse in hoc libro saepe contendunt. Duo quoque exempla afferuntur ex libro Daniel et eo quidem ordine quo ibi scripta sunt. Fidem professi tres illi iuvenes a flamma fornacis nimium succensae immunes servati sunt (Dan. 3); ipse Daniel etiam propter animi simplicitatem et sinceritatem, qua non obstante regis mandato fideliter preces persolvit, liberatus est a periculo leonum (Dan. 6,8-23), de ore leonum (S; de fovea leonum s). Quae duo exempla insignem ostendunt Dei protectionem concessam servantibus legem et fidem in Deum profitentibus.

Demum generali modo v. 61 admonentur, ut mente percurrant generationes praeteritas; in singulis cerni quantum roboris sit in firma Dei fiducia. Sacram itaque historiam recolant, uti ipse exemplis illis innuit, et uti similiter fit v. g. Ps. 77; 104; 134 et 135; Ez. 20; Sap. 10. Eccli. 44 seq. Quantum valeat spes, optime docet Is. 40,31 : qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.

Alia ratio spei et fortitudinis cernitur in infirmitate et certa ruina viri peccatoris v. 62; minas eius, scil. Antiochi regis ac ministrorum eius, esse contemnendas; quid enim est eius potestas, pompa, iactatio? εἰς κοπρίαν καὶ εἰς σκώληκας, fiet in stercus et in vermes, quibus res caducae, fluxae, abominabiles declarantur. Cito evanescet v. 63; cf. Ps. 86,35 vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi et ecce non erat et quaesivi eum et non est inventus locus eius: quia reversus est in terram suam, de qua scil. formatus est, εἰς τὸν χοῦν αὐτοῦ in pulverem suum; cf. Ps. 145,4; mox morietur et ὁ διαλογισμός et consilium eius periit; quae excogitavit dissipantur et concidunt.

Quare filios exhortatur verbis Iosue (10,25), ut in lege tuenda omnem vim collocent; nam in tuenda lege summam laudem et gloriam habebunt v. 64. Dein v. 65 filiis commendat Simonem laude prudentiae,

cuius consiliis obsequantur et qui iis sit loco patris; S vir consilii et intelligentiae; s vir intelligentiae; S et is erit vobis caput et dux, s pater. In re bellica eis statuit ducem ac principem Iudam, quippe qui fortitudine excelluerit a iuventute; ipse curam habebit ut bellum populi geratur; πόλεμον λαῶν, S et is geret bella cum populis; de gentibus oportet pluralem intelligere, iam ex eo qui in v. 67 sequitur singularis. Ceterum 71. ὑπερ λαου, et eo modo vulg et s et geret bellum populi sui. Praeterea v. 67 iis curae erit unire sibi et aggregare *omnes factores legis,* ut scil. auctis viribus ius populi sui defendere et iniurias depellere possint et vindictam in alienigenas exercere valeant. Dum autem v. 68 gentibus vicem rependant et illatas iniurias ulciscantur, ipsis praeprimis incumbit sollicitudo observandi legis praecepta, ut scil. legem quam armis tuentur etiam vitae ratione stabiliant.

Praeclaris his monitis concludit sermonem, benedicit filiis et defunctus *ad patres* iam in scheol commorantes *appositus est.* Ita sermo fit de morte patriarcharum Gen. 25,8; 35,29; 49,33. Deut. 32,50 etc., quo significatur eos colligi ad animas maiorum in scheol. Praeterea explicita mentio fit sepulturae corporis. Mortuus est Mathathias anno 146. Sel. i. e. 167 a. Ch. et sepultus in Modin. Refertur luctus funebris verbis iis quibus luctus de morte Iacob narratur (Gen. 50,10 LXX), ut ipso narrandi modo viri praestantia commendetur. S mortem refert ad annum 148 regni, s uti graece ad annum 146.

PARS PRIMA

RES A IUDA GESTAE 3,1-9,22.

1. *Celebratur laus Iudae* 3,1-9.

3,1. *Et surrexit Iudas qui vocabatur Machabeus, filius eius, pro eo;* 2. *et adiuvabant eum omnes fratres eius et universi qui se coniunxerant patri eius et praeliabantur praelium Israel cum laetitia.*

3. *Et dilatavit gloriam populo suo*
et induit se loricam sicut gigas,
et succinxit se arma bellica sua in praeliis
et protegebat castra gladio suo.

4. *Similis factus est leoni in operibus suis*
et sicut catulus leonis rugiens in venatione ;
5. *et persecutus est iniquos perscrutans eos,*
et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis.
6. *Et repulsi sunt inimici eius prae timore eius,*
et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt
et directa est salus in manu eius.
7. *Et exacerbabat reges multos*
et laetificabat Iacob in operibus suis,
et in saeculum memoria eius in benedictione.
8. *Et perambulabat civitates Iuda*
et perdidit impios ex eis,
et avertit iram ab Israel.

3,1. Καὶ ἀνέστη Ἰούδας ὁ καλούμενος Μακκαβαῖος, υἱὸς αὐτοῦ, ἀντ' αὐτοῦ. 2. Καὶ ἐβοήθουν αὐτῷ πάντες οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ πάντες ὅσοι ἐκολλήθησαν τῷ πατρὶ αὐτοῦ, καὶ ἐπολέμουν τὸν πόλεμον Ἰσραὴλ μετ' εὐφροσύνης.

3. Καὶ ἐπλάτυνε δόξαν τῷ λαῷ αὐτοῦ,
καὶ ἐνεδύσατο θώρακα ὡς γίγας,
καὶ συνεζώσατο τὰ σκεύη τὰ πολεμικὰ αὐτοῦ,
καὶ συνεστήσατο πολέμους σκεπάζων παρεμβολὴν ἐν ῥομφαίᾳ.
4. Καὶ ὡμοιώθη λέοντι ἐν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ,
καὶ ὡς σκύμνος ἐρευγόμενος εἰς θήραν·
5. καὶ ἐδίωξεν ἀνόμους ἐξερευνῶν,
καὶ τοὺς ταράσσοντας τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐφλόγισε.
6. Καὶ συνεστάλησαν οἱ ἄνομοι ἀπὸ τοῦ φόβου αὐτοῦ,
καὶ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀνομίας συνεταράχθησαν,
καὶ εὐοδώθη σωτηρία ἐν χειρὶ αὐτοῦ.
7. Καὶ ἐπίκρανε βασιλεῖς πολλοὺς
καὶ εὔφρανε τὸν Ἰακὼβ ἐν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ,
καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ εἰς εὐλογίαν.
8. Καὶ διῆλθεν ἐν πόλεσιν Ἰούδα,
καὶ ἐξωλόθρευσεν ἀσεβεῖς ἐξ αὐτῆς
καὶ ἀπέστρεψεν ὀργὴν ἀπὸ Ἰσραήλ.

9. *Et nominatus est usque ad novissimum terrae*
et congregavit pereuntes.

9. Καὶ ὠνομάσθη ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς,
καὶ συνήγαγεν ἀπολλυμένους.

Pro defuncto patre Iudas *surrexit* i. e. princeps et dux factus est et agnitus, v. 2; nam fratres eius et quicumque patris partes secuti erant ei quoque libenter obsecuti sunt. Et quam merito ei adhaeserint, declaratur encomio Iudae, quod res eius gestas more poetico celebrat et quidem quinque distichis et tribus tristichis. Forte carmen hoc in populo erat vulgatum ad memoriam herois praedicandam. Apte inseritur quo quasi conspectus generalis operum eius proponatur.

Et primo quidem laudatur quod populo suo longe lateque acquisivit gloriam ita scil. ut gloria Israel inter gentes divulgaretur. Quomodo haec dilatatio famae et gloriae effecta sit, declaratur sequentibus : ipse erat heros, suos protegens, inimicos prosternens, et ita prosperam conditionem condens (v. 3-6). Quomodo salus per eum effecta sit, declaratur v. 7-9, qua re ipse gloriam sibi acquisivit.

Describitur Iudas, uti ex 2,66 iam exspectatur, vir bellator, egregiis armis instructus; σκεύη πολεμικά cf. כלי מלחמה Deut. 1,41; 1 Sam. 8,12 LXX; sua pugnandi fortitudine *protegebat castra,* παρεμβολήν., quae vox frequentissime in nostro libro occurrit significatione castrorum (apud LXX pro מחנה) et etiam exercitus, aciei instructae. S exprimit graecum; aliter s succinxit se armis bellicis, sicut qui ruunt in bellum et elevavit clypeos super castra ad caedem. Comparatio viri fortis cum leone est usitata; cf. Gen. 49,9 catulus leonis Iuda; Num. 23,24. 2 Sam. 1,23; 17,10. 1 Par. 12,8 etc.; σκύμνος *catulus leonis rugiens* εἰς θήραν i. e. qui rugitu magno irruit in praedam; ita furor et vehementia pugnandi, irruendi in hostes describitur. Iudaeos apostatas, ἀνόμους, sedula investigatione persecutus est et alienigenas, perturbatores populi sui, *succendit flamma;* fit allusio ad ea quae referuntur 5,5.44; 2 Mach. 8,33; S persecutus est iniquos cum diligentia; s simulatque exploravit. Severo eius agendi modo obstupefacti sunt οἱ ἄνομοι *prae timore eius;* tantum illis incussit timorem; omnes ἐργάται τῆς ἀνομίας i. e. Iudaei et gentes; illi enim ipsi exercent, s perantur ἀνομίαν, gentes cogunt ad eam; hi omnes terrore et turbatione correpti sunt. Quia ergo impii fortiter repressi sunt (v. 5. 6), *salus* i. e. liberatio a tyrannide alienorum et prospera populi conditio per eum effecta est. S et fugerunt et timuerunt iniqui timore eius,... et dabatur liberatio per manus eius. Principibus multis et regibus creavit molestias v. 7; bellorum scil. ducibus, et regibus (s omittit multis) Antiocho Epiphani, Eupatori, Demetrio I; rebus gestis laetitiam attulit Iudaeis fidelibus, ita ut in omne tempus memoria eius sit εἰς εὐλογίαν, laudetur atque celebretur.

Quam sedulo in urbibus Iuda legem restituerit et ex ea regione impios deleverit, declaratur v. 8, hac sancta agendi ratione avertit iram Dei ab Israel (cf. 1,67; 2,49); ἐξ αὐτῆς refertur ad terram Iuda; ἐξ αὐτῶν (S s et plures minusculi). Ita factum est, ut cum laude nomen eius celebraretur etiam in dissitis regionibus; Israelitas autem *pereuntes*, qui iam interituri videbantur et fere de sua salute desperantes (S dispersos, s perditos) *congregavit*, dilapsos collegit.

2. *Iudas devicit Apollonium et Seronem* 3,10-26.

3,10. *Et congregavit Apollonius gentes et a Samaria virtutem multam et magnam ad bellandum contra Israel.* 11. *Et cognovit Iudas et exiit obviam illi et percussit et occidit illum, et ceciderunt vulnerati multi et reliqui fugerunt;* 12. *et accepit spolia eorum et gladium Apollonii abstulit Iudas et erat pugnans in eo omnibus diebus.*

13. *Et audivit Seron princeps exercitus Syriae quod congregavit Iudas congregationem fidelium et ecclesiam secum;* 14. *et ait : faciam mihi nomen et glorificabor in regno et debellabo Iudam et eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis.* 15. *Et praeparavit se; et ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarii, ut facerent vindictam in filios Israel;* 16. *et appropinquaverunt usque ad Bethoron et exivit Iudas obviam illi cum paucis.* 17. *Ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Iudae : quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam et tam fortem et nos fatigati sumus ieiunio hodie?* 18. *Et ait Iudas : facile est concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei coeli liberare in multis et in paucis;* 19. *quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo est.* 20. *Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superbia, ut disperdant nos et uxores nostras et filios nostros et ut spolient nos;* 21. *nos vero pugnabimus pro animabus nostris et legibus nostris;* 22. *et ipse Dominus con-*

3,10. Καὶ συνήγαγεν Ἀπολλώνιος ἔθνη καὶ ἀπὸ Σαμαρείας δύναμιν μεγάλην τοῦ πολεμῆσαι πρὸς Ἰσραήλ. 11. Καὶ ἔγνω Ἰούδας καὶ ἐξῆλθεν εἰς συνάντησιν αὐτῷ, καὶ ἐπάταξεν αὐτὸν καὶ ἀπέκτεινεν αὐτὸν, καὶ ἔπεσον τραυματίαι πολλοὶ, καὶ οἱ ἐπίλοιποι ἔφυγον. 12. Καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῶν καὶ τὴν μάχαιραν Ἀπολλωνίου ἔλαβεν Ἰούδας καὶ ἦν πολεμῶν ἐν αὐτῇ πάσας τὰς ἡμέρας.

13. Καὶ ἤκουσε Σήρων ὁ ἄρχων τῆς δυνάμεως Συρίας ὅτι ἤθροισεν Ἰούδας ἄθροισμα καὶ ἐκκλησίαν πιστῶν μετ' αὐτοῦ καὶ ἐκπορευομένων εἰς πόλεμον, 14. καὶ εἶπε· ποιήσω ἐμαυτῷ ὄνομα καὶ δοξασθήσομαι ἐν τῇ βασιλείᾳ, καὶ πολεμήσω τὸν Ἰούδαν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, τοὺς ἐξουδενοῦντας τὸν λόγον τοῦ βασιλέως. 15. Καὶ προςέθετο τοῦ ἀναβῆναι, καὶ ἀνέβη μετ' αὐτοῦ παρεμβολὴ ἀσεβῶν ἰσχυρὰ βοηθῆσαι αὐτῷ καὶ ποιῆσαι τὴν ἐκδίκησιν ἐν υἱοῖς Ἰσραήλ. 16. Καὶ ἤγγισεν ἕως ἀναβάσεως Βαιθωρῶν καὶ ἐξῆλθεν Ἰούδας εἰς συνάντησιν αὐτῷ ὀλιγοστός. 17. Ὡς δὲ ἶδον τὴν παρεμβολὴν ἐρχομένην εἰς συνάντησιν αὐτοῖς, εἶπον τῷ Ἰούδᾳ· τί δυνησόμεθα ὀλιγοστοὶ ὄντες πολεμῆσαι πρὸς πλῆθος τοσοῦτον ἰσχυρόν; καὶ ἡμεῖς ἐκλελύμεθα ἀσιτοῦντες σήμερον. 18. Καὶ εἶπεν Ἰούδας· εὔκοπόν ἐστι συγκλεισθῆναι πολλοὺς ἐν χερσὶν ὀλίγων, καὶ οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ Θεοῦ τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις, 19. ὅτι οὐκ ἐν πλήθει δυνάμεως νίκη πολέμου ἐστὶν, ἀλλ' ἢ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἡ ἰσχύς. 20. Αὐτοὶ ἔρχονται πρὸς ἡμᾶς ἐν πλήθει ὕβρεως καὶ ἀνομίας τοῦ ἐξᾶραι ἡμᾶς καὶ τὰς γυναῖκας ἡμῶν καὶ τὰ τέκνα ἡμῶν, τοῦ σκυλεῦσαι ἡμᾶς· 21. ἡμεῖς δὲ πολεμοῦμεν περὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν καὶ τῶν νομίμων ἡμῶν· 22. καὶ αὐτὸς συντρίψει αὐ-

teret eos ante faciem nostram; vos autem ne timueritis eos.

23. *Ut cessavit autem loqui, insiluit in eos subito, et contritus est Seron et exercitus eius in conspectu ipsius.* 24. *Et persecutus est eum in descensu Bethoron usque in campum et ceciderunt ex eis octingenti viri; reliqui autem fugerunt in terram Philisthiim.* 25. *Et cecidit timor Iudae ac fratrum eius et formido super omnes gentes in circuitu eorum;* 26. *et pervenit ad regem nomen eius et de praeliis Iudae narrabant omnes gentes.*

τοὺς πρὸ προςώπου ἡμῶν· ὑμεῖς δὲ μὴ φοβηθῆτε ἀπ' αὐτῶν.

23. Ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, ἐνήλατο εἰς αὐτοὺς ἄφνω, καὶ συνετρίβη Σήρων καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτοῦ. 24. Καὶ ἐδίωκον αὐτὸν ἐν τῇ καταβάσει Βαιθωρῶν ἕως τοῦ πεδίου· καὶ ἔπεσον ἀπ' αὐτῶν εἰς ἄνδρας ὀκτακοσίους· οἱ δὲ λοιποὶ ἔφυγον εἰς γῆν Φυλιστιείμ. 25. Καὶ ἤρξατο ὁ φόβος Ἰούδα καὶ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ καὶ ἡ πτόησις ἐπιπίπτειν ἐπὶ τὰ ἔθνη τὰ κύκλῳ αὐτῶν· 26. καὶ ἤγγισεν ἕως τοῦ βασιλέως τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ὑπὲρ τῶν παρατάξεων Ἰούδα ἐξηγεῖτο πᾶν ἔθνος.

Laude Iudae eiusque indole in universum celebrata iam enarrantur quibus illud sibi meruerit encomium. Et primo quidem feliciter pugnavit contra Apollonium v. 10. Erit idem Apollonius, de quo 2 Mach. 5,24 refertur et qui 1,30 princeps tributorum designatur et in urbem sanctam et in incolas saevierat; censet *Gr.* probabile esse eundem qui 2 Mach. 3,5. 7; 4,4 Apollonius filius Tharsaeae appellatur, dum alii eum opinantur Apollonium filium Mnesthei, de quo 2 Mach. 4,21 agitur. Eum vocat Iosephus τὸν τῆς Σαμαρείας στρατηγόν (Ant. 12,7, 1) quem titulum tamen ex hoc nostro loco collegisse videtur, quia ex Samaria copias adduxit. Certamen ad legem tuendam a patre susceptum (2,44 seq.) Iudas monita patris morientis (2,67) secutus praeclare promovit. Mathathias alienigenas et regis amicos in ipsa Iudaea incolentes oppugnaverat; Iudae iam pugnandum erat contra belli ducem qui ab externa regione exercitum in Iudaeam duxit ad sacram illam defensionem opprimendam et ad mandata regis exsequenda. Primus cum hostili exercitu (numero copias Iudae superante) congressus cessit feliciter. Inter occisos in pugna ipse Apollonius inventus est; ἀπέκτεινεν αὐτόν, num ipse Iudas eum occidit? non necessario id innuitur; nam quae praecedunt : *Iudas ivit obviam illi et percussit* non de ipso solo Iuda, sed de copiis duce Iuda intelliguntur; unde idem dicendum de verbo tertio; τραυματίαι cf. 1,19; idem habes in lectione : et accepit ἔλαβε spolia (ἔλαβον S s A ℵ 19. 56) et ubi de Iuda singulari ratione refertur, habes eius nomen appositum : *et gladium Apollonii abstulit Iudas*; eum tamquam tropaeum gessit et faustum praesagium victoriae successusque felicis.

Victoria haec minime reddidit Iudam securum. Bene perspexit sibi agendum esse cum hoste potente ac contumaci. Quare sollicite curavit ut copias suas augeret et ecclesiam πιστῶν, coetum fidelium Iudaeorum secum haberet qui ad bellandum essent expediti v. 13 (graece, S s).

Apparatus iste bellicus latere non potuit. Eo incitatus est *Seron* (64 Ηρων; item S; sed s Seron, uti reliqui testes omnes) ὁ ἄρχων τῆς δυνάμεως Συρίας, itaque dux seu princeps copiarum syriarum, Iosephus eum vocat τῆς κοίλης Συρίας στρατηγόν, praefectum Syriae, altiore eum dignitate et potentiae donans (sed ex quo fonte?). Vir describitur in v. 14 gloriae cupidus et laudis per totum regnum celebrandae appetentissimus, qui Iudam, copias eius, omnes qui mandatum regis contempserunt bello subigere sibi proponat. Cum eius contra Iudam expeditio sequatur post priorem illam Apollonii, dicitur καὶ προςέθετο et adiecit, iterum ascendit (cf. S; sed s προςετέθησαν aucti sunt et ascenderunt); et cum eo ascendit παρεμβολή, exercitus impiorum ἰσχυρὰ βοηθῆσαι, satis itaque fortis ad consilia ducis adiuvanda et ad vindictam exercendam in rebelles Iudaeos. Copias gentiles, idololatriae deditas auctor vocat παρεμβολὴν ἀσεβῶν. Praebet s ad faciendam completionem (i. e. deletionem) in filiis Israel (adhibetur vox quam *Smith*, Thes. syr. II c. 4455 neo-syr. dicit תמותא i. e. תמומתא).

Seron cum exercitu suo ἤγγισεν (א, A, S- σαν s, vulg.) appropinquavit usque ad ascensum Bethoron, hodie Beit-ur; distinguitur Bethoron superior et inferior; hodie Beit-ur el foka, el tachta (cf. Ios. 16,3. 5); inferior in colle humili, superior orientem versus ab inferiore horae spatio distans; inter utrumque vallis ampla extenditur; aditus ad superiorem est arduus ac deruptus; ascensus iste (vel descensus) saepius commemoratur Ios. 10,10. 1 Sam. 13,18. Secundum Eus. Onom. distat a Ierusalem 12 millia passuum, quinque horas, spectans inter septemtriones et occasum, in via a mari per Lyddam versus urbem (cf. *Guérin,* Judée I 338 seq.). Ratione habita exercitus hostilis numerus bellatorum qui erant cum Iuda erat exiguus, v. 17; insuper penuria victus laborabant; unde se fame debilitatos eo die profitentur; ἀσιτοῦντες σήμερον impransi hodie, ieiuni, cibo carentes (S quia non manducavimus hodie; s lassi fame hodie). Quare non sine diffidentia loquuntur ad Iudam: *quomodo poterimus pugnare?* etc. Verum Iudas, vir genuino spiritu theocratico imbutus, egregie suam in Deum fidem manifestat: Deo scil. facile est efficere, ut multi parva manu penitus praecludantur et opprimantur v. 18; pro Deo coeli idem est salutem largiri ope multorum vel ope paucorum; nam v. 19 victoria in bello reportanda non pendet a numero pugnatorum; *sed* tantum *de coelo fortitudo est,* ἀλλ' ἢ i. e. ἀλλ' οὐδὲν ἄλλο ἢ nihil aliud intervenit vel victoriam tribuit quam ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἡ ἰσχύς, ille vincit cui robur praestat Deus. Hic iam cernitur usus vocis *coelum* pro Deo, qui usus in hoc libro frequens est (s eum iam in v. 18 adhibuit, ubi S incola coeli). S sed ex coelo datur robur.

Ut suorum fiduciam augeat iisque animum addat, apte monet v. 20 agi quidem de re summa; at etiam considerandum esse quam diverso modo utrique se habeant, si rationes divinae spectantur : hostes veniunt ἐν πλήθει ὕβρεως in summa arrogantia καὶ ἀνομίας et iniquitate et iniustitia τοῦ ἐξᾶραι ut nos deleant et uxores et filios et nostras possessiones rapiant — ea vero mente iisque consiliis sese exhibent Deo maxime inimicos et exosos. Nos vero, populus Dei fidelis, v. 21 arma capimus pro re Deo gratissima : pro nostra vita et pro sacris Dei legibus. Quare exitus nequit esse dubius v. 22 : ipse αὐτὸς (graece, s) Dominus (S, Κύριος 19. 93. 64) *conteret eos*, συντρίβειν in nostro libro adhibetur frequenter de clade hostibus illata v. 23; 4, 10. 14. 30. 36; 5,7. 21. 43; 7,42 etc.; quare : *vos autem ne timueritis eos*. Animis itaque fide ac spe confortatis de repente hostes aggredi iussit; ἐνήλατο ἄφνω in hostes imparatos acie nondum instructa ex inopinato irruisse videntur, quo impetu improviso conturbationem ac terrorem iis iniiciebant; *et contritus est Seron*, S et cecidit Seron, *et exercitus eius* i. e. devicti sunt; Iosephus : prostrato duce (πεσόντος τοῦ στρατηγοῦ), universi se in fugam coniiciunt (l. c.); at ex textu non sequitur Seronem esse occisum; et v. 24 *persecutus est eum*, καὶ ἐδίωκον (S, s) αὐτὸν (s, vulg) αὐτοὺς (S, A, al. minusc.) scil. ducem eiusque exercitum *in descensu Bethoron*, eos itaque aggressus est Iudas, simulatque ascenderant aditum, ascensum, et per descensum eos deiecit persequens usque in planitiem; per eundem descensum olim deiecit Iosue quinque regulos Amorrhaeorum (Ios. 10,11); iisdem faucibus postea Cestius Gallus proconsul devictus est (Bell. iud. 2,19,8). Numerus occisorum εἰς ὀκτακοσίους circiter octingentorum reputatur; Seron, cum eius mentio non fiat, vivus evasisse censendus est, et cum reliquis fugisse in regionem Philisthaeorum.

Duplici hac victoria alienigenae in Iudaea terrore percussi sunt v. 25; et fama Iudae (eorum, s) pervenit usque ad regem et extra Iudáeam quoque notitia praeliorum eius propagata est apud varias tribus v. 26. S s et de rebus gestis Iudae, ac si legissent πράξεων, at παράταξις acies disposita, pugna.

3. *Antiochus Lysiae mandat de Iudaeis* 3,27-37.

3,27. *Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo et misit et congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valde;* 28. *et aperuit aerarium suum et dedit stipendia exercitui in annum, et mandavit*

3,27. Ὡς δὲ ἤκουσεν Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς τοὺς λόγους τούτους, ὠργίσθη θυμῷ καὶ ἀπέστειλε καὶ συνήγαγε τὰς δυνάμεις πάσας τῆς βασιλείας αὐτοῦ, παρεμβολὴν ἰσχυρὰν σφόδρα, 28. καὶ ἤνοιξε τὸ γαζοφυλάκιον αὐτοῦ καὶ ἔδωκεν ὀψώνια ταῖς δυνάμεσιν αὐτοῦ εἰς ἐνιαυ-

illis ut essent parati ad omnia. 29. Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis et tributa regionis modica propter dissensionem et plagam quam fecit in terra, ut tolleret legitima quae erant a primis diebus; 30. et timuit ne non haberet, ut semel et bis, in sumptus et donaria, quae dederat ante larga manu et abundaverat super reges qui ante eum fuerant. 31. Et consternatus erat animo valde et cogitavit ire in Persidem et accipere tributa regionum et congregare argentum multum.

32. Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali super negotia regia a flumine Euphrate usque ad flumen Aegypti. 33. et ut nutriret Antiochum filium suum donec rediret. 34. Et tradidit ei medium exercitum et elephantos, et mandavit ei de omnibus quae volebat et de inhabitantibus Iudaeam et Ierusalem. 35. et ut mitteret ad eos exercitum ad conterendam et exstirpandam virtutem Israel et reliquias Ierusalem et auferendam memoriam eorum de loco. 36. et ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum et sorte distribueret terram eorum. 37. Et rex assumpsit partem exercitus residui et exivit ab Antiochia civitate regni sui anno centesimo et quadragesimo septimo, et transfretavit Euphraten flumen et perambulabat superiores regiones.

τὸν καὶ ἐνετείλατο εἶναι αὐτοὺς ἑτοίμους εἰς πᾶσαν χρείαν. 29. Καὶ εἶδεν ὅτι ἐξέλιπε τὸ ἀργύριον ἀπὸ τῶν θησαυρῶν, καὶ οἱ φόροι τῆς χώρας ὀλίγοι χάριν τῆς διχοστασίας καὶ πληγῆς ἧς κατεσκεύασεν ἐν τῇ γῇ τοῦ ἆραι τὰ νόμιμα ἃ ἦσαν ἀφ' ἡμερῶν τῶν πρώτων· 30. καὶ εὐλαβήθη μὴ οὐκ ἔχῃ ὡς ἅπαξ καὶ δὶς εἰς τὰς δαπάνας καὶ τὰ δόματα, ἃ ἐδίδου ἔμπροσθεν δαψιλεῖ χειρὶ καὶ ἐπερίσσευσεν ὑπὲρ τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἔμπροσθεν. 31. Καὶ ἠπορεῖτο τῇ ψυχῇ αὐτοῦ σφόδρα καὶ ἐβουλεύσατο τοῦ πορευθῆναι εἰς τὴν Περσίδα καὶ λαβεῖν τοὺς φόρους τῶν χωρῶν καὶ συναγαγεῖν ἀργύριον πολύ.

32. Καὶ κατέλιπε Λυσίαν ἄνδρωπον ἔνδοξον καὶ ἀπὸ γένους τῆς βασιλείας ἐπὶ τῶν πραγμάτων τοῦ βασιλέως ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ Εὐφράτου ἕως τῶν ὁρίων Αἰγύπτου, 33. καὶ τρέφειν Ἀντίοχον τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἕως τοῦ ἐπιστρέψαι αὐτόν. 34. Καὶ παρέδωκεν αὐτῷ τὰς ἡμίσεις τῶν δυνάμεων καὶ τοὺς ἐλέφαντας, καὶ ἐνετείλατο αὐτῷ περὶ πάντων ὧν ἐβούλετο, καὶ περὶ τῶν κατοικούντων τὴν Ἰουδαίαν καὶ Ἱερουσαλήμ, 35. ἀποστεῖλαι ἐπ' αὐτοὺς δύναμιν τοῦ ἐκτρῖψαι καὶ ἐξᾶραι τὴν ἰσχὺν Ἰσραὴλ, καὶ τὸ κατάλειμμα Ἱερουσαλήμ καὶ ἆραι τὸ μνημόσυνον αὐτῶν ἀπὸ τοῦ τόπου, 36. καὶ κατοικῆσαι υἱοὺς ἀλλογενεῖς ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῶν καὶ κατακληροδοτῆσαι τὴν γῆν αὐτῶν. 37. Καὶ ὁ βασιλεὺς παρέλαβε τὰς ἡμίσεις τῶν δυνάμεων τὰς καταλειφθείσας καὶ ἀπῆρεν ἀπὸ Ἀντιοχείας ἀπὸ πόλεως βασιλείας αὐτοῦ ἔτους ἑβδόμου καὶ τεσσαρακοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ, καὶ διεπέρασε τὸν Εὐφράτην ποταμὸν καὶ διεπορεύετο τὰς ἐπάνω χώρας.

Nuntio de cladibus accepto Antiochus, de audacia Iudaeorum maxime indignatus, omni vi eos deiicere statuit. Quare copias suas coegit et, ut Iosephus addit, multos ex insulis mercenarios milites assumpsit. Militibus stipendia (S dona, s retinet δῶνια) in annum (integrum s) numeravit, scil. quo promptioribus animis expeditiones susciperent; ἑτοίμους εἰς πᾶσαν χρείαν, ut prompti et parati essent ubicumque necessitas exigeret, ergo ad quodlibet bellum in quacumque regione suscipiendum. Hac coactione copiarum simul timorem incutere voluisse censendus erit, ne exemplo Iudaeorum aliae quoque tribus rebellarent. Antiochus ad sumptus profusos pronus erat (cf. Polybius 26,10; 31,3. Diodorus sic. 31,16); solverat stipendia, tributa ex regio-

nibus multa non deferebantur v. 29; regis enim mandatis maxima effecta est perturbatio; multi fugerant, sese absconderant; ipse enim eo quod sacra quae ab antiquissimo tempore legitima habebantur, tollere et abolere conabatur, dissensionem et plagam valde nocivam terrae inflixerat. Unde *defecit pecunia de thesauris*, at rex profusionis ac magnificentiae erat appetentissimus, qua reges alios a se superatos esse merito iactare potuit; nam « ludorum magnificentia mirandoque solemnitatis apparatu superiores principes omnes Antiochus superavit » (Diod. 31,16,2). Timuit itaque *ne non haberet* ὡς ἅπαξ καὶ δίς semel iterumque, hac et illa vice, aliquoties, quod daret *in sumptus et donaria* tanta profusione sicut antea. Quare sicut antea opes abstulerat ex Aegypto violato foedere pueri regis Philometoris (Polyb. 31,4.9), ita nunc expeditione in Persidem suscepta opes et pecuniam colligere statuit tributis coactis, exactionibus ac spoliationibus (cf. 6,1) et, uti Appianus refert, etiam expeditionem contra Artaxiam, regem Armeniorum suscepit eumque vivum cepit (App. Syr. 45); unde colligere licet eum incursionibus variis opes corrogasse tempore illius in Persidem expeditionis (cf. 2 Mach. 9,2. 3; Appianus quoque refert (l. c. 46) Antiochum post captum Artaxiam esse mortuum). In textu non habetur quod *Niese* vult (l. c. p. 42), regem non habuisse satis pecuniae ad rebellionem Iudaeorum comprimendam. Quod Tacitus dicit : rex Antiochus, quominus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est (Hist. 5,8), immerito ita explicat *Niese*, ac si ratio illa conquirendae pecuniae neutiquam consistere posset.

Ad negotia regni gerenda reliquit Lysiam v. 32 virum nobilem ἀπὸ γένους τῆς βασιλείας videtur ad litteram translatum ex מזרע המלוכה (de semine regali, vulg. Ier. 41,1; LXX ἀπὸ γένους τῆς βασιλείας), qui itaque ob talem nobilitatem apte regni administrator constitui poterat. Ita communiter explicant. At merito monet *Niese* (p. 51) ἀπὸ γένους τῆς βασιλείας potius intelligendum esse secundum 2 Mach. 11,1 ubi Lysias vocatur συγγενής regis, qui titulus est dignitatis, non cognationis. Regni magnitudo describitur ab Euphrate usque ad fines (flumen) Aegypti. Simul curae eius commisit Antiochum filium, qui postea Eupator cognominatus est (cf. 6,17.28 seq.; 7,2. 2 Mach. 13,1 seq.). De Iudaeis vero comprimendis et exstirpandis ei mandata dedit, quod ut efficeret dimidiam partem copiarum ei reliquit et elephantos (cf. 6,34 seq.). In acie exercitus Antiochi Magni elephanti erant viginti duo (Appianus, Syr. 32). In regione autem Iudaeis fidelibus exstinctis alienigenas collocari iussit colonos eisque agros attribui v. 36. Vere itaque iudaicae gentis interitum voluit, cum iam desperaret eos posse ad cultum moresque Graecorum cogi ac perduci.

Lysiam educationi filii praefuisse, etiam Appianus refert (Syr. 46), simul narrans eum a Syris Eupatorem cognominatum esse διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετήν. De Lysia quoque narrat Polybius (31,15, 2 seq. 31,19,2).

Hisce de perditione Iudaeorum piorum constitutis rex cum reliquo exercitu in expeditionem profectus est ab Antiochia anno 147 Sel. i. e. 166-65 a. Ch.; cf. 6,1; τὰς ἐπάνω χώρας i. e. Persiam, Mediam; quas duas regiones etiam Polybius appellat τὰ ἄνω μέρη τῆς βασιλείας (5.40, 7; cf. 5,40,5 οἱ ἄνω τόποι). De iisdem narrat Iosephus (12,7,2).

4. *Bellum utrimque paratur* 3,38-60.

3,38. *Et elegit Lysias Ptolemaeum filium Dorymini et Nicanorem et Gorgiam, viros potentes ex amicis regis,* 39. *et misit cum eis quadraginta millia virorum et septem millia equitum, ut venirent in terram Iuda et disperderent eam secundum verbum regis.* 40. *Et processerunt cum universa virtute sua et venerunt et applicuerunt Emmaum in terra campestri.* 41. *Et audierunt mercatores regionum nomen eorum, et acceperunt argentum et aurum multum valde et pueros, et venerunt in castra, ut acciperent filios Israel in servos; et additi sunt ad eos exercitus Syriae et terrae alienigenarum.*

42. *Et vidit Iudas et fratres eius, quia multiplicata sunt mala et exercitus applicabant ad fines eorum, et cognoverunt verba regis, quae mandavit populo facere in interitum et consummationem,* 43. *et dixerunt unusquisque ad proximum suum: erigamus deiectionem populi nostri et pugnemus pro populo nostro et sanctis nostris.* 44. *Et congregatus est conventus, ut essent parati in praelium, et ut orarent et peterent misericordiam et miserationes.*

45. *Et Ierusalem non habitabatur sed erat sicut desertum,*
non erat qui ingrederetur et egrederetur de natis eius;

et sanctum conculcabatur

3,38. Καὶ ἐπέλεξε Λυσίας Πτολεμαῖον τὸν Δορυμένους καὶ Νικάνορα καὶ Γοργίαν, ἄνδρας δυνατοὺς τῶν φίλων τοῦ βασιλέως, 39. καὶ ἀπέστειλε μετ' αὐτῶν τεσσαράκοντα χιλιάδας ἀνδρῶν καὶ ἑπτακισχιλίαν ἵππον τοῦ ἐλθεῖν εἰς γῆν Ἰούδα καὶ καταφθεῖραι αὐτὴν κατὰ τὸν λόγον τοῦ βασιλέως. 40. Καὶ ἀπῆραν σὺν πάσῃ τῇ δυνάμει αὐτῶν καὶ ἦλθον καὶ παρενέβαλον πλησίον Ἐμμαοὺμ ἐν τῇ γῇ πεδινῇ. 41. Καὶ ἤκουσαν οἱ ἔμποροι τῆς χώρας τὸ ὄνομα αὐτῶν καὶ ἔλαβον ἀργύριον καὶ χρυσίον πολὺ σφόδρα καὶ πέδας καὶ ἦλθον εἰς τὴν παρεμβολὴν τοῦ λαβεῖν τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς παῖδας· καὶ προσετέθησαν πρὸς αὐτοὺς δύναμις Συρίας καὶ γῆς ἀλλοφύλων.

42. Καὶ εἶδεν Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ὅτι ἐπληθύνθη τὰ κακὰ καὶ αἱ δυνάμεις παρεμβάλλουσιν ἐν τοῖς ὁρίοις αὐτῶν, καὶ ἐπέγνωσαν τοὺς λόγους τοῦ βασιλέως οὓς ἐνετείλατο τῷ λαῷ εἰς ἀπώλειαν καὶ συντέλειαν· 43. καὶ εἶπαν ἕκαστος πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ· ἀναστήσωμεν τὴν καθαίρεσιν τοῦ λαοῦ ἡμῶν καὶ πολεμήσωμεν περὶ τοῦ λαοῦ ἡμῶν καὶ τῶν ἁγίων. 44. Καὶ ἠθροίσθη ἡ συναγωγὴ τοῦ εἶναι ἑτοίμους εἰς πόλεμον καὶ τοῦ προσεύξασθαι καὶ αἰτῆσαι ἔλεον καὶ οἰκτιρμούς.

45. Καὶ Ἱερουσαλὴμ ἦν ἀοίκητος ὡς ἔρημος,

οὐκ ἦν ὁ εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος ἐκ τῶν γεννημάτων αὐτῆς,

καὶ τὸ ἁγίασμα καταπατούμενον,

et filii alienigenarum erant in arce,
ibi erat habitatio gentium,
et ablata est voluptas a Iacob,
et defecit ibi tibia et cithara.

46. Et congregati sunt et venerunt in Maspha contra Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel; 47. et ieiunaverunt illa die et induerunt se ciliciis et cinerem imposuerunt capiti suo et disciderunt vestimenta sua; 48. et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum; 49. et attulerunt ornamenta sacerdotalia et primitias et decimas, et suscitaverunt nazaraeos qui impleverant dies; 50. et clamaverunt voce magna in coelum dicentes : quid faciemus istis et quo eos ducemus? 51. et sancta tua conculcata sunt et contaminata sunt et sacerdotes tui facti sunt in luctum et in humilitatem. 52. Et ecce nationes convenerunt adversum nos, ut nos disperdant; tu scis quae cogitant in nos; 53. quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum nisi tu, Deus, adiuves nos? 54. Et tubis exclamaverunt voce magna.

55. Et post haec constituit Iudas duces populi, tribunos et centuriones et pentacontarchos et decuriones. 56. Et dixit his qui aedificabant domos et sponsabant uxores et plantabant vineas et formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem.

57. Et moverunt castra et collocaverunt ad austrum Emmaum. 58. Et ait Iudas : accingimini et estote filii potentes et estote parati in mane, ut pugnetis adversus nationes has quae convenerunt adversus nos disperdere nos et sancta nostra; 59. quoniam melius est nos mori in bello quam videre mala gentis nostrae et sanctorum; 60. sicut autem fuerit voluntas in coelo, sic fiat.

καὶ υἱοὶ ἀλλογενῶν ἐν τῇ ἄκρᾳ,
κατάλυμα τοῖς ἔθνεσιν·
καὶ ἐξήρθη τέρψις ἐξ Ἰακώβ,
καὶ ἐξέλιπεν αὐλὸς καὶ κινύρα.

46. Καὶ συνήχθησαν καὶ ἦλθοσαν εἰς Μασσηφὰ κατέναντι Ἱερουσαλὴμ, ὅτι τόπος προσευχῆς ἦν ἐν Μασσηφὰ τὸ πρότερον τῷ Ἰσραήλ. 47. Καὶ ἐνήστευσαν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ καὶ περιεβάλοντο σάκκους καὶ σποδὸν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν καὶ διέρρηξαν τὰ ἱμάτια αὐτῶν· 48. καὶ ἐξεπέτασαν τὸ βιβλίον τοῦ νόμου περὶ ὧν ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ' αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν· 49. καὶ ἤνεγκαν τὰ ἱμάτια τῆς ἱερωσύνης καὶ τὰ πρωτογεννήματα καὶ τὰς δεκάτας καὶ ἤγειραν τοὺς ναζιραίους οἳ ἐπλήρωσαν τὰς ἡμέρας· 50. καὶ ἐβόησαν φωνῇ εἰς τὸν οὐρανὸν λέγοντες· τί ποιήσωμεν τούτοις καὶ ποῦ αὐτοὺς ἀπαγάγωμεν; 51. καὶ τὰ ἅγιά σου καταπεπάτηται καὶ βεβήλωται καὶ οἱ ἱερεῖς σου ἐν πένθει καὶ ταπεινώσει· 52. Καὶ ἰδοὺ, τὰ ἔθνη συνῆκται ἐφ' ἡμᾶς τοῦ ἐξᾶραι ἡμᾶς· σὺ οἶδας ἃ λογίζονται ἐφ' ἡμᾶς. 53. Πῶς δυνησόμεθα ὑποστῆναι κατὰ πρόσωπον αὐτῶν, ἐὰν μὴ σὺ βοηθήσῃς ἡμῖν; 54. καὶ ἐσάλπισαν ταῖς σάλπιγξι καὶ ἐβόησαν φωνῇ μεγάλῃ.

55. Καὶ μετὰ τοῦτο κατέστησεν Ἰούδας ἡγουμένους τοῦ λαοῦ χιλιάρχους καὶ ἑκατοντάρχους καὶ πεντηκοντάρχους καὶ δεκάρχους. 56. Καὶ εἶπεν τοῖς οἰκοδομοῦσιν οἰκίας καὶ μνηστευομένοις γυναῖκας καὶ φυτεύουσιν ἀμπελῶνας καὶ δειλοῖς ἀποστρέφειν ἕκαστον εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ κατὰ τὸν νόμον.

57. Καὶ ἀπῆρεν ἡ παρεμβολὴ καὶ παρενέβαλε κατὰ νότον Ἐμμαούμ. 58. Καὶ εἶπεν Ἰούδας· περιζώσασθε καὶ γίνεσθε εἰς υἱοὺς δυνατοὺς καὶ γίνεσθε ἕτοιμοι εἰς τὸ πρωὶ τοῦ πολεμῆσαι ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις τοῖς ἐπισυνηγμένοις ἐφ' ἡμᾶς ἐξᾶραι ἡμᾶς καὶ τὰ ἅγια ἡμῶν. 58. Ὅτι κρεῖσσον ἡμᾶς ἀποθανεῖν ἐν τῷ πολέμῳ ἢ ἐπιδεῖν ἐπὶ τὰ κακὰ τοῦ ἔθνους ἡμῶν καὶ τῶν ἁγίων· 60. ὡς δ' ἂν ᾖ θέλημα ἐν οὐρανῷ, οὕτως ποιήσει.

In v. 48. ex. 55. 74. 243. 71. assumenda erit lectio του επιγραφειν επ αυτων, ita Gr. Fr. K. Ks. et exigitur sensu; s habet uti in vulg. legitur.

Iam narratur, quomodo utrique bellum paraverint; et de Syris quidem v. 38-41; de Iudaeis v. 42-60.

Lysias mandato regis obsecutus ad expeditionem contra Iudaeos elegit Ptolemaeum filium Dorymeni (2 Mach. 4,45 graece), qui cognominabatur Μάκρων (2 Mach. 10,12); ita communiter censent. At res tamen dubia redditur ex ipso libro altero Mach.; quia duobus illis locis alio modo Ptolemaei mentio fit. Si tamen de uno eodemque sermonem fieri censendum erit, tum Ptolemaeus antea fuit Cypro praefectus a Ptolemaeo Eupatore, rege Aegypti; verum ab eo deficiens ad partes transiit Antiochi Epiphanis (de eius administratione in Cypro insula scribit Polybius 27,12). Ptolemaeus erat dux, στρατηγὸς, Coelesyriae et Phoenicis (2 Mach. 8,8). Quod hoc loco brevissime narratur, explicatius exponitur 2 Mach. 8,8 seq.; Philippus, qui a rege in Ierusalem erat relictus praepositus (2 Mach. 5,22) scripserat ad Ptolemaeum de periculo quod ipsi et Syris immineret a Iudaeis. Facile intelligitur Ptolemaeum ea de re certiorem reddidisse Lysiam, qui administrator regni a rege erat institutus. Lysias itaque *elegit,* ipsi Ptolemaeo negotium commisit reprimendi conatus Iudaeorum; Ptolemaeo adiuncti sunt belli duces Nicanor, filius Patrocli (2 Mach. 8,9) et Gorgias, rei militaris valde peritus (l. c.). Ptolemaeus ipse exercitum 20 millium collegit; copiis a Lysia submissis crevit numerus usque ad 40 millia et septem millia equitum, quorum tamen in regione plerumque montana utilitas haud magna erat. Tanta igitur militum copia Iudaeos obruere et exterminare se facile posse sperabant. Ceterum ex 4,1 seq. et 2 Mach. 8,12. 23 apparet turmis militum separatis bellum esse gestum per Gorgiam et Nicanorem. Ptolemaeus ipse bello non intererat. Id colligitur ex narratione subsequenti, in qua eius nulla fit mentio. Ceterum utriusque libri narratio etiam sic componi potest, ut Ptolemaeus litteras Philippi accepisse dicatur, postquam Lysias curam belli contra Iudaeos gerendi ipsi demandaverat, « quo posito liquidior erit ambarum narrationum compositio » (*Patrit.* p. 251). Quod aliqui dicunt in versione syra solum decem millia reperiri, verum est de textu in bibliis Walton; sed in editione a Lagarde curata et in s leguntur 40 millia.

Copiae istae a Syria et Phoenice profectae demum *applicuerunt* παρενέβαλον castra posuerunt prope Emmaum i. e. prope Nicopolin *in regione campestri*, in Schephela; nomen hodiernum est Amwas, Nicopolis nominabatur ex saeculo tertio p. Ch.; sita est urbs fere media in via a Ioppe versus Ierusalem, viginti duo milliaria romana occidentem versus a Ierusalem; sita est urbs in confinio regionis campestris et montanae, « ubi incipiunt montana Iudaeae consurgere » (*Hier.*).

Quam certo clades Iudaeorum exspectata sit, narratur v. 41 simulac enim mercatores regionis audierunt *nomen eorum* famam, seu rumorem de hisce rebus (famam S, s; LXX etiam שֵׁם reddunt ὄνομα Gen. 29,13. Num. 14,15. 3 Reg. 10,1), sese pararunt ad emptionem Iudaeorum quos captum iri a Syris et plane devictum iri pro certo habebant; quare secum attulerunt multum argenti et auri, immo et πέδας, vincula, compedes (S, s, πέδας κομίζοντες Iosephus — codices praebent παιδας, vulg. *pueros*), ad servos tamquam captivos abducendos; cf. 2 Mach. 8,10.25. 34. Quinam fuerint isti mercatores, discimus ex 2 Mach. 8,11; miserat enim Nicanor ad maritimas civitates i. e. ad Philisthaeos, ad incolas urbium Philisthaeorum (cf. Stark, Gaza p. 325) convocans ad coemptionem Iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum. Militibus prope Emmaum constitutis sese coniunxit δύναμις Συρίας, manipulus militum Syrorum qui in Iudaea in praesidiis erant (cf. 1,36; 2,44; 2 Mach. 8,6) et caterva ex terra alienigenarum, ἀλλοφύλων i. e. Philisthaeorum, uti S, s rite scribitur; iam apud LXX Philisthaei saepe ἀλλόφυλοι designantur. Antiquas in Iudaeos inimicitias comprobant opem ferentes ad subiugandos Dei cultores. Iosephus addit, quod verisimile est, etiam multos perfugas Iudaeos illis se iunxisse.

Plane alia praeparatio belli cernitur apud Iudam eiusque socios. Bene sibi conscii sunt malorum ingruentium multipliciter v. 42; vident hostes castra collocasse (παρεμβάλλουσιν) ἐν τοῖς ὁρίοις αὐτῶν in finibus ipsorum; sciunt quoque *verba regis,* mandata quae dedit, ut ea fierent *populo* Iudaeorum *in interitum et consummationem,* in plenam exstirpationem. Verum fide animati ac roborati minime animis defecerunt, sed inter se exhortabantur v. 43, ut destructionem populi averterent, conditionem eius miseram et oppressam erigerent, fortiter pugnarent pro salute populi, pro incolumitate sanctuarii legisque sanctae. Quod ut prospere cederet, prisca exempla secuti opem divinam implorarunt. Convocata est concio v. 44; iis indictum est ut parati essent ad bellum et ut precibus exposcerent divinam miserationem et misericordiam; cum emphasi iubentur quasi viscera Dei miserentis supplicationibus commovere.

Sed urbe sancta ab infidelibus et gentibus occupata, derelicta autem a piis Dei cultoribus, Deus in ipso loco quem elegit ad preces suorum audiendas implorari nequit; quare hunc animorum dolorem sacer auctor apte exprimit lyrico quodam schemate v. 45 distichis duobus et uno tristicho inserto. Primo deploratur conditio urbis, quae utpote a piis Iudaeis derelicta, revera filiis suis, sobole sua, est destituta adeoque in solitudinem redacta, ad quam iam non haberi potest inter pios

mutuus vitae communis usus (ingredi, egredi; cf. Deut. 28,6. 1 Reg. 29,6. 2 Reg. 3,25. Act. 9,28). Et tristicho defletur conditio templi: *sanctum conculcabatur* καταπατούμενον, conculcatur, profanatur (cf. 1,57. 62); in arce alienigenae dominantur; arx facta est diversorium gentium (1,36). Quare concluditur descriptione tristitiae universalis in quam veri Israelitae, qui suo iure nomen Iacob gerunt eius fidei imitatores, deiecti sunt: ablata est laetitia; nullus iam auditur tibiarum fidiumque sonus; cf. Is. 24,8 cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae; Ez. 26,13; et a contrario Ier. 30,19; 31,4. Zach. 8,5 etc.

Vestigiis historiae sacrae obsecuti illum seligunt locum orationis qui olim talis erat, scil. Maspha; ibi enim Samuel congregaverat universum Israel, ut oraret pro eis, ibique ieiunaverant et Dominum deprecati sunt (1 Reg. 7,5; cf. Iud. 20, 1; 21,8). Eius situs describitur κατέναντι Ἱερουσαλήμ; ipso nomine מצפה specula locus in colle situs indicatur; censetur esse hodiernum Neby Samwil, in alto montis dorso collocatum, c. quinque milliaria romana inter septemtriones et occasum solis a Ierusalem distans, in ditione quae olim erat tribus Beniamin (Ios. 18,26; ceterum vide *Guérin,* Judée 1,395 seq. Revue bibl. 1894 p. 321 seq.). Ibi itaque, uti olim, *ieiunaverunt illa die, induerunt se ciliciis,* σάκκους, tunicis atris e filis crassis textis, vestibus itaque luctum ac poenitentiam ostentantibus; aliaque consueta signa luctus ediderunt: capita cinere spargebant, vestimenta scindebant (cf. 2 Reg. 13,19. Esth. 4,1. 3. Ier. 6,26; 25,34. Lam. 2,10. Dan. 9,3 etc.). Precibus suis eam addunt apud Deum vim et efficaciam, ut ei rebus ipsis sacris exhibitis ostendant et profiteantur ipsius agi gloriam. Uti olim Ezechias litteras Sennacherib, regis Assur, expandit orans coram Domino (4 Reg. 19,14. Is. 37,14), ita ipsi quoque v. 48, *expanderunt* τὸ βιβλίον τοῦ νόμου (S volumen legis; s uti vulg libros legis). Expanderunt, « ut ipsi libri reipsa quasi muta voce clamarent ad Dominum id quod continebant, quodque toties iterant: miserere nostri; utque Deum ostensione librorum ipsius commoverent ne sineret eos a gentilibus pollui, lacerari et comburi » (*Lap.*). In sequentibus adoptanda est lectio aliquorum codicum minusculorum (cf. *Gr. K. Ks.*), cuius lectionis etiam *Lap. Fil.* mentionem faciunt: scrutabantur depingere in ipsis similitudinem idolorum suorum; περὶ ὧν, explica pluralem vel categoriae vel ex eo, quia gentiles generatim in exemplaria librorum sanctorum inquirebant, ut ea vel destruerent (cf. 1,60) vel ea ad irrisionem profanarent in iis depingentes imagines deorum. Lectionem latinam explicare solebant, ac si gentes in libris sacris exquisivissent similitudines rituum ac caerimoniarum cultus idololatrici. Uterque

interpres syrus textum legit mutilum, et s quidem textum habet, uti vulg.; S vero satis recedit: conquesti sunt coram Sancto de gentibus, quae se cogerent ut sese gererent secundum similitudinem earum.

Pariter ponebant ante divinum conspectum vestes et ornamenta sacerdotalia, reditus sacros v. 49, *primitias, decimas*, ut tot religionis symbolis divinam misericordiam commoverent (*Serarius*); sunt scil. haec testimonia, quanta cura ac sollicitudine Deus ipse cultum quem voluerit sibi placere instituerit; quare simul in iis efficax continetur ad Deum supplicatio, ne sinat profanari et perdi a gentibus quae ipse tam accurate ordinaverit. Insuper prodire faciunt nasiraeos, i. e. eos qui pro certo tempore vota nasiraeatus susceperant abstinendi a vino et sicera etc. (cf. Num. 6,1 seq.) et *qui impleverant dies*, tempore enim voti elapso certa quaedam sacrificia erant offerenda; nasiraeus erat radendus « caesarie consecrationis suae, tolletque sacerdos capillos eius et ponet super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum » (Num. 6,13-18). Quae omnia procul a templo iam non praestari possunt. Quare non sine acri dolore hanc quoque miseram conditionem Deo gemebundi exponunt v. 50 clamantes *voce magna in coelum* i. e. ad Deum; iam cernitur usus adhibendi pro Deo nomen coeli, qui iam deprehenditur Dan. 4,23 et in nostro libro saepius 3,60; 4,10. 40; 9,46; 12,15 et qui apud Iudaeos etiam tempore Christi habebatur (cf. apud Matth. regnum coelorum, ubi alii regnum Dei dicunt); S habet : clamabat ad habitatorem coeli (et similiter alibi quoque), s clamabant voce ad coelum.

En, *quid faciemus istis*? ritus sacros observare non possumus, quid ergo pro iis agendum? ubi poterunt vota persolvere? Sanctuaria tua profanata sunt, sacerdotes tui in luctu et conditione vili et abiecta. Ita omni ex parte efferunt agi ipsius Dei gloriam et honorem. Idem etiam in v. 52 Deo proponunt; nam quae gentes committunt contra populum Dei eiusque hereditatem et partem, cuncta cedunt in ignominiam Dei. Eo magis autem opem Dei invocare et sperare possunt ac debent, quo magis se sciunt impares qui hostibus resistant v. 53. Et, sicut in lege scriptum est : si exieritis ad bellum clangetis tubis et erit recordatio vestri coram Domino, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum (Num. 10,9), ita illi quoque tubis clangebant et precibus addebant clamorem magnum v. 54 ad vehementiam affectus declarandam.

Iudas autem bene perspiciens pugnandum esse contra milites militari disciplinae assuefactos, pariter vidit summi esse momenti, ut tota bellatorum turba certis quibusdam ordinibus ac partibus et manipulis ordinata disponatur, et ut singulae partes habeant a quo apte diri-

gantur ad varia proeliandi genera; unde, si forte eousque firma haec dispositio defuerit, iam remedium affert v. 55, constituit qui militum essent duces χιλιάρχους, centuriones etc.; totum itaque exercitum in varias cohortes militum mille, centum, quinquaginta, decem divisit eosque turmatim disposuit, in ea quoque re sequens legem (Ex. 18, 21, Deut. 1,15) et priscam consuetudinem (cf. Num. 31,14. 48. Iud. 20,10. 1 Reg. 8,12; 4 Reg. 1,9; 11,4 etc.). Nominantur 2 Mach. 8,22 duces, scil. fratres Iudae; de tribunis, centurionibus ibi non fit mentio; verum patet in maiori exercitu non solum duces χιλιάρχους constitui debere. Quare hae duae narrationes non inter se contradicunt, sed potius inter se supplent. Idem valet de 2 Mach. 8,13 sq. Item normam legis sequitur v. 56, denuntians iis quos lex eximit, ut domum redeant; cf. Deut. 20,5-8. (S omittit καὶ δεκάρχους, s πεντηκοντάρχους).

Hisce gestis 57 v. ἀπῆρεν ἡ παρεμβολή discessit exercitus, uti videtur ex Maspha (v. 46 seq.) et itinere facto παρενέβαλε castra collocavit *ad austrum Emmaum*, in regione meridionali (cf. v. 40). Castra Syrorum, qui venerant a septemtrione, in septemtrionali parte ab urbe Emmaus (Amwas, Nicopolis) collocata esse verisimile est. Milites suos Iudas iterum brevi oratione exstimulat ad fortiter pugnandum; mane εἰς τὸ πρωί ut sint parati; summa bona agi; totius nationis ruinam et eversionem sanctorum rituum ab hostibus intendi; quare fortiter mori et cum gloria in bello magis esse eligendum quam videre ruinam gentis et sacrorum institutorum. Demum in v. 60 insigni pietate plenam Iudas profitetur resignationem in Dei voluntatem : utcumque alea belli cadet, ut vel vincamus vel vincamur, bene cadet, quia cadet ex Dei voluntate, qua nihil est melius (*Lap.*). Simul profitetur Deum esse arbitrum pugnae ac victoriae; non ab humana prudentia, fortitudine exitum decerni, sed concedi pro Dei beneplacito. S coram habitatore coeli; s beneplacitum in coelo (cf. v. 50).

5. *Iudas partem exercitus syri fugat* 4,1-15.

4,1. Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum et mille equites electos et moverunt castra nocte, 2. ut applicarent ad castra Iudaeorum et percuterent eos subito; et filii qui erant ex arce erant illis duces. 3. Et audivit Iudas et surrexit ipse et potentes percutere virtutem exercituum regis qui erant in Emmaum, 4. adhuc enim dispersus erat exercitus a castris. 5. Et venit Gorgias in castra Iudae noctu et neminem in-

4,1. Καὶ παρέλαβε Γοργίας πεντακισχιλίους ἄνδρας καὶ χιλίαν ἵππον ἐκλεκτὴν καὶ ἀπῆρεν ἡ παρεμβολὴ νυκτὸς, 2. ὥστε ἐπιβαλεῖν ἐπὶ τὴν παρεμβολὴν τῶν Ἰουδαίων καὶ πατάξαι αὐτοὺς ἄφνω· καὶ οἱ υἱοὶ τῆς ἄκρας ἦσαν αὐτῷ ὁδηγοί. 3. Καὶ ἤκουσεν Ἰούδας καὶ ἀπῆρεν αὐτὸς καὶ οἱ δυνατοὶ πατάξαι τὴν δύναμιν τοῦ βασιλέως τὴν ἐν Ἐμμαοὺμ, 4. ἕως ἔτι αἱ δυνάμεις ἐσκορπισμέναι ἦσαν ἀπὸ τῆς παρεμβολῆς. 5. Καὶ ἦλθε Γοργίας εἰς τὴν παρεμβολὴν Ἰούδα νυκτὸς καὶ οὐδένα

venit et quaerebat eos in montibus, quoniam dixit : fugiunt hi a nobis.

6. *Et cum dies factus esset, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantum, qui tegumenta et gladios non habebant;* 7. *et viderunt castra gentium valida et loricatos et equitatus in circuitu eorum, et hi docti ad proelium.* 8. *Et ait Iudas viris qui secum erant : ne timueritis multitudinem eorum et impetum eorum ne formidetis.* 9. *Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo;* 10. *et nunc clamemus in coelum et miserebitur nostri Dominus et memor erit testamenti patrum nostrorum et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie;* 11. *et scient omnes gentes, quia est qui redimat et liberet Israel.* 12. *Et elevaverunt alienigenae oculos suos et viderunt eos venientes ex adverso,* 13. *et exierunt de castris in proelium, et tuba cecinerunt hi qui erant cum Iuda,* 14. *et congressi sunt et contritae sunt gentes et fugerunt in campum;* 15. *novissimi autem omnes ceciderunt in gladio et persecuti sunt eos usque Gezeron et usque in campos Idumaeae et Azoti et Iamniae et ceciderunt ex illis usque ad tria millia virorum.*

εὗρε· καὶ ἐζήτει αὐτοὺς ἐν τοῖς ὄρεσιν, ὅτι εἶπε· φεύγουσιν οὗτοι ἀφ' ἡμῶν.

6. Καὶ ἅμα ἡμέρᾳ ὤφθη Ἰούδας ἐν τῷ πεδίῳ ἐν τρισχιλίοις ἀνδράσι· πλὴν καλύμματα καὶ μαχαίρας οὐκ εἶχον καθὼς ἠβούλοντο· 7. καὶ εἶδον παρεμβολὴν ἐθνῶν ἰσχυρὰν τεθωρακισμένην καὶ ἵππον κυκλοῦσαν αὐτήν, καὶ οὗτοι διδακτοὶ πολέμου. 8. Καὶ εἶπεν Ἰούδας τοῖς ἀνδράσιν τοῖς μετ' αὐτοῦ· μὴ φοβεῖσθε τὸ πλῆθος αὐτῶν καὶ τὸ ὅρμημα αὐτῶν μὴ δειλωθῆτε. 9. Μνήσθητε ὡς ἐσώθησαν οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν θαλάσσῃ ἐρυθρᾷ, ὅτε ἐδίωξεν αὐτοὺς Φαραὼ ἐν δυνάμει. 10. Καὶ νῦν βοήσωμεν εἰς τὸν οὐρανόν, εἴπως ἐλεήσει ἡμᾶς καὶ μνησθήσεται διαθήκης πατέρων ἡμῶν καὶ συντρίψει τὴν παρεμβολὴν ταύτην κατὰ πρόσωπον ἡμῶν σήμερον· 11. καὶ γνώσεται πάντα τὰ ἔθνη ὅτι ἔστιν ὁ λυτρούμενος καὶ σώζων τὸν Ἰσραήλ. 12. Καὶ ἦραν οἱ ἀλλόφυλοι τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν καὶ ἴδον αὐτοὺς ἐρχομένους ἐξεναντίας, 13. καὶ ἐξῆλθον ἐκ τῆς παρεμβολῆς εἰς πόλεμον· καὶ ἐσάλπισαν οἱ παρὰ Ἰούδα, 14. καὶ συνῆψαν καὶ συνετρίβησαν τὰ ἔθνη καὶ ἔφυγον εἰς τὸ πεδίον, 15. οἱ δὲ ἔσχατοι πάντες ἔπεσον ἐν ῥομφαίᾳ καὶ ἐδίωξαν αὐτοὺς ἕως Γαζήρων καὶ ἕως τῶν πεδίων τῆς Ἰουδαίας καὶ Ἀζώτου καὶ Ἰαμνίας καὶ ἔπεσον ἐξ αὐτῶν εἰς ἄνδρας τρισχιλίους.

In v. 15 solus codex A praebet Ιουδαιας, rell omn Ιδουμαίας, etiam S s.

Narratio huius libri apte suppletur et illustratur iis quae in 2 Mach. 8,22-32 habentur. Iudas quippe non solum tribunos, centuriones etc. constituit, sed totum suum exercitum, sex millia virorum in quattuor divisit cohortes quarum unaquaeque habebat mille quingentos milites et duces earum constituit fratres suos secum Simonem, Ioannem, Ionathan. Si itaque in nostra hac narratione Iudas tria millia secum habet, simul cum eo adest unus ex fratribus cum sua cohorte. Et in nostro libro narratur victoria ab iis tribus millibus reportata et clades Gorgiae ducis (3,18 seq.); ex altero libro autem additur coniunctis Iudaeorum viribus Nicanorem quoque esse devictum et Timotheum et Bacchidem.

Gorgias, vir rei militaris peritus (2 Mach. 8,9) per dolum et improviso copias Iudae aggredi ac dispellere voluit; quare elegit quinque

millia peditum et mille equites eosque noctu iussit proficisci, ἡ παρεμβολή exercitus, cohors illa noctu discessit, ὥστε ἐπιβαλεῖν ἐπὶ παρεμβολήν ut in castra Iudaeorum irruerent eosque repente percuterent. Qui viarum gnari erant, utpote iam diutius in Iudaea et in praesidio arcis, οἱ υἱοὶ τῆς ἄκρας, qui pertinebant ad arcem, duces erant itineris a castris Syrorum ad castra Iudaeorum. Hos duces fuisse Iudaeos perfugas, apostatas Iosephus asserit; ipsa dictione ii solum designantur qui ad arcem pertinuerint (cf. 1,36). Verum Iudas re comperta (per exploratores, quibus uti prudens belli dux non omittit) statim ipse et validi eius bellatores discesserunt, ut copias regis quae prope Emmaum (s in regione Emmaum) erant (cf. 3,40) clade prosternerent, ἕως ἔτι, dum milites adhuc erant dispersi et palabundi vagabantur a castris (v. 4). Itaque Gorgias castra Iudaeorum reperit vacua; illos fugisse et in regione montana Iudaeae sese abdidisse putat (v. 5); quare eo loci illos quaerit. Noctu Iudas castra reliquerat; mane cum tribus millibus advenit in regionem campestrem, in qua castra erant exercitus syri. Verum milites eius haud bene armati erant ob inopiam (Iosephus), πλὴν καλύμματα, attamen *tegumenta* i. e. arma quibus corpus tegitur, clypeos, loricas, galeas, et gladios non habebant καθὼς ἠβούλοντο sicut exoptabant; non erant ita armis instructi, adeo praeclaris, uti in tali rerum conditione milites merito desiderabant. Ita s quoque : verumtamen gladios et scuta non habebant quemadmodum desiderabant. Fertur quoque altera lectio (in 64. 93) πλὴν καλυμμάτων i. e. praeter arma ad tegendum apta et gladios non habebant, sicut optabant (ad quam acceptionem accedit S : non habebant, nisi gladios etc.). Sed prior lectio et auctoritate testium et ipso sensu praefertur.

Iam in conspectum castrorum hostium advenerant; castra haec conspexerant *valida*, bene collocata, munita, τεθωρακισμένην, obvallata, munitionibus, aggeribus cincta, θώραξ (Herod. 1,181; cf. D. Cass. 74, 10), uti lorica dicitur etiam de munitione arcis, murorum; et videbant equites circa castra equitantes, vigilias agentes v. 7. Vocem παρεμβολή hoc loco de castris esse capiendam elucet cumprimis ex v. 13, in quo hostes e castris exire dicuntur. Videntes itaque castra bene munita, equites optime armatos facile multi timore quodam corripi poterant. Quare Iudas iterum alloquio animos erigere ac confortare studet v. 8-11: iis in memoriam revocat quam miro modo olim patres servati sint a persecutione regis Aegyptiorum (cf. Ex. 14,9); adhortatur eos v. 10, ut ad Deum preces fundant; spem in Deum misericordem, fidelem foederis vindicem ac tutorem excitat, qui paratus sit ad hostes conterendos; agi enim eius gloriam v. 11, nam gentes opus esse ut experiantur, exsistere Deum populi sui servatorem.

Dum milites Iudae agmine formato progrediuntur, etiam a Syris mox conspiciuntur v. 12; isti e castris ad pugnandum egrediuntur v. 13 et statim clangore tubarum Iudaeis signum datur ad fortiter in hostes irrumpendum. Neque fefellit eos spes et fiducia in Deo posita v. 14, hostes devicti fuga se proripuerunt in regionem campestrem; acriter eos insequuntur Iudaei victores; qui in extremo agmine ultimi fugiunt, quos itaque Iudaei insequentes attingere possunt, *omnes ceciderunt in gladio* v. 15; reliquos persequuntur fugientes *usque Gezeron* i. e. Gazer, quae urbs regia olim erat (cf. Ios. 10,33; 12,12 etc. a Salomone restituta 3 Reg. 9,15 etc.), hodie Tell Dschezer, inter septentriones et occasum ab Emmaum (Amwas); alii fugiunt *usque in campos Idumaeae,* ita omnes testes praeter A (Iudaeae); verum incredibile videtur eos usque in campos Idumaeae fugisse; neque ostendi potest meridionalem partem Iudaeae unquam eo nomine esse designatam. Etsi enim ea in regione Idumaei incolebant (5,65), tamen non est credibile regioni illam appellationem esse inditam. Fugam arripiunt itaque in planitiem Iudaeae, alii occidentem versus recta via pergebant ad Iamniam, alii versus Azotum inter occasum et meridiem ab Emmaum. In ipsa pugna et in persecutione fugientium circa tria millia ceciderunt. Ita Iudaei victoriam reportarunt quae sane merces erat illorum in Deum fidei. Notat Rabanus : « sicut enim tria millia fuerunt sociorum Iudae qui persequebantur, sic et ceciderunt ex hostium parte tria millia »; nonne mirari videtur numerum plane aequalem?

6. *Facta est salus magna* 4,16-25.

4,16. *Et reversus est Iudas et exercitus eius sequens eum;* 17. *dixitque ad populum : non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est;* 18. *et Gorgias et exercitus eius prope nos in monte; sed state nunc contra inimicos nostros et expugnate eos et sumetis postea spolia securi.* 19. *Et adhuc loquente Iuda haec, ecce apparuit pars quaedam prospiciens de monte.* 20. *Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui et succenderunt castra; fumus enim qui videbatur declarabat quod factum est.* 21. *Quibus illi conspectis timuerunt valde aspicientes simul et Iudam et exercitum in campo paratum ad proelium;* 22. *et fugerunt omnes in campum alienigenarum.*

4,16. Καὶ ἐπέστρεψεν Ἰούδας καὶ ἡ δύναμις ἀπὸ τοῦ διώκειν ὄπισθεν αὐτῶν, 17. καὶ εἶπε πρὸς τὸν λαόν· μὴ ἐπιθυμήσητε τῶν σκύλων, ὅτι πόλεμος ἐξεναντίας ἡμῶν· 18. καὶ Γοργίας καὶ ἡ δύναμις ἐν τῷ ὄρει ἐγγὺς ἡμῶν· ἀλλὰ στῆτε νῦν ἐναντίον τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν καὶ πολεμήσατε αὐτοὺς καὶ μετὰ ταῦτα λάβετε τὰ σκῦλα μετὰ παρρησίας. 19. Ἔτι λαλοῦντος Ἰούδα ταῦτα ὤφθη μέρος τι ἐκκύπτον ἐκ τοῦ ὄρους. 20. Καὶ εἶδεν ὅτι τετρόπωνται καὶ ἐμπυρίζουσι τὴν παρεμβολήν, ὁ γὰρ καπνὸς ὁ θεωρούμενος ἐνεφάνιζε τὸ γεγονός. 21. Οἱ δὲ ταῦτα συνιδόντες ἐδειλώθησαν σφόδρα· συνιδόντες δὲ καὶ τὴν Ἰούδα παρεμβολὴν ἐν τῷ πεδίῳ ἑτοίμην εἰς παράταξιν, 22. ἔφυγον πάντες εἰς γῆν ἀλλοφύλων.

23. *Et Iudas reversus est ad spolia castrorum et acceperunt aurum multum et argentum et hyacinthum et purpuram marinam et opes magnas.* 24. *Et conversi hymnum canebant et benedicebant Deum in coelum, quoniam bonus est, quoniam in saeculum misericordia eius.* 25. *Et facta est salus magna in Israel in die illa.*

23. Καὶ ἀνέστρεψεν Ἰούδας ἐπὶ τὴν σκυλείαν τῆς παρεμβολῆς καὶ ἔλαβον χρυσίον πολὺ καὶ ἀργύριον καὶ ὑάκινθον καὶ πορφύραν θαλασσίαν καὶ πλοῦτον μέγαν. 24. Καὶ ἐπιστραφέντες ὕμνουν καὶ εὐλόγουν εἰς οὐρανὸν ὅτι καλὸν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ. 25. Καὶ ἐγενήθη σωτηρία μεγάλη τῷ Ἰσραὴλ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ.

In v. 19 πληρουντος א A 23. 44. 52. 56; sed S s vulg λαλουντος; cf. מלא implere, מלל loqui.

Mane proelium commissum est (v. 6) hostesque mox in fugam se proripuerunt (v. 14); Iudaei fugientes persecuti sunt usque Gazer (v. 15) i. e. non valde diu; nam Gazer ab Emmaum haud multum ultra horam distat; quare similiter de persecutione usque in campos Azoti etc. censendum erit. Unde circa meridiem poterant plerique reduces esse a persecutione (v. 16). Iudas autem prudenter cohibuit populum, ne ad colligendam praedam dilaberentur (v. 17), monens adhuc instare bellum; nam v. 18 *Gorgias et exercitus eius prope nos in monte;* cf. v. 5; quare summopere cavendum, ne ille inopinato adveniens irrueret in imparatos et dispersos ad spolia colligenda. Unde Iudas milites in acie paratos retinuit spe proposita quod postea eo maiore securitate praedam agere possent. Ut autem hostes ad castra redeuntes terreret, partem castrorum incendi iussit. Quam recte res disposuisset, statim eventus probavit. Nam simulac docuisset milites (v. 19), iam pars exercitus Gorgiae visa est ἐκκύπτον quasi incurvatis corporibus caute prospiciens de monte. Videtur Gorgias copias suas in plures partes divisas per regionem montanam misisse, ut quaererent Iudaeos. Iam illis e monte prospicientibus praebetur aspectus inopinatus: incendium castrorum, absentiam exercitus Syrorum, praesentiam Iudaeorum ad pugnam in acie ordinata cernunt stupefacti; unde quid interea acciderit non possunt non statim percipere. Unde timore correpti etiam hi fuga se proripiunt versus terram Philisthaeorum, uti ἀλλοφύλων rite explicant S, s et recentiores. In vulg. v. 20 nominatur Gorgias; non ita apud alios testes; verum facile intelligitur etiam Gorgiam cum sua parte se recepisse comperta clade aliorum.

Hostibus fuga dilapsis ad spolia capienda sese convertunt v. 23; inveniunt in castris *aurum multum et argentum* et *hyacinthum* i. e. purpuram violaceam, pannos, vestes ex purpura violacea (S vertit: lapides pretiosos hyacinthi; s autem תכלתא purpuram caeruleam) *et purpuram marinam,* rubram, quae fit ex succo conchyliorum marinorum ac praesertim pisciculi qui *purpura* vocatur (*Lap.*); chlamydem

ex purpura marina gestasse (πορφυρίδα θαλαττίαν) Asdrubalem narrat Polybius (39,1. 2), vestes θαλαττίαις πορφύραις infectas easque pretiosissimas Persepoli reperisse Macedonas refert Diodorus sic. (17,70); praeterea πλοῦτον μέγαν.

Hisce locupletati Deo debitas gratias persolvunt. Cantica laudis et gratiarum actionis *in coelum* εἰς οὐρανόν oculis in coelum elevatis concinunt; repetunt carmen illud olim iam saepius ad animos gratos exhibendos decantatum : *quoniam bonus* etc. 1 Par. 16,34; 2 Par. 5, 13; 7,3. Esdr. 3,11; cf. Ps. 105,1; 106,1; 117,1; 135,1 seq.

7. *Clades Lysiae inflicta* 4,26-35.

4,26. *Quicumque autem alienigenarum evaserunt, venerunt et nuntiaverunt Lysiae universa quae acciderant;* 27. *quibus ille auditis consternatus animo deficiebat, quod non qualia voluit talia contigerunt in Israel et qualia mandavit rex.*

28. *Et sequenti anno congregavit Lysias virorum electorum sexaginta millia et equitum quinque millia, ut debellaret eos.* 29. *Et venerunt in Iudaeam et castra posuerunt in Bethoron et occurrit illis Iudas cum decem millibus viris.* 30. *Et viderunt exercitum fortem, et oravit et dixit : benedictus es, salvator Israel, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David et tradidisti castra alienigenarum in manu Ionathae filii Saul et armigeri eius;* 31. *conclude exercitum istum in manu populi tui Israel et confundantur in exercitu suo et equitibus.* 32. *Da illis formidinem et tabefac audaciam virtutis eorum et commoveantur contritione sua;* 33. *deiice illos gladio diligentium te, et collaudent te omnes qui noverunt nomen tuum in hymnis.* 34. *Et commiserunt proelium et ceciderunt de exercitu Lysiae quinque millia virorum.*

35. *Videns autem Lysias fugam suorum et Iudaeorum audaciam et quod parati sunt aut vivere aut mori fortiter, abiit Antiochiam et elegit milites ut multiplicati rursus venirent in Iudaeam.*

4,26. Ὅσοι δὲ τῶν ἀλλοφύλων διεσώθησαν, παραγενηθέντες ἀπήγγειλαν τῷ Λυσίᾳ πάντα τὰ συμβεβηκότα· 27. ὁ δὲ ἀκούσας συνεχύθη καὶ ἠθύμει, ὅτι οὐχ οἷα ἤθελε τοιαῦτα γεγόνει τῷ Ἰσραὴλ καὶ οὐχ οἷα ἐνετείλατο αὐτῷ ὁ βασιλεὺς ἐξέβη.

28. Καὶ ἐν τῷ ἐρχομένῳ ἐνιαυτῷ συνελόχησεν ἀνδρῶν ἐπιλέκτων ἑξήκοντα χιλιάδας καὶ πεντακισχιλίαν ἵππον ὥστε ἐκπολεμῆσαι αὐτούς. 29. Καὶ ἦλθον εἰς τὴν Ἰδουμαίαν καὶ παρενέβαλον ἐν Βαιθσούροις καὶ συνήντησεν αὐτοῖς Ἰούδας ἐν δέκα χιλιάσιν ἀνδρῶν. 30. Καὶ εἶδε τὴν παρεμβολὴν ἰσχυρὰν καὶ προσηύξατο καὶ εἶπεν· εὐλογητὸς εἶ ὁ σωτὴρ τοῦ Ἰσραὴλ ὁ συντρίψας τὸ ὅρμημα τοῦ δυνατοῦ ἐν χειρὶ τοῦ δούλου σου Δαυὶδ καὶ παρέδωκας τὴν παρεμβολὴν τῶν ἀλλοφύλων εἰς χεῖρας Ἰωνάθαν υἱοῦ Σαοὺλ καὶ τοῦ αἴροντος τὰ σκεύη αὐτοῦ. 31. σύγκλεισον τὴν παρεμβολὴν ταύτην ἐν χειρὶ λαοῦ σου Ἰσραὴλ καὶ αἰσχυνθήτωσαν ἐπὶ τῇ δυνάμει καὶ τῇ ἵππῳ αὐτῶν. 32. Δὸς αὐτοῖς δειλίαν καὶ τῆξον θράσος ἰσχύος αὐτῶν, καὶ σαλευθήτωσαν τῇ συντριβῇ αὐτῶν. 33. Κατάβαλε αὐτοὺς ῥομφαίᾳ ἀγαπώντων σε καὶ αἰνεσάτωσάν σε πάντες οἱ εἰδότες τὸ ὄνομά σου ἐν ὕμνοις. 34. Καὶ συνέβαλον ἀλλήλοις καὶ ἔπεσον ἐκ τῆς παρεμβολῆς Λυσίου εἰς πεντακισχιλίους ἄνδρας καὶ ἔπεσον ἐξ ἐναντίας αὐτῶν.

35. Ἰδὼν δὲ Λυσίας τὴν γενομένην τροπὴν τῆς αὐτοῦ συντάξεως, τῆς δὲ Ἰούδα τὸ γεγενημένον θάρσος καὶ ὡς ἕτοιμοί εἰσιν ἢ ζῆν ἢ τεθνάναι γενναίως, ἀπῆρεν εἰς Ἀντιόχειαν καὶ ἐξενολόγει ὡς πλεοναστὸν γενηθέντα πάλιν παραγενέσθαι εἰς τὴν Ἰουδαίαν.

Universitas BIBLIOTHECA Ottaviensis

In v. 29 Ιουδαιαν ℵ vulg; rell Ιδουμαιαν, etiam S, s. In v. 35 recepta lectio est καὶ πλεονασας τον γενηθεντα στρατον ελογιζετο παλιν παραγ. εις τ. I.

Illos ἀλλοφύλους qui Lysiam certiorem reddiderunt de clade S perperam explicat Philisthaeos, melius s Graecos (Iavan); voce hoc loco generatim *alienigenae* (vulg) designantur v. 26. Tali nuntio accepto Lysias συνεχύθη confundebatur, animo perturbatus est, et ἠθύμει animum despondebat, nam cuncta aliter acciderunt atque sperabat et plane contraria iis quae rex exsequenda mandaverat v. 27. Verum regis praeceptum urgebat; ipsius Lysiae, regni administratoris, honor agebatur; quare insequenti anno (165 a. Ch.) etiam plures copias collegit 60 000 peditum, 5 000 equitum — numero cum peditibus comparato satis exiguo — quorum tamen usus in regionibus Iudaeae montanis non multus esse poterat. Si in v. 29 cum longe plerisque lectio εἰς τὴν Ἰδουμαίαν retinetur, Lysias alia plane via, quam Nicanor et Gorgias, Iudaeam petebat, scil. trans Iordanem circum mare mortuum per Idumaeam, ut Iudaeos a tergo adoriretur et apud Idumaeos, Iudaeis infestos, haberet praesidium ac tutamen. Eum tale iter revera instituisse vehementer quoque suadetur, quia castrametatus est ἐν Βαιθσούροις, in regione Beit-sur, בית צור (Ios. 15,58. 1 Par. 2,45. 2 Par. 11,7 Bethsur; Neh. 3,16) secundum onomasticum Eusebii viginti millia passuum meridiem versus a Ierusalem in via Hebron versus — fertur nomen Βεθσουρα in delineatione Medabensi recenter inventa. Iam cur in parte adeo meridionali exercitus appareat castraque collocet, unice explicatur itinere per Idumaeam facto (vulg. Bethoron? 3,16? s Bethauda?)

Iudae exercitus numero auctus est; dum in priore expeditione solum sex millibus constabat (cf. 2 Mach. 8,22), iam decem millia numerat; prospero enim successu animati alii quoque Iudaei, qui antea abstinuerant, sacrae militiae nomen dederunt. Uti antea 4,8, ita nunc Iudas videns (graece, S, s) numerum hostium ad Deum preces fundit v. 30 (ℵ ειδον, προσηυξαντο, ειπον) et ad provocandam fiduciam firmam Deum quasi admonet nominis et tituli sui ὁ σωτὴρ τοῦ Ἰσραήλ, agi itaque Dei honorem; eique quasi in memoriam revocat, quam praeclare olim suos servaverit; *qui contrivisti impetum potentis,* scil. Goliath, qui 1 Reg. 17,4 LXX δυνατός vocatur; *et tradidisti castra* Philisthaeorum (S, s) in manus Ionathan et armigeri eius; cf. 1 Reg. 14,1-15; S qui concussisti fiduciam potentis; s qui contrivisti robur potentis. Hisce exemplis confortatur spes; unde cum fiducia fit petitio v. 31 *conclude* in manu ἐν χειρί i. e. conclude eos ut sint in manu, in potestate populi tui; ergo trade eos in manum seu potestatem, ut qui confisi sunt in robore suo et equitatu, pudore ac confusione afficiantur eo quod tanto

apparatu et tot viribus nihil effecerint, verum turpiter contriti sint. Et v. 32 immitte in illos formidinem; cf. Ex. 15,16; uti promissum est Deut. 11,25; *tabefac,* fac ut audacia et praesumptio eorum de robore et copiis plane concidat et evanescat, sicut fluit cera a facie ignis Ps. 67,2; et *commoveantur contritione sua,* ut se mutuo conquassando conterantur, se prosternant et trucident, uti factum est Madianitis sub Gedeone (*Lap.*). Victoria petitur eo quoque titulo quod Israelitae sunt diligentes Deum v. 33; ex qua concessa praeconia laudis concinentur ab omnibus *qui noverunt nomen tuum,* maiestatem tuam et gloriam quae nomine tuo continetur et exprimitur.

Tali itaque fide roborati Iudaei ad pugnam procedunt; v. 34 συνέβαλον ἀλλήλοις, cominus signa contulerunt, inter se proelium commiserunt; de exercitu Lysiae ceciderunt quinque millia circiter (S, s), καὶ ἔπεσον ἐξ ἐναντίας αὐτῶν et illi quidem occiderunt ex adverso eorum, i. e. ante faciem Iudaeorum, ab iis trucidati. Hoc membrum omisit vulg; sed effertur in S, s.; edicitur tot periisse in ipsa pugna fortitudine Iudaeorum, non in fuga. Lysias vero v. 35 videns factam esse cladem et fugam suorum, cernens quoque, quanta vi et audacia Iudaei pugnarent pro aris et focis, *abiit Antiochiam,* καὶ ἐξενολόγει copias peregrinas, mercenarias collegit, conscripsit, ut copiosiore cum exercitu rediret in Iudaeam. Lectionem ἐλογίζετο exprimit S et collegit exercitum magnum et paravit se et secum reputavit ut iterum ascenderet in Iudaeam. Atque de altera Lysiae expeditione etiam maiore refertur 2 Mach. 11, 1-15; scil. post purgationem templi, de tertia 1 Mach. 6,17 seq. et 2 Mach. 13,1 seq.

8. *Templum emundatur et instruitur* 4,36-51.

4,36. *Dixit autem Iudas et fratres eius: ecce contriti sunt inimici nostri; ascendamus nunc mundare sancta et renovare.* 37. *Et congregatus est omnis exercitus, et ascenderunt in montem Sion;* 38. *et viderunt sanctificationem desertam et altare profanatum et portas exustas et in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus et pastophoria diruta;* 39. *et sciderunt vestimenta sua et planxerunt planctu magno et imposuerunt cinerem super caput suum;* 40. *et ceciderunt in faciem super terram et exclamaverunt tubis signorum et clamaverunt in coelum.*

41. *Tunc ordinavit Iudas viros ut pu-*

4,36. Εἶπε δὲ Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ· ἰδοὺ συνετρίβησαν οἱ ἐχθροὶ ἡμῶν, ἀναβῶμεν καθαρίσαι τὰ ἅγια καὶ ἐγκαινίσαι. 37. Καὶ συνήχθη ἡ παρεμβολὴ πᾶσα καὶ ἀνέβησαν εἰς ὄρος Σιών. 38. Καὶ ἴδον τὸ ἁγίασμα ἠρημωμένον καὶ τὸ θυσιαστήριον βεβηλωμένον καὶ τὰς πύλας κατακεκαυμένας καὶ ἐν ταῖς αὐλαῖς φυτὰ πεφυκότα ὡς ἐν δρυμῷ ἢ ὡς ἐν ἑνὶ τῶν ὀρέων καὶ τὰ παστοφόρια καθῃρημένα. 39. Καὶ διέρρηξαν τὰ ἱμάτια αὐτῶν καὶ ἐκόψαντο κοπετὸν μέγαν καὶ ἐπέθεντο σποδὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῶν· 40. καὶ ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἐσάλπισαν ταῖς σάλπιγξι τῶν σημασιῶν καὶ ἐβόησαν εἰς τὸν οὐρανόν.

41. Τότε ἐπέταξεν Ἰούδας ἀνδράσιν πο-

gnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta. 42. Et elegit sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei; 43. et mundaverunt sancta et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum; 44. et cogitavit de altari holocaustorum quod profanatum erat quid de eo faceret. 45. Et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes; et demoliti sunt illud. 46. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta et responderet de eis. 47. Et acceperunt lapides integros secundum legem et aedificaverunt altare novum secundum illud quod fuit prius. 48. Et aedificaverunt sancta et quae intra domum erant intrinsecus, et aedem et atria sanctificaverunt. 49. Et fecerunt vasa sancta nova et intulerunt candelabrum et altare incensorum et mensam in templum; 50. et incensum posuerunt super altare et accenderunt lucernas quae super candelabrum erant et lucebant in templo; 51. et posuerunt super mensam panes et appenderunt vela et consummaverunt omnia opera quae fecerant.

λεμεῖν τοὺς ἐν τῇ ἄκρᾳ ἕως καθαρίσῃ τὰ ἅγια. 42. Καὶ ἐπέλεξεν ἱερεῖς ἀμώμους θελητὰς νόμου· 43. καὶ ἐκαθάρισαν τὰ ἅγια καὶ ἦραν τοὺς λίθους τοῦ μιασμοῦ εἰς τόπον ἀκάθαρτον· 44. καὶ ἐβουλεύσαντο περὶ τοῦ θυσιαστηρίου τῆς ὁλοκαυτώσεως τοῦ βεβηλωμένου, τί αὐτῷ ποιήσωσι. 45. Καὶ ἔπεσεν αὐτοῖς βουλὴ ἀγαθὴ καθελεῖν αὐτό, μήποτε γένηται αὐτοῖς εἰς ὄνειδος ὅτι ἐμίαναν τὰ ἔθνη αὐτό· καὶ καθεῖλον τὸ θυσιαστήριον. 46. Καὶ ἀπέθεντο τοὺς λίθους ἐν τῷ ὄρει τοῦ οἴκου ἐν τόπῳ ἐπιτηδείῳ μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην τοῦ ἀποκριθῆναι περὶ αὐτῶν. 47. Καὶ ἔλαβον λίθους ὁλοκλήρους κατὰ τὸν νόμον καὶ ᾠκοδόμησαν τὸ θυσιαστήριον καινὸν κατὰ τὸ πρότερον. 48. Καὶ ᾠκοδόμησαν τὰ ἅγια καὶ τὰ ἐντὸς τοῦ οἴκου καὶ τὰς αὐλὰς ἡγίασον. 49. Καὶ ἐποίησαν σκεύη ἅγια καινά, καὶ εἰσήνεγκαν τὴν λυχνίαν καὶ τὸ θυσιαστήριον τῶν θυμιαμάτων καὶ τὴν τράπεζαν εἰς τὸν ναόν. 50. Καὶ ἐθυμίασαν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον καὶ ἐξῆψαν τοὺς λύχνους τοὺς ἐπὶ τῆς λυχνίας καὶ ἐφαίνοσαν ἐν τῷ ναῷ. 51. Καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὴν τράπεζαν ἄρτους καὶ ἐξεπέτασαν τὰ καταπετάσματα καὶ ἐτέλεσαν πάντα τὰ ἔργα ἃ ἐποίησαν.

Parta victoria in id animum intenderunt v. 36 ut templum mundarent ab omni re profana, ab alienigenis in sanctuarium illata, et ut iterum illud ad Dei cultum consecrarent — ἐγκαινίσαι, illud sacris caerimoniis dedicarent; s contriti sunt inimici nostri coram faciebus nostris. Prompta voluntate ascendunt ad montem Sion; verum tristis illis offerebatur aspectus v. 38 : sanctuarium desertum erat; altare profanatum, cf. 1,54 (vulg. 57); portae incendio destructae; cf. 1,33; 2 Mach. 8,33 : in atriis virgulta nata erant sicut in saltu vel montibus, quibus testimonium exhibebatur, quantopere locus sacer omni cultu Dei omisso esset vastatione profanatus; pastophoria, cellae templi (in quibus res ad ministerium templi asservabantur) erant destructae (S omnes). In tam tristi rerum conditione maxima edunt signa moeroris v. 39 : vestes scindunt, clamoribus magnis plangunt, cinerem capitibus imponunt in signum luctus. In terram prostrati Deum implorant alta voce, et cum clangore tubarum « erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum » (Num.

10,9) ἐσάλπισαν ταῖς σάλπιγξι τῶν σημασιῶν clangebant tubis; cf. LXX Num. 31,6; nam תרועה exprimitur apud LXX voce σημασία; significationibus scil. tubas inservire edicitur, dum vox hebraea potius strepitum, clangorem, iubilationem, clamorem militarem denotat; cf. 3,54, et clamaverunt ad habitatorem coeli (S).

Auxilio divino implorato Iudas minime negligit adhibere subsidia et remedia humana v. 41; seligit qui pugnent contra gentes in arce constitutas; nam illos milites oportebat occupare et impedire, ne emundationem templi prohiberent neve Iudaeis eo munere fungentibus inferrent molestias; cf. 1,36. 37. Ad emundationem templi elegit sacerdotes ἀμώμους sine macula, i. e. nulla affectos macula ex iis, quarum unaquaque quis excludatur ab officio sacerdotali (Lev. 21,17-21). Elegit uti integros corpore, ita pios animo, θελητὰς νόμου legis studiosos ac tenaces. Hi itaque idonei erant qui loca sancta ab immunditiis gentilium mundarent v. 43; lapides contaminationis, μιασμοῦ inquinamenti, ex quibus scil. altare illud idololatricum exstructum erat (1,57), removerunt in locum immundum, fortasse in Topheth (cf. 4 Reg. 23, 10. Ier. 19,13). Ipsum quoque altare holocaustorum, Deo sacrum, maxime profanatum erat, quia in ara ei superposita oblata erant sacrificia idololatrica (cf. 1,62; 59 graece); unde deliberarunt, ἐβουλεύσαντο, (sim. S, s) quid de eo faciendum esset, utrum scil. non obstante illa profanatione posset ad cultum sacrum adhiberi, an potius ob illam contaminationem esset removendum. Hoc tandem iis visum est v. 45, scil. ut destrueretur; nam profecto, facile poterat eis verti in opprobrium ab ipsis alienigenis, si altare a gentibus maculatum iterum ad Dei cultum consecrassent. Sed quia illud altare tamen fuit sacrum, lapides eius non ausi sunt neque in locum profanum deferre neque ad alia aedificanda adhibere, sed eos reposuerunt *in monte domus*, in ipsa templi regione, *in loco apto*, conveniente; mons domus de monte templi iam dicitur Ier. 26,18 et Mich. 3,12 (hebr). Quanta religione rem tractarint elucet quoque ex addito: *quoadusque veniret propheta*, qui sicut veteres prophetae, a Deo missus et palam ut legatus Dei comprobatus et agnitus, tandem nomine Dei declararet, quid de eis facere oporteret.

Studium legis sollicitum ac plane religiosum, quo litteram legis accurate sequerentur, in sequentibus quoque produnt v. 47 *et acceperunt lapides integros* ὁλοκλήρους, cf. Deut. 27,6 אבנים שלמות; item Ios. 8,31, ubi vulg. vertit: de lapidibus informibus et impolitis, quos ferrum non tetigit, et Ex. 20,25: non aedificabis altare lapideum de sectis lapidibus; si enim levaveris cultrum super eo, polluetur; requirebantur itaque iis locis ad exstruendum altare λίθοι οὐ τμητοί, lapides rudes,

non secti; *secundum legem* i. e. Ex. 20,25. Deut. 27,6. Mirum tamen est, cur recurrerint ad talem legem, qua agitur de altaribus quae eriguntur praeter sanctuarium; nam pro sanctuario alia statuta est lex Ex. 27,1 : facies altare de lignis setim (Ex. 38,1) et in templo Salomonis erat altare aeneum (2 Par. 4,1); eratne etiam prius altare de lapidibus *impolitis*? Esdr. 3,2 solum refertur aedificatum esse altare. Item instaurant templum, τὰ ἅγια sanctuarium et sanctum sanctorum καὶ τὰ ἐντὸς τοῦ οἴκου et quae intra templum erant : parietes, spatia interiora, pavimenta; *atria sanctificarunt* removentes immunda, sacris caerimoniis, fortasse aqua expiationis illa consecrantes (cf. Num. 19,13).

Uti supra narratum est 1,23, Antiochus rex cuncta abstulit vasa sacra; quare v. 49 nova erant procuranda vasa, phialae, libatoria, thuribulum etc. candelabrum, altare thymiamatis, mensa panum propositionis; quae omnia rite in templo collocata sunt. Ad cultum restituendum singula parabantur v. 50, in altari ἐθυμίασαν odoramenta incenderunt, lucernas accenderunt, panes propositionis intulerunt v. 51, vela ante sanctum sanctorum et ante sanctum appenderunt. Eo modo iam cuncta, quae requirebantur, erant praestita; perfecerunt omnia opera quae aggressi erant facienda. Quae tamen sententia haud incongrue trahi potest ad sequentia, quasi dicas : postquam cuncta consummarunt opera quae fecerant, v. 52 ante matutinum surrexerunt etc. S habet solum : et perfecerunt omnia opera sua ; s uti graece.

In v. 50 S s non videntur legisse ἐθυμίασαν, sed ἔθυσαν; nam S: et sacrificarunt super altare (דבחו) et s : et fecerunt ascendere carnem super altare (i. e. obtulerunt).

9. *Dedicatio templi* 4,52-61.

4,52. *Et ante matutinum surrexerunt quinta et vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octavi anni;* 53. *et obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum, quod fecerunt.* 54. *Secundum tempus et secundum diem in qua contaminaverunt illud gentes, in ipsa renovatum est in canticis et citharis et cinyris et in cymbalis.* 55. *Et cecidit omnis populus in faciem et adoraverunt et benedixerunt in coelum eum qui prosperavit eis.* 56. *Et fecerunt dedicationem alteris diebus octo et obtulerunt holocausta cum laetitia et sacrificium sa-*

4,52. Καὶ ὤρθρισαν τὸ πρωὶ τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνὸς τοῦ ἐννάτου, οὗτος ὁ μὴν Χασελεῦ, τοῦ ὀγδόου καὶ τεσσαρακοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἔτους· 53. καὶ ἀνήνεγκαν θυσίαν κατὰ τὸν νόμον ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τῶν ὁλοκαυτωμάτων τὸ καινὸν ὃ ἐποίησαν. 54. Κατὰ τὸν καιρὸν καὶ κατὰ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐβεβήλωσαν αὐτὸ τὰ ἔθνη, ἐν ἐκείνῃ ἐνεκαινίσθη ἐν ᾠδαῖς καὶ κιθάραις καὶ κινύραις καὶ ἐν κυμβάλοις. 55. Καὶ ἔπεσον πᾶς ὁ λαὸς ἐπὶ πρόσωπον καὶ προσεκύνησαν καὶ εὐλόγησαν εἰς οὐρανὸν τὸν εὐοδώσαντα αὐτοῖς. 56. Καὶ ἐποίησαν τὸν ἐγκαινισμὸν τοῦ θυσιαστηρίου ἡμέρας ὀκτὼ καὶ προσήνεγκαν ὁλοκαυτώματα μετ' εὐφροσύνης καὶ ἔθυσαν θυσίαν σωτηρίου καὶ αἰνέσεως. 57. Καὶ

lutaris et laudis; 57. *et ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis et dedicaverunt portas et pastophoria et imposuerunt eis ianuas.* 58. *Et facta est laetitia in populo magna valde et aversum est opprobrium gentium.*

59. *Et statuit Iudas et fratres eius et universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, a quinta et vigesima die mensis Casleu cum laetitia et gaudio.* 60. *Et aedificaverunt in tempore illo montem Sion et per circuitum muros altos et turres firmas, nequando venirent gentes et conculcarent eum, sicut antea fecerunt.* 61. *Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, et munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumaeae.*

κατεκόσμησαν τὸ κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ στεφάνοις χρυσοῖς καὶ ἀσπιδίσκαις καὶ ἐνεκαίνισαν τὰς πύλας καὶ τὰ παστοφόρια καὶ ἐθύρωσαν αὐτά. 58. Καὶ ἐγενήθη εὐφροσύνη μεγάλη ἐν τῷ λαῷ σφόδρα καὶ ἀπεστράφη ὄνειδος ἐθνῶν.

59. Καὶ ἔστησεν Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ πᾶσα ἡ ἐκκλησία Ἰσραὴλ, ἵνα ἄγωνται αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτὸν ἡμέρας ὀκτὼ ἀπὸ τῆς πέμπης καὶ εἰκάδος τοῦ μηνὸς Χασελεῦ μετ' εὐφροσύνης καὶ χαρᾶς. 60. Καὶ ᾠκοδόμησαν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ τὸ ὄρος Σιὼν, κυκλόθεν τείχη ὑψηλὰ καὶ πύργους ὀχυροὺς, μήποτε παραγενηθέντα τὰ ἔθνη καταπατήσωσιν αὐτὰ, ὡς ἐποίησαν τὸ πρότερον. 61. Καὶ ἐπέταξεν ἐκεῖ δύναμιν τηρεῖν αὐτὸ καὶ ὠχύρωσαν αὐτὸ τηρεῖν τὴν Βαιθσούραν τοῦ ἔχειν τὸν λαὸν ὀχύρωμα κατὰ πρόσωπον τῆς Ἰδουμαίας.

Alterum αυτο τηρειν in v. 61 om S, s, 55. 106. Sed cum apud alios testes legatur et bonum praebeat sensum, (scil. arcem Bethsuram inservire ad protegendum montem templi), retineatur oportet. Facile poterat omitti quasi inaniter repetitum re non bene perspecta.

Die 25 mensis noni, anno 148 i. e. mense decembri anni 165 a. Ch. sollemne oblatum est sacrificium super altare holocaustorum novum quod fecerant. Sedulo notat sacer auctor v. 54 accurate eodem die post tres annos dedicatum esse novo sacrificio altare, quo illud contaminaverant gentes; cf. 1,62. Religiose adnotatur sacrificium esse oblatum *secundum legem*, legis enim restitutio praeprimis cordi erat idque praemium laborum et certaminum habebatur. Quia sacrificio idololatrico templum erat profanatum, eius dedicatio iuremerito continetur in oblatione sacrificii legitimi Deo facta et in consecratione sollemni altaris holocaustorum. In qua sollemnitate maxima effertur laetitia *in canticis*, hymnis, psalmis, et cantus instrumentis musicis instruebatur *in citharis, cinyris, cymbalis;* hebr כִּנּוֹר apud LXX vertitur κινύρα plerumque in libris regum et Paralip.; sed κιθάρα in Ps. Is. Iob; at Ps. 80,2 ponitur κιθάρα pro נבל nablium, psalterium (Harfe). Quare hoc quoque loco nablia, citharae, cymbala erunt intelligenda (cf. *Gr. K.*); cf. 13,51 in cinyris, cymbalis, nablis. Sacrificia cum cantu et musica esse celebranda, iam a Davide institutum esse edocemur (1 Par. 16,42).

Populus magna devotione et reverentia sacrae actioni cultus Dei

interest — procidunt in faciem, prosternunt se adorantes — v. 55 et mox facie in coelum versa εἰς οὐρανὸν laudes dicunt ei qui prosperum concessit successum. S habet: et prociderunt omnis populus in faciem suam et adoraverunt et benedixerunt habitatori coelorum (Deo coelorum, s). Novam dedicationem celebrant per dies octo v. 56, ea in re quoque sequentes exempla antiqua; ita immolatione agni paschalis cum festo azymorum octo numerantur dies; in festo quoque tabernaculorum dies octavus appellatur celeberrimus atque sanctissimus (Lev. 23,36. 39. Num. 29,35), in dedicatione templi die octavo Salomon sacrum celebravit coetum (2 Par. 7,8); item in cultus instauratione Nehemias die octavo fecit collectam (coetum sacrum) iuxta ritum (Neh. 8,18). Secundum legem obtulerunt per eos dies sacrificia varii generis cum magna animorum laetitia: holocausta, θυσίαν σωτηρίου, apud LXX pro hebr זבח שלמים, hostia pacificorum (vulg) in gratiarum actionem, ad vota solvenda, vel sponte; καὶ αἰνέσεως i. e. hebr. תודה sacrificium laudis (cf. Lev. 7,11. 12. 16). Hostiae pacificorum (ad quas hostiae laudis quoque pertinent, seu gratiarum actionis, vulg) adiunctas habebant epulas sacrificales.

Laetitiam ostentant quoque, uti fert natura humana, ornatu festivo, de quo plura habentur 2 Mach. 10,6. 7; ornabant faciem, τὰ κατὰ πρόσωπον templi, frontem templi *coronis aureis et scutulis* (deminutivum non exprimunt S, s), parvis scutis scil. quibus species quaedam ornamentorum designatur, minime clypei hostibus erepti. Pariter instaurarunt (ea notione ἐνεκαίνισαν, cum de re sacra proxime non agatur) *portas et pastophoria* i. e. cellas, et cellas instruxerunt ianuis. Ex qua instauratione simul patet, quantam vastationem intulerit Apollonius non solum urbi, sed etiam templo (cf. 1,35. 2 Mach. 5,24). Reparatione facta ingens in populo exstitit laetitia; nam cultu ornatuque sacro restituto ablata est ignominia illa quam gentes intulerant, deletum est opprobrium populo ab illis ingestum (v. 58); s quia contrivit et avertit (scil. populus) opprobrium gentium.

Cuius beneficii memoria ut per aetates ac generationes servaretur et gratis animis recoleretur, statuerunt Iudas et fratres eius et universus coetus Israel — populus per seniores vel per aliquos ad id deputatos repraesentabatur — ut festivitas dedicationis per singulos annos iisdem diebus octo celebraretur v. 59. Qua in re etiam exempla maiorum imitati sunt, qui scil. dies cladis et luctus popularis annua recordatione et ieiunio recoluerant; ita ieiunaverant die decimo mensis quinti, quia eo die templum et urbs incendio peribat (cf. Ier. 52,12. 13. Zach. 7,3); die tertio mensis septimi propter occisionem Godoliae (Ier. 42,2); die nono mensis quarti propter urbem captam (Ier. 39,2.

52,6); die decimo mensis decimi propter obsidionem urbis eo die inceptam (Ier. 52,4. Zach. 8,19). Sicut itaque illi dies tristes anniversario ieiunio per multos annos recoluerant (Zach. 7,3), ita quam maxime conveniens erat, ut dies quoque laetitiae et beneficii divini cum gaudio et exsultatione annua agerentur. Eius anniversariae sollemnitatis mentio fit Ioan. 10,22. Atque institutione ea commemorata ait Iosephus: et ex eo tempore in hodiernum usque diem celebramus id sollemne (τὴν ἑορτήν), quod vocamus Lumina (Φῶτα), hac festivitati, ut opinor, indita appellatione, quod illa nobis ex insperato affulserit agendi potestas (Antiq. 12,7,7). Sic ille. Sed quare non potius ex luminibus in signum laetitiae accensis et noctu pompa sollemni gestatis, uti fiebat in festo tabernaculorum? vide 2 Mach. 1,9; 10,6, quibus locis dedicatio dicitur celebrata in modum tabernaculorum.

Provide Iudas agit, ut in posterum cultus et templum in tuto collocetur, quantum fieri potest. Quare v. 60 montem Sion, qui eo tempore erat et vocabatur mons templi (cf. 4,37. 38) munitionibus firmarunt aedificatis per circuitum moenibus altis, quae per intervalla turribus firmis instructa sunt. Hisce munimentis spes erat fore ut incursus hostiles propulsarentur. Simul praesidium illic collocabatur v. 61, ut mons Sion servaretur; insuper ὠχύρωσαν αὐτὸ τηρεῖν τὴν Βαιθσούραν, quo ipse mons protegeretur, etiam firmarunt Bethsuram, ne scil. iterum, uti factum erat 4,29 (graece), ex Bethsura impetus et incursus fieret, sed ut haberet populus munitionem contra Idumaeos. Erigebatur itaque Bethsura arx in propugnaculum templi (cf. Iosephus l. c. et Bell. iud. 1,1,4).

10. *Vincuntur Edomitae, Beanitae Ammonitae* 5,1-8.

5,1. *Et factum est, ut audierunt gentes in circuitu quia aedificatum est altare et sanctuarium sicut prius, iratae sunt valde;* 2. *et cogitabant tollere genus Iacob qui erant inter eos et coeperunt occidere de populo et persequi.* 3. *Et debellavit Iudas filios Esau in Idumaea et eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israelitas, et percussit eos plaga magna.*

4. *Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum et in scandalum insidiantes ei in via.* 5. *Et conclusi sunt ab eo in turribus et applicuit ad eos et anathematizavit eos et incendit turres eorum igni cum om-*

5,1. Καὶ ἐγένετο ὅτε ἤκουσαν τὰ ἔθνη κυκλόθεν ὅτι ᾠκοδομήθη τὸ θυσιαστήριον καὶ ἐνεκαινίσθη τὸ ἁγίασμα ὡς τὸ πρότερον, καὶ ὠργίσθησαν σφόδρα. 2. καὶ ἐβουλεύσαντο τοῦ ἆραι τὸ γένος Ἰακὼβ τοὺς ὄντας ἐν μέσῳ αὐτῶν καὶ ἤρξαντο τοῦ θανατοῦν ἐν τῷ λαῷ καὶ ἐξαίρειν. 3. Καὶ ἐπολέμει Ἰούδας πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἡσαῦ ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ τὴν Ἀκραβαττίνην, ὅτι περιεκάθηντο τὸν Ἰσραὴλ καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς πληγὴν μεγάλην καὶ συνέστειλεν αὐτοὺς καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῶν. 4. Καὶ ἐμνήσθη τῆς κακίας υἱῶν Βαιὰν οἳ ἦσαν τῷ λαῷ εἰς παγίδα καὶ εἰς σκάνδαλον ἐν τῷ ἐνεδρεύειν αὐτοὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς. 5. Καὶ συνεκλείσθησαν ὑπ' αὐτοῦ εἰς τοὺς πύργους καὶ παρενέβαλεν ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἀνεθεμάτισεν αὐτοὺς καὶ ἐνεπύ-

nibus qui in eis erant. 6. Et transivit ad filios Ammon et invenit manum fortem et populum copiosum et Timotheum ducem ipsorum; 7. et commisit cum eis proelia multa et contriti sunt in conspectu eorum et percussit eos; 8. et cepit Gazer civitatem et filias eius et reversus est in Iudaeam.

ρισε τοὺς πύργους αὐτῆς ἐν πυρὶ σὺν πᾶσι τοῖς ἐνοῦσι. 6. Καὶ διεπέρασεν ἐπὶ τοὺς υἱοὺς Ἀμμὼν καὶ εὗρε χεῖρα κραταιὰν καὶ λαὸν πολὺν καὶ Τιμόθεον ἡγούμενον αὐτῶν. 7. Καὶ συνῆψε πρὸς αὐτοὺς πολέμους πολλοὺς καὶ συνετρίβησαν πρὸ προσώπου αὐτοῦ καὶ ἐπάταξεν αὐτούς· 8. καὶ προκατελάβετο τὴν Ἰαζὴρ καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῆς καὶ ἀνέστρεψεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν.

In populum iudaicum odia antiqua tribuum finitimarum recrudescebant. Neque id mirum. Nam ipsis Iudaeorum victoriis provocabatur illarum invidia ac superbia, quippe quae aegerrime ferrent, quod Iudaei (quos odio ac contemptui semper habebant) non solum victores exstitissent, verum etiam ex ruinis et vastatione erexissent ad novum splendorem sacra sua instituta v. 1. Imitatur auctor modum narrandi Neh. 4,1. Quare statuerunt interimere Iudaeos qui inter earum fines versabantur, *tollere genus Iacob*, odium earum ex natione et religione ortum declaratur; et quod statuerunt, iam opere exsequi coeperunt v. 2; incipiebant occidere alios, alios *persequi*, opprimere, prout opportunitas ferebat; ἐξαίρειν delere, perdere. Tali rerum conditione necesse erat bellum illis inferre et armis extra fines Iudaeorum contribules et vindicare et servare. Inter primos qui odium in Iudaeos explere tentabant, erant, uti assolebat ex antiquo tempore, Edomitae (cf. Num. 20,18. 1 Reg. 14,47. 2 Par. 28,17. Ps. 136,7. Eccli. 50,28. Is. 34,5. Lament. 4,21. Ez. 25,12. Abd. 1 seq.). Appellantur v. 3 nomine antiquo filii Esau (Gen. 36,15. 43. Deut. 2,4. 8. 12. 22 etc.); in Idumaea (A Ιουδαια; cf. 4,15), τὴν Ἀκραβαττίνην, est appositio ad πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἠσαῦ ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ, qua simul notio Idumaeae ad illam regionem restringitur, non enim omnes Edomitas in Idumaea bello subegit, sed eos in Acrabattine; S in Edom in Acrab.; quod vulg. habet *et eos qui erant in Acrab.* explica *et*: et eos quidem (qua notione *et* saepius usurpatur). Designatur itaque Acrabattine regio quaedam Idumaeae; nomen peti videtur ab « ascensu scorpionis » ἀνάβασις Ἀκραβείν מעלה עקרבים Num. 34,4. Ios. 15,3. Iud. 1,36; eo nomine designatur elevatio quaedam ab extremo mari mortuo initium sumens. Erit itaque Acrabattine regio quaedam in ea parte Idumaeae quae spectat inter septemtriones et occasum solis. Eos debellabat Iudas, *quia circumsedebant Israelitas* i. e. fines Israelitarum infestabant incursionibus, latrociniis, caedibus; s quia insidiabantur Israeli. Iis magnam intulit stragem; καὶ συνέστειλεν αὐτούς, cf. 3,6, coarctavit eos, repulit eos; S dispersit eos; s fugavit eos; καὶ ἔλαβε et sumpsit spolia eorum. Duo haec membra desunt in vulg.

Pariter castigavit filios Bean, Βαιάν, de quibus hoc solum loco mentio fit. Probabilissime sunt incolae prope Baiian vicum, qui situs est ab Hebron inter meridiem et ortum solis (cf. *K.*); s effert filios Esau, uti in v. 3. Struxerant populo insidias et multos ceperant quasi positis laqueis et offendiculis; s cum retinuissent eos. Hos inclusit Iudas in turribus, in quas sese receperant, et oppugnavit eos v. 5 et devovit eos interitui; quod anathema ita exsecutus est, ut turres in quas fugerant succenderet, quo incendio omnes peribant.

Ultionem quoque cepit ab Ammonitis, qui exempla maiorum (Am. 1,3. Soph. 2,8. Ez. 25,1-10) secuti etiamtum Israelitis necem intulerant. Eorum regio erat trans Iordanem inter Arnon fluvium et Iaboc (cf. Deut. 2,19. 37; 3,16. Ios. 12,2. Iud. 11,13-23); eorum urbs principalis erat Rabbath ad Iaboc fluvium superiorem (Deut. 3,11. 2 Reg. 12,26; 17, 27. Ier. 49,2. Ez. 21,20; 25,5). Apud eos Iudas occurrit manui forti, copiis sat multis, quarum dux erat Timotheus. Ex nomine concludere licet eum fuisse natione syrum, qui belli peritus Ammonitarum exercitui praeerat; videtur missus fuisse a rege (Lysia?), ut varias tribus instrueret et iuvaret in bellis contra Iudaeos gerendis (cf. v. 11. 34. 37). Timotheus quidam etiam commemoratur 2 Mach. 8,30. 32; 10, 24. 32,37; 12,2. 10. 18; estne idem unus?

Etiam contra Ammonitas variis in proeliis Iudas feliciter pugnavit v. 7; expugnavit τὴν Ἰαζὴρ προκατελάβετο prior occupavit, ergo celeriter, priusquam adversarii id suspicarentur (*Gr.*); Iazer יעזר decem milliaria romana a Rabbath occidentem versus situm est et quindecim ab Hesebon septemtrionem versus; hodie cernuntur ruinae Es-Szir. Urbem eam (cf. Num. 21,32. Is. 16,8. Ier. 48,32) Iudas cepit *et filias eius* i. e. oppida et vicos quae ad eius ditionem pertinebant; urbs maior est metropolis, quasi mater minorum civitatum, quae sint eius veluti filiae; eadem dictio legitur Num. 21,32 hebr. (LXX κατελάβοντο τὰς κώμας αὐτῆς, vulg viculos).

Hisce satis ostensum est, quanta efficacia Iudas securitati contribulium providere voluerit, neque fore impunitos qui in Iudaeos committerent iniurias. Stabilita itaque hac auctoritate et terrore suo in tribus hostiles immisso Iudas re praeclare gesta reversus est in Iudaeam.

11. *Inimici Iudaeorum in Galaad et Galilaea* 5,9-23.

5,9. *Et congregatae sunt gentes quae sunt in Galaad adversus Israelitas qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos, et fugerunt in Datheman munitionem;* 10. *et miserunt litteras ad Iudam et*

5,9. Καὶ ἐπισυνήχθησαν τὰ ἔθνη τὰ ἐν τῇ Γαλαὰδ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοὺς ὄντας ἐπὶ τοῖς ὁρίοις αὐτῶν τοῦ ἐξᾶραι αὐτοὺς, καὶ ἔφυγον εἰς Δάθεμα τὸ ὀχύρωμα. 10. Καὶ ἀπέστειλαν γράμματα πρὸς Ἰούδαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ

fratres eius, dicentes : congregatae sunt adversum nos gentes per circuitum, ut nos auferant; 11. *et parant venire et occupare munitionem in quam confugimus et Timotheus est dux exercitus eorum.* 12. *Nunc ergo veni et eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis;* 13. *et omnes fratres nostri qui erant in locis Tubin interfecti sunt et captivas duxerunt uxores eorum et natos et spolia et peremerunt illic fere mille viros.*

14. *Et adhuc epistolae legebantur, et ecce alii nuntii venerunt de Galilaea conscissis tunicis nuntiantes secundum verba haec,* 15. *dicentes, convenisse adversum se a Ptolemaida et Tyro et Sidone; et repleta est omnis Galilaea alienigenis, ut nos consumant.* 16. *Ut audivit autem Iudas et populus sermones istos, convenit ecclesia magna cogitare, quid facerent fratribus suis qui in tribulatione erant et expugnabantur ab eis.* 17. *Dixitque Iudas Simoni fratri suo : elige tibi viros et vade et libera fratres tuos in Galilaea; ego autem et frater meus Ionathas, ibimus in Galaaditim.* 18. *Et reliquit Iosephum filium Zachariae et Azariam duces populi cum residuo exercitu in Iudaea ad custodiam;* 19. *et praecepit illis dicens : praeestote populo huic et nolite bellum committere adversum gentes, donec revertamur.* 20. *Et partiti sunt Simoni viri tria millia, ut iret in Galilaeam; Iudae autem octo millia in Galaaditim.* 21. *Et abiit Simon in Galilaeam et commisit proelia multa cum gentibus et contritae sunt gentes a facie eius et persecutus est eos usque ad portam* 22. *Ptolemaidis; et ceciderunt de gentibus fere tria millia virorum, et accepit spolia eorum;* 23. *et assumpsit eos qui erant in Galilaea, et in Arbatis cum uxoribus et natis et omnibus quae erant illis et adduxit in Iudaeam cum laetitia magna.*

λέγοντες· ἐπισυνηγμένα ἐστὶν ἐφ' ἡμᾶς τὰ ἔθνη τὰ κύκλῳ ἡμῶν τοῦ ἐξᾶραι ἡμᾶς, 11. καὶ ἑτοιμάζονται ἐλθεῖν καὶ προκαταλαβέσθαι τὸ ὀχύρωμα εἰς ὃ κατεφύγομεν καὶ Τιμόθεος ἡγεῖται τῆς δυνάμεως αὐτῶν. 12. Νῦν οὖν ἐλθὼν ἐξελοῦ ἡμᾶς ἐκ χειρὸς αὐτῶν, ὅτι πέπτωκεν ἐξ ἡμῶν πλῆθος· 13. καὶ πάντες οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν οἱ ὄντες ἐν τοῖς Τουβίου τεθανάτωνται καὶ ἠχμαλωτίκασι τὰς γυναῖκας αὐτῶν καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν καὶ τὴν ἀποσκευὴν καὶ ἀπώλεσαν ἐκεῖ ὡς μίαν χιλιαρχίαν ἀνδρῶν.

14. Ἔτι αἱ ἐπιστολαὶ ἀνεγινώσκοντο, καὶ ἰδοὺ ἄγγελοι ἕτεροι παρεγένοντο ἐκ τῆς Γαλιλαίας διερρηχότες τὰ ἱμάτια ἀπαγγέλλοντες κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, 15. λέγοντες· ἐπισυνῆχθαι ἐπ' αὐτοὺς ἐκ Πτολεμαΐδος καὶ Τύρου καὶ Σιδῶνος καὶ πᾶσαν Γαλιλαίαν ἀλλοφύλων τοῦ ἐξαναλῶσαι ἡμᾶς. 16. Ὡς δὲ ἤκουσεν Ἰούδας καὶ ὁ λαὸς τοὺς λόγους τούτους, ἐπισυνήχθη ἐκκλησία μεγάλη βουλεύσασθαι τί ποιήσωσι τοῖς ἀδελφοῖς αὐτῶν τοῖς οὖσιν ἐν θλίψει καὶ πολεμουμένοις ὑπ' αὐτῶν. 17. Καὶ εἶπεν Ἰούδας Σίμωνι τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ· ἐπίλεξον σεαυτῷ ἄνδρας καὶ πορεύου καὶ ῥῦσαι τοὺς ἀδελφούς σου τοὺς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. ἐγὼ δὲ καὶ Ἰωνάθαν ὁ ἀδελφός μου πορευσόμεθα εἰς τὴν Γαλααδῖτιν. 18. Καὶ κατέλιπεν Ἰώσηφον τὸν τοῦ Ζαχαρίου καὶ Ἀζαρίαν ἡγουμένους τοῦ λαοῦ μετὰ τῶν ἐπιλοίπων τῆς δυνάμεως ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ εἰς τήρησιν, 19. καὶ ἐνετείλατο αὐτοῖς λέγων· πρόστητε τοῦ λαοῦ τούτου καὶ μὴ συνάψητε πόλεμον πρὸς τὰ ἔθνη ἕως τοῦ ἐπιστρέψαι ἡμᾶς. 20. Καὶ ἐμερίσθησαν Σίμωνι ἄνδρες τρισχίλιοι τοῦ πορευθῆναι εἰς τὴν Γαλιλαίαν, Ἰούδᾳ δὲ ἄνδρες ὀκτακισχίλιοι εἰς τὴν Γαλααδῖτιν. 21. Καὶ ἐπορεύθη Σίμων εἰς τὴν Γαλιλαίαν καὶ συνῆψε πολέμους πολλοὺς πρὸς τὰ ἔθνη καὶ συνετρίβη τὰ ἔθνη ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ, 22. καὶ ἐδίωξεν αὐτοὺς ἕως τῆς πύλης Πτολεμαΐδος· καὶ ἔπεσον ἐκ τῶν ἐθνῶν εἰς τρισχιλίους ἄνδρας καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῶν· 23. καὶ παρέλαβε τοὺς ἐκ τῆς Γαλιλαίας καὶ ἐν Ἀρβάττοις σὺν ταῖς γυναιξὶ καὶ τοῖς τέκνοις, καὶ πάντα ὅσα ἦν αὐτοῖς, καὶ ἤγαγεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν μετ' εὐφροσύνης μεγάλης.

In v. 15 πασαν Γαλιλαιαν A 23. 24. 55. 56; ita quoque s; αλλοφυλων pertinere ad Γα-

λιλαιαν, uti Γαλιλαια των εθνων perspicue exhibet s; quare non est explicandum, Galilaeam esse in potestate alienigenarum; ℵ πασα Γαλ; vulgo πασης Γαλιλαιας.

Scribit Iosephus (l. c. 12,8,1) : « cum autem vicinae gentes intellexissent, Iudam revertisse, coeunt in Galaad adversus Iudaeos ». Odium in Iudaeos eo magis exarsisse videtur, quia Iudas cum successu ultus est iniurias suis illatas. Insuper Timotheus, apud Ammonitas victus a Iuda, ut ignominiam cladis redimeret, prompte inflammavit aliarum tribuum in Iudaeos odium. Uti in regione meridionali, in Idumaea et in regione Ammonitarum, ita mox v. 9 in Galaad quoque gentes communi consilio contra Iudaeos, qui inter eas commorabantur, agere statuerunt τοῦ ἐξᾶραι αὐτοὺς, ut eos delerent. Uti ex nominibus urbium Galaad v. 26 elucet, Galaad hic notione sumitur latiore, non solum de illa scil. regione transiordanica quam olim occuparant Israelitae (Deut. 34,1. Ios. 22,9) tribus scil. Ruben, Gad, et dimidia tribus Manasse, sed etiam amplius. Iudaei autem, cum impetus in eos fieret, periculum declinantes fugerunt in Datheman (S, s Rametha) castellum. Haec arx ceteroquin plane ignota est (vide ad v. 29). Exinde dabant litteras ad Iudam v. 10 nuntiantes de periculo obsidionis, de caede multorum v. 11; quanta rabie in Iudaeos saevitum sit, elucet ex eo quod in regione Tubin, Tob (Iud. 11,3. 2 Sam. 10,6?) in vicinia Ammonitidis omnes Iudaei, fere mille viri, perierunt captis mulieribus et liberis. Calamitate hac enarrata implorant opem : veni et eripe nos de manibus eorum. Ceterum cf. 2 Mach. 12,17.

Verum dum hae epistolae legerentur, v. 14, cum magna omnium admiratione advenerunt alii nuntii de Galilaea, toto habitu, conscissis tunicis, luctum prae se palam ferentes, qui nuntiabant, convenisse alienigenas a Ptolemaide, a Tyro et Sidone; universam imo Galilaeam (repletam esse exteris nationibus), quae communi consilio in perditionem Israelitarum conspirassent v. 15, « ut nos delerent et conficerent » (S); s : congregati sunt contra nos ab Acco et a Tyro et omnis Galilaea Philisthaeorum ad perditionem; graece enim πᾶσαν Γαλιλαίαν ἀλλοφύλων, uti dicitur Galilaea gentium cf. Is. 8,23. Matth. 4,15; S vero : et congregatae sunt contra nos ex Ptolemaide et Tyro et Sidone et omni Galilaea nationes alienae. In magno conventu deliberatum est, quomodo opem ferre possent fratribus, qui in angustia erant et ab illis bello impetebantur. Negotium erat satis difficile, quia in duabus regionibus bellum erat suscipiendum. Simoni demandatum est munus liberandi fratres in Galilaea; eique attributa tria millia bellatorum; Iudas et Ionathas statuerunt cum octo millibus proficisci in Galaad; ad ipsam Iudaeam custodiendam relicti sunt Iosephus et Azarias cum

reliquo exercitu — etiam satis magno, quia ex eo postea fere duo millia perierunt v. 60.

Simon in Galilaea feliciter pugnavit; hostes inter alia fugavit usque ad portam Ptolemaidis (s Acco; S usque ad Ptolemaiden). Quam acriter et quam saepe pugnatum sit, concluseris ex eo quod ceciderunt de gentibus fere tria millia, qui est fere numerus bellatorum Simonis. Verum bene perspexit inter tribus hostiles iam non posse Iudaeos secure habitare; quare Iudaeos ex Galilaea et regione demissa Iordanis in Iudaeam adduxit; qua transmigratione simul robur exercitus auctum est. Quomodo explicandum sit ἐν Ἀρβάττοις, non liquet (א Ἀρβανοις, A Ἀρβακτοις etc.). Probabilissimum videtur poni pro hebr ערבות et intelligi loca demissa Iordanis a lacu Tiberiadis meridiem versus sita; etiam LXX ערבה retinetur Ἀραβα (Deut. 2,8. Ios. 3,16; 12,1); S praebet ארדבו, quam vocem *Ewald* explicat ex arabico : terram demissam, eamque cum hodierna appellatione vallis per quam Iordanis in mare Galilaeae influit aliquam habere cognationem affirmat (Geschichte des Volkes Israel, 1864 p. 410); s vero videtur praebere Neharbthan, quod nomen fortasse componere licet cum Narbatha (Iosephus, Bell. iud. 2,14,5; 18,10 quae est toparchia finitima Caesareae et Samariam versus protensa).

Quaerunt, adductine sint omnes Iudaei ex illa regione in Iudaeam? Certe illi omnes, quorum pietas ac religio erat firma et sincera, censendi sunt rediisse in Iudaeam; cf. v. 45 seq. Aliter Iosephus : cum peremptorum spolia sustulisset, tam Iudaeos ab eis in captivitatem redactos quam eorum sarcinulas abducens domum se recepit (l. c. 12, 8,2). Sed solum Iudaeos ab hostibus captos esse reductos, ipsa narratione minime proditur. Quare potius explicari oportebit secundum modum quo agitur in v. 45 seq. Fratres enim Machabaei uno consilio summaque concordia cuncta dirigere ubique cernuntur.

12. *Expeditio in Galaad* 5,24-36.

5,24. *Et Iudas Machabaeus et Ionathas frater eius transierunt Iordanem et abierunt viam trium dierum per desertum.* 25. *Et occurrerunt eis Nabuthaei et susceperunt eos pacifice et narraverunt eis omnia quae acciderant fratribus eorum in Galaaditide,* 26. *et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa et Bosor et in Alimis et in Casphor et Mageth et Carnaim; hae omnes civitates munitae et magnae.* 27.

5,24. Καὶ Ἰούδας ὁ Μακκαβαῖος καὶ Ἰωνάθαν ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ διέβησαν τὸν Ἰορδάνην καὶ ἐπορεύθησαν ὁδὸν τριῶν ἡμερῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ. 25. Καὶ συνήντησαν τοῖς Ναβαταίοις καὶ ἀπήντησαν αὐτοῖς εἰρηνικῶς καὶ διηγήσαντο αὐτοῖς ἅπαντα τὰ συμβάντα τοῖς ἀδελφοῖς αὐτῶν ἐν τῇ Γαλααδίτιδι, 26. καὶ ὅτι πολλοὶ ἐξ αὐτῶν συνειλημμένοι εἰσὶν εἰς Βόσσορα καὶ Βοσὸρ, ἐν Ἀλέμοις, Χασφὼρ, Μακὲδ καὶ Καρναίν· πᾶσαι αἱ πόλεις αὗται ὀχυραὶ καὶ μεγάλαι. 27. Καὶ ἐν ταῖς λοιπαῖς

Sed et in ceteris civitatibus Galaaditidis tenentur comprehensi et in crastinum constituerunt admovere exercitum civitatibus his et comprehendere et tollere eos in una die.

28. *Et convertit Iudas et exercitus eius viam in desertum Bosor repente et occupavit civitatem et occidit omnem masculum in ore gladii et accepit omnia spolia eorum et succendit eam igni.* 29. *Et surrexerunt inde nocte et ibant usque ad munitionem.* 30. *Et factum est diluculo, cum elevassent oculos suos, ecce populus multus, cuius non erat numerus, portantes scalas et machinas, ut comprehenderent munitionem et expugnarent eos.* 31. *Et vidit Iudas quia coepit bellum et clamor belli ascendit ad coelum sicut tuba, et clamor magnus de civitate,* 32. *et dixit exercitui suo: pugnate hodie pro fratribus vestris.* 33. *Et venit tribus ordinibus post eos et exclamaverunt tubis et clamaverunt in oratione.* 34. *Et cognoverunt castra Timothei, quia Machabaeus est et refugerunt a facie eius et percusserunt eos plaga magna et ceciderunt ex eis in die illa fere octo millia virorum.*

35. *Et divertit Iudas in Maspha et expugnavit et cepit eam et occidit omnem masculum et sumpsit spolia eius et succendit eam igni.* 36. *Inde perrexit et cepit Casbon et Mageth et Bosor et reliquas civitates Galaaditidis.*

πόλεσι τῆς Γαλααδίτιδος εἰσι συνειλημμένοι καὶ εἰς αὔριον τάσσονται παρεμβάλλειν ἐπὶ τὰ ὀχυρώματα καὶ καταλαβέσθαι καὶ ἐξᾶραι πάντας τούτους ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ.

28. Καὶ ἀπέστρεψεν Ἰούδας καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ ὁδὸν εἰς τὴν ἔρημον εἰς Βόσσορα ἄφνω, καὶ κατελάβετο τὴν πόλιν καὶ ἀπέκτεινε πᾶν ἀρσενικὸν ἐν στόματι ῥομφαίας καὶ ἔλαβε πάντα τὰ σκῦλα αὐτῶν καὶ ἐνέπρησεν αὐτὴν πυρί. 29. Καὶ ἀπῆρεν ἐκεῖθεν νυκτὸς καὶ ἐπορεύετο ἕως ἐπὶ τὸ ὀχύρωμα· 30. καὶ ἐγένετο ἑωθινὴ καὶ ἦραν τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν καὶ ἰδοὺ λαὸς πολὺς οὗ οὐκ ἦν ἀριθμός, αἴροντες κλίμακας καὶ μηχανὰς καταλαβέσθαι τὸ ὀχύρωμα, καὶ ἐπολέμουν αὐτούς· 31. καὶ εἶδεν Ἰούδας ὅτι ἦρκται ὁ πόλεμος καὶ ἡ κραυγὴ τῆς πόλεως ἀνέβη εἰς τὸν οὐρανὸν σάλπιγξι καὶ φωνῇ μεγάλῃ, 32. καὶ εἶπε τοῖς ἀνδράσι τῆς δυνάμεως· πολεμήσατε σήμερον ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν. 33. Καὶ ἐξῆλθεν ἐν τρισὶν ἀρχαῖς ἐξ ὄπισθεν αὐτῶν καὶ ἐσάλπισαν ταῖς σάλπιγξι καὶ ἐβόησαν ἐν προσευχῇ. 34. Καὶ ἐπέγνω ἡ παρεμβολὴ Τιμοθέου ὅτι Μακκαβαῖός ἐστι καὶ ἔφυγον ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς πληγὴν μεγάλην καὶ ἔπεσον ἐξ αὐτῶν ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ εἰς ὀκτακισχιλίους ἄνδρας.

35. Καὶ ἀπέκλινεν εἰς Μασφὰ καὶ ἐπολέμησεν αὐτὴν καὶ προκατελάβετο αὐτὴν καὶ ἀπέκτεινε πᾶν ἀρσενικὸν αὐτῆς καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῆς καὶ ἐνέπρησεν αὐτὴν πυρί. 36. Ἐκεῖθεν ἀπῆρε καὶ προκατελάβετο τὴν Χασφὼρ, Μακεδ, Βοσὸρ καὶ τὰς λοιπὰς πόλεις τῆς Γαλααδίτιδος.

In v. 28 fertur in editionibus εις Βοσορ, sed legendum esse Βοσσορα cum S, s; ℵ aliquibus minusc, Iosepho patet etiam ex v. 36.

Dum Simon in Galilaeam suscipit expeditionem, eodem tempore Iudas et Ionathas eius frater v. 24 iter instituunt cum octo millibus (v. 20) in Galaad. Post transitum Iordanis (prope Iericho, per vada Iordanis; cf. Ios. 2,7. Iud. 3,28; 12,5) *abierunt viam trium dierum per desertum* i. e. per regionem illam plerumque plus minusve incultam, quae ab Rabbath Ammon meridiem versus protenditur et orientem versus in desertum arabicum porrigitur. Quae sit via unius diei, a veteribus non uno modo describitur; Herodotus ei assignat stadia 150

et etiam 200 (4,101; 5,53), Procopius 120, Vegetius 160 (cf. *K.*); hodie generatim viam septem horarum attribuunt (cf. *K. Gr.*). In illo itinere obviam habent v. 25 Nabuthaeos; erant Ναβαταῖοι, נבית posteri Ismael (Gen. 25,13), tribus arabica, nomades, qui etiam 9,25 amici Iudaeorum exhibentur, uti hoc loco quoque. Nam Iudam certiorem reddunt de conditione Iudaeorum in Galaad. Quae narraverint, describitur in v. 26. 27; duo, uti verba iacent, continentur : Iudaeos multos teneri captivos in variis urbibus Galaad; et in crastinum constitutam esse expugnationem munitionum, ut uno die Iudaei omnes interirent.

In textu difficultatem facit numerus pluralis τὰ ὀχυρώματα; nam in v. 9 de una solum munitione sermo fit, in quam Iudaei confugerint, Dathema; atque etiam v. 29 aperte de hac munitione mentio fit, quam hostes oppugnant duce Timotheo, contra quos feliciter proelium committit Iudas. Hisce autem clare efficitur, in v. 27 de una hac arce sermonem inferri (s quoque exhibet numerum singularem, scil. vocem sine punctis pluralem indicantibus, quae alias saepius cernuntur et in S exhibentur). In aliis civitatibus Iudaeos captivos teneri, in v. 26. 27 clare enuntiatur. Neque cur hoc in controversiam vocetur aut negetur, certa afferri potest ratio. Utique in epistola illa v. 10 seq. nihil dicitur de captivis in urbibus. Sed ii quibus contigit fugere in Datheman fortasse nihil de sorte aliorum compertum habebant; unum quod sciunt, de Iudaeis in Tubin, referunt; unum solum efflagitant, ut sibi in castello Datheman inclusis auxilium feratur. Id Iudas praestitit v. 29 seq. Sed praeterea Iudas civitates Galaad expugnat v. 36. Id quod eum fecisse ad Iudaeos liberandos, ex v. 26. 27 facile consequitur et fere necessario colligitur ex v. 45 : et congregavit Iudas universos Israelitas qui erant in Galaad.

Quare non puto narrationem in v. 26. 27 tot esse obseptam difficultatibus, ut nequeat intelligi et ut mutatione textus opus sit. Talem mutationem proposuit *Wellhausen*, scil. legendum esse : multi *ex* Bosor... congregati sunt ante munitionem (Dathema); sed ea mutatio est nimis violenta; considera εἰς, repetitis vicibus ἐν; in ea nequit intelligi quid sibi velit illud : omnes civitates munitae et magnae; neque probabile est ad unam arcem oppugnandam ex tot civitatibus adeo dissitis confluxisse milites. Unde illam textus mutationem, quam *Kautzsch* quidem valde approbat utpote ingeniosam, equidem minime velim admittere.

De civitatibus in v. 26. 27 agitur in periodico Zeitschrift des deutschen Palaestina Vereins t. 12 p. 151; t. 13 p. 41. 198. 212. Expeditionem Iudae porrectam esse usque ad meridionalem partem Hauran et Dscholan certum est. Βόσσορα, Bozra, apud Graecos et Romanos appel-

latur Bostra; Βοσόρ esse Basir, ad occidentem Ledscha opinatur *Furrer*; at *Buhl* censet eam urbem nimis ad septemtrionem esse sitam; ipse mavult cogitare de Busr el-hariri; Alemi esse Kafr el-ma in Dscholan ad occidentem versus ab Nahr er- rukkad (*Furrer*); sed *Buhl* putat potius esse urbem Ilma (עלמה) in media regione Hauran; Kasphor hodie Chisfin, Mageth (Μαχέδ), hodie Mukatje; Karnaim hodie Kren (Dehren, Dschuren) in Ledscha, est urbs distincta ab Astharoth (cf. l. c. t. 13 p. 42. 198. 213). Quare simul patet notionem Galaad in nostro libro esse satis amplam.

Hisce itaque nuntiis a Nabathaeis auditis Iudas statim convertit iter in desertum εἰς τὴν ἔρημον, in regionem desertam, versus Bosor (Busr el-hariri?) v. 28; S et s efferunt Bozra (graece Βόσσορα v. 26) in quam urbem exercitus Iudae iter direxit. Quae urbs capta est et anathemate percussa et incensa; atque revera in hoc versu legendum esse Βόσσορα (א Βοσορα; 44. 62 al Βοσορρα) apparet ex v. 36, in quo tandem de expugnatione Bosor sermo fit. Etiam Iosephus τὴν Βοσορράν veram exhibet lectionem. Urbe Bozra (Bostra) capta et partim destructa incendio eadem nocte surrexerunt et ad Datheman munitionem profecti sunt v. 29; unde patet illam arcem haud longe a Bozra esse quaerendam. Cum mane advenissent prope munitionem, viderunt ingentem multitudinem bellatorum qui admotis scalis et machinis arcem oppugnabant v. 30. Obsidio modo coepta erat et signa ad pugnam ineundam tubis bellicis dabantur et clamor magnus ex urbe audiebatur v. 31. Iudas exhortatur suos, ut pro fratribus pugnent v. 32. Iudas autem tribus formatis agminibus in hostium terga impetum fecit, dum simul et tubis canebant et supplicationes cum clamore valido in coelum mittebant v. 33. Simulac turbae illae quas Timotheus collegerat animadverterunt, Machabaeum esse qui se a tergo adoriretur in fugam se converterunt; Iudaei fugientibus plagam magnam intulerunt, ita ut numerus hostium occisorum fere esset octo millia v. 34. Ita igitur, uti petierant v. 12, fratres eripuit Iudas de manibus inimicorum.

Ipse vero sese convertit ad reliquas quoque civitates puniendas, quae Iudaeos afflixerant. Contra Maspha ius anathematis adhibuit v. 35; sed mirum est hic nominari Maspha (Maspha Galaad? Iud. 11,29) quae urbs in v. 26. 27 non enumeretur et quae tamen ex poena inflicta quam maxime in Iudaeos deliquisse censenda est. Lectio hoc loco est valde incerta; attamen plura vestigia servata sunt, ex quibus vera lectio coniicienda erit; habetur 19. εἰς αλεμα, 64. εις σαλεμα, 93. εις λεμα, s in Alim, Iosephus εις Μαλλην (s Meal?); unde profecto urbs illa designatur quae in v. 26 legitur *in Alimis*; si est, uti *Buhl* opinatur עלמה, dein s hoc loco quadam transpositione fere idem nomen praebet מעל. Exinde

progressus *cepit Casbon* i. e. Casphor (v. 26; ℵ Χασφων, A Χασφωθ), S, s quoque eandem urbem, uti in v. 26, exhibent, et Mageth et Bosor reliquasque civitates, de quibus mentio facta est in v. 26. 27.

13. *Proelium ad Raphon* 5,37-44.

5,37. *Post haec autem verba congregavit Timotheus exercitum alium et castra posuit contra Raphon trans torrentem.* 38. *Et misit Iudas speculari exercitum; et renuntiaverunt ei dicentes : quia convenerunt ad eum omnes gentes quae in circuitu nostro sunt, exercitus multus nimis;* 39. *et Arabas conduxerunt in auxilium sibi et castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in proelium. Et abiit Iudas obviam illis.* 40. *Et ait Timotheus principibus exercitus sui : cum appropinquaverit Iudas et exercitus eius ad torrentem aquae, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversum nos;* 41. *si vero timuerit transire et posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos et poterimus adversum illum.*

42. *Ut autem appropinquavit Iudas ad torrentem aquae, statuit scribas populi secus torrentem et mandavit eis dicens : neminem hominum reliqueritis sed veniant omnes in proelium.* 43. *Et transfretavit ad illos prior et omnis populus post eum et contritae sunt omnes gentes a facie eorum et proiecerunt arma sua et fugerunt ad fanum quod erat in Carnaim.* 44. *Et occupavit ipsam civitatem et fanum succendit igni cum omnibus qui erant in ipso, et oppressa est Carnaim et non potuit sustinere contra faciem Iudae.*

5,37. Μετὰ δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα συνήγαγε Τιμόθεος παρεμβολὴν ἄλλην καὶ παρενέβαλε κατὰ πρόσωπον Ῥαφὼν ἐκ πέραν τοῦ χειμάρρου. 38. Καὶ ἀπέστειλεν Ἰούδας κατασκοπεῦσαι τὴν παρεμβολὴν καὶ ἀπήγγειλαν αὐτῷ λέγοντες· ἐπισυνηγμένα εἰσὶν πρὸς αὐτοὺς πάντα τὰ ἔθνη τὰ κύκλῳ ἡμῶν, δύναμις πολλὴ σφόδρα· 39. καὶ Ἄραβας μεμίσθωνται εἰς βοήθειαν αὐτοῖς καὶ παρεμβάλλουσι πέραν τοῦ χειμάρρου ἕτοιμοι τοῦ ἐλθεῖν ἐπὶ σὲ εἰς πόλεμον. Καὶ ἐπορεύθη Ἰούδας εἰς συνάντησιν αὐτῶν. 40. Καὶ εἶπε Τιμόθεος τοῖς ἄρχουσι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ ἐν τῷ ἐγγίζειν Ἰούδαν καὶ τὴν παρεμβολὴν αὐτοῦ ἐπὶ τὸν χειμάρρουν τοῦ ὕδατος· ἐὰν διαβῇ πρὸς ἡμᾶς πρότερος, οὐ δυνησόμεθα ὑποστῆναι αὐτόν, ὅτι δυνάμενος δυνήσεται πρὸς ἡμᾶς. 41. Ἐὰν δὲ δειλωθῇ καὶ παρεμβάλῃ πέραν τοῦ ποταμοῦ, διαπεράσομεν πρὸς αὐτὸν καὶ δυνησόμεθα πρὸς αὐτόν.

42. Ὡς δὲ ἤγγισεν Ἰούδας ἐπὶ τὸν χειμάρρουν τοῦ ὕδατος, ἔστησε τοὺς γραμματεῖς τοῦ λαοῦ ἐπὶ τοῦ χειμάρρου καὶ ἐνετείλατο αὐτοῖς λέγων· μὴ ἀφῆτε πάντα ἄνθρωπον παρεμβαλεῖν, ἀλλ' ἐρχέσθωσαν πάντες εἰς τὸν πόλεμον. 43. Καὶ διεπέρασεν ἐπ' αὐτοὺς πρότερος καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὄπισθεν αὐτοῦ· καὶ συνετρίβησαν πρὸ προσώπου αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη καὶ ἔρριψαν τὰ ὅπλα αὐτῶν καὶ ἔφυγον εἰς τὸ τέμενος ἐν Καρναΐν. 44. Καὶ προκατελάβοντο τὴν πόλιν καὶ τὸ τέμενος ἐνεπύρισαν ἐν πυρὶ σὺν πᾶσι τοῖς ἐν αὐτῷ· καὶ ἐτροπώθη ἡ Καρναΐν· καὶ οὐκ ἐδύνατο ἔτι ὑποστῆναι κατὰ πρόσωπον Ἰούδα.

Interea Timotheus quoque post cladem illam (v. 34) non erat otiosus. Iterum copias congregare studuit v. 37 et cum iis castrametatus est *contra Rafon trans torrentem* i. e. κατὰ πρόσωπον ante Raphon, er-Rafe ad orientem Wadi el-Ehreir (cf. Z D P V t. 13 p. 198; vide tabulam geogr. Dschebel Hauran B 4 in t. 12). Urbem Raphana nomine Plinius (5,18) inter urbes Decapoleos recenset. Iudas misit v. 38 exploratores per quos de numero et conditione exercitus certior reddere-

tur (s misit explorare terram). Referunt, uti videtur, non sine exaggeratione collectum esse a Timotheo ingentem pugnatorum numerum ex omnibus tribubus; Arabes quoque in auxilium esse advocatos; castra posita trans torrentem; hostes parare impetum in exercitum Iudaeorum v. 39. Quod ultimum non ex mente Timothei ducis statutum esse, ex v. 40 liquet. Iudas hoc nuntio accepto ipse cum suis in occursum hostium abiit. Timotheus, qui audaciam et fortitudinem Iudaeorum iam expertus est, ex eadem audacia quid sibi faciendum esset constituit. Merito enim ita ratiocinatur : si Iudas audet nos prior aggredi, ipsi de robore ac studio inflammato pugnandi suorum maxime est persuasum; quare experientia edocti talem impetum non poterimus sustinere; quodsi autem tardaverit timens ad nos transire et manserit in castris ad occidentem torrentis, robur ac fortitudo eius bellatorum deficit et nos poterimus exsistere victores. Et secundum hanc normam locutus est principibus exercitus v. 40. 41; *si posuerit castra extra flumen* i. e. πέραν trans flumen (S, s) i. e. ad occidentem torrentis seu Wadi el-Ehreir. Castra Timothei erant ad orientem torrentis. Timotheus quidem scit sibi praesto esse numerum multo maiorem; sed victoriam tamen non sibi audet promittere, nisi quandam animorum abiectionem ac debilitationem apud Iudaeos advertat.

Iudas rem prompte aggreditur v. 42; simul curat, ut ad unum omnes certamini intersint; quare statuit τοὺς γραμματεῖς (סופר 2 Chr. 26, 11; שטרים Deut. 20,5. Ios. 1,10 etc.) scribas militares, tribunos exercitui conscribendo, inspiciendo praepositos ad torrentem mandans iis : ne permittatis quemquam consistere (μὴ ἀφῆτε πάντα i. e. μηδένα ἀφῆτε παρεμβαλεῖν : neminem consistere sinite); sed omnes procedant ad pugnandum. Praeclaro exemplo ipse Iudas prior ingreditur torrentem et transfretat versus hostes v. 43; totus exercitus eum sequitur: magno impetu ruunt in hostes, qui eorum audacia iam animis cadere videntur; mox enim incursum Iudaeorum non sustinentes proiectis armis fugiunt *ad fanum quod erat in Carnaim* i. e. Dschuren in Ledscha (cf. tabulam geogr. C 4 in t. 12 l. c.); distat non adeo multum orientem versus ab er-Rafe. Iudas fugientes prosequitur; ipsam urbem expugnat; qui ad idola confugerant in fanum fano succenso flammis suffocati pereunt. Vocatur fanum illud 2 Mach. 12,26 Ἀταργατεῖον, fanum deae Atargatis (seu Derketo, dea consors Dagon).

14. *Reducuntur Israelitae in Iudaeam* 5,45-54.

5,45. *Et congregavit Iudas universos Israelitas qui erant in Galaaditide a minimo usque ad maximum et uxores*

5,45. Καὶ συνήγαγεν Ἰούδας πάντα Ἰσραὴλ τοὺς ἐν τῇ Γαλααδίτιδι ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν καὶ τὰ τέκνα

eorum et natos et exercitum magnum valde, ut venirent in terram Iuda. 46. *Et venerunt usque Ephron; et haec civitas magna in ingressu posita, munita valde et non erat declinare ab ea dextra vel sinistra, sed per mediam iter erat.* 47. *Et incluserunt se qui erant in civitate et obstruxerunt portas lapidibus; et misit ad eos Iudas verbis pacificis,* 48. *dicens : transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram; et nemo vobis nocebit; tantum pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire.* 49. *Et praecepit Iudas praedicare in castris, ut applicarent unusquisque, in quo erat loco;* 50. *et applicuerunt se viri virtutis et oppugnavit civitatem illam tota die et tota nocte et tradita est civitas in manu eius;* 51. *et peremerunt omnem masculum in ore gladii et eradicavit eam et accepit spolia eius et transivit per totam civitatem super interfectos.* 52. *Et transgressi sunt Iordanem in campo magno contra faciem Bethsan.* 53. *Et erat Iudas congregans extremos et exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda;* 54. *et ascenderunt in montem Sion cum laetitia et gaudio et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace.*

αὐτῶν καὶ τὴν ἀποσκευὴν, παρεμβολὴν μεγάλην σφόδρα, ἐλθεῖν εἰς γῆν Ἰούδα. 46. Καὶ ἦλθον ἕως Ἐφρὼν, καὶ αὕτη ἡ πόλις μεγάλη ἐπὶ τῆς εἰςόδου ὀχυρὰ σφόδρα· οὐκ ἦν ἐκκλῖναι ἀπ' αὐτῆς δεξιὰν ἢ ἀριστερὰν, ἀλλ' ἢ διὰ μέσου αὐτῆς πορεύεσθαι. 47. Καὶ ἀπέκλεισαν αὐτοὺς οἱ ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἐνέφραξαν τὰς πύλας λίθοις. 48. Καὶ ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς Ἰούδας λόγοις εἰρηνικοῖς λέγων· διελευσόμεθα διὰ τῆς γῆς σου τοῦ ἀπελθεῖν εἰς τὴν γῆν ἡμῶν καὶ οὐδεὶς κακοποιήσει ὑμᾶς· πλὴν τοῖς ποσὶ παρελευσόμεθα. Καὶ οὐκ ἠβούλοντο ἀνοῖξαι αὐτῷ. 49. Καὶ ἐπέταξεν Ἰούδας κηρῦξαι ἐν τῇ παρεμβολῇ τοῦ παρεμβαλεῖν ἕκαστον ἐν ᾧ ἐστι τόπῳ. 50. Καὶ παρενέβαλον οἱ ἄνδρες τῆς δυνάμεως καὶ ἐπολέμησαν τὴν πόλιν ὅλην τὴν ἡμέραν ἐκείνην καὶ ὅλην τὴν νύκτα καὶ παρεδόθη ἡ πόλις ἐν χερσὶν αὐτοῦ. 51. Καὶ ἀπώλεσε πᾶν ἀρσενικὸν ἐν στόματι ῥομφαίας καὶ ἐξερρίζωσεν αὐτὴν καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῆς καὶ διῆλθε διὰ τῆς πόλεως ἐπάνω τῶν ἀπεκταμμένων. 52. Καὶ διέβησαν τὸν Ἰορδάνην εἰς τὸ πεδίον τὸ μέγα κατὰ πρόςωπον Βαιθσάν. 53. Καὶ ἦν Ἰούδας ἐπισυνάγων τοὺς ἐσχατίζοντας καὶ παρακαλῶν τὸν λαὸν κατὰ πᾶσαν τὴν ὁδὸν, ἕως ἦλθεν εἰς γῆν Ἰούδα· 54. καὶ ἀνέβησαν εἰς τὸ ὄρος Σιὼν ἐν εὐφροσύνῃ καὶ χαρᾷ, καὶ προςήγαγον ὁλοκαυτώματα, ὅτι οὐκ ἔπεσεν ἐξ αὐτῶν οὐδεὶς ἕως τοῦ ἐπιστρέψαι ἐν εἰρήνῃ.

Uti Simon Iudaeos ex Galilaea, ex medio alienigenarum, adduxit in Iudaeam, ita Iudas quoque devictis ac punitis oppressoribus Iudaeorum v. 45 *congregavit universos Israelitas qui erant in Galaaditide*, et illud *universos* ulterius describitur *a minimo* etc. (cfr Gen. 19,11. 1 Sam. 30,2. 2 Par. 15,13; 34,30. Ier. 31,34; 42,8. Bar. 1,4 etc.) et designatur addito *exercitum magnum valde*; quibus omnibus habitacula tribuere vult in medio fratrum in Iudaea. Per eos quoque robur exercitus augetur. Iter capiunt ex Galaad Iordanem versus quem transire vult Iudas e regione Bethsan (v. 52) i. e. Beisan. Cum Iudas omnes Iudaeos ex regionibus illis voluerit colligere, probabile est eum usum esse longiore circuitu ab ultima quam expugnavit urbe, scil. a Carnaim (Dschuren, Agraena in Ledscha). In qua migratione *venerunt usque Ephron*; eius urbis situm determinat I. P. *van Kaste-*

ren S. I (ZDPV, t. 13 p. 212); qui enim, scribit ille, per Aindschenne descendit in Adschlun, plane imaginatione sibi fingit urbem, quam dux hebraeus, postquam adeo meridiem versus progressus est, neque ad dexteram neque ad sinistram potuit declinare, sed per quam mediam iter erat. Ephronitae autem transitum negabant; οἱ ἐκ τῆς πόλεως ex urbe esse i. e. ad urbem pertinere, oppidani (cf. 6,3; 10,86 etc.) ἀπέκλεισαν αὐτούς eos excluserunt, non admittebant (s occluserunt portas urbis coram eis); e contra *obstruxerunt portas lapidibus*. Frustra Iudas missis legatis pacem offert solum transitum postulans omni securitate promissa v. 48; S transibo per terram vestram et ibo in terram nostram (s uti graece : transibimus etc.). Quare pace ac petitione reiecta (cf. Num. 20,17; 21,22) Iudas mandavit, ut consisteret, tentorium poneret (τοῦ παρεμβαλεῖν) unusquisque in quo erat loco; tempus enim ad castra ex ordine ponenda non suppetebat neque locus erat opportunus. Et aliqua quiete concessa (v. 50 καὶ παρενέβαλον et consistebant bellatores) oppugnatio urbis coepta est et continuata eo die et per totam noctem et demum est expugnata, et iure belli (Deut. 20,10-15) anathemate percussa, quia pacem oblatam non acceperunt v. 51. Dein transgressi Iordanem εἰς τὸ πεδίον τὸ μέγα venerunt in magnum campum e regione Bethsan, i. e. contra Scythopolin, Beisan, ad quam urbem magna illa planities Esdrelon pertingit v. 52, et a qua urbe inter Iordanem et Gelboe montem etiam campus magnus extenditur, maior multo quam in altera fluvii ripa.

Per totum iter Iudas sedulo studuit colligere *extremos*, tardius progredientes, moratores, scil. infirmos, fatigatos, ne tardius sequentes in hostium manus inciderent; erat eius insignis providentia et caritas, ut omnes salvos perduceret in Iudaeam (*Lap.*); omnibus quoque exhortatione animum addidit, ne fatigatione itineris vel tristitia ob possessiones in Galaad derelictas deficerent. Omnis vero molestia aut tristitia statim oblivioni data est, cum salutarent montem Sion, montem templi. Ibi sacrificiis oblatis Deo gratias persolverunt de itinere feliciter peracto, quod nemo scil. ex eis in via cecidisset, quamvis, uti ex 53 apparet, non deessent pericula. Quod Iosephus vult, neminem Iudaeorum in proeliis cecidisse, et incredibile est et forma narrandi *donec* v. 53. 54 excluditur.

15. *Quibus adsit Dei benedictio* 5,55-68.

5,55. *Et in diebus quibus erat Iudas et Ionathas in terra Galaad et Simon frater eius in Galilaea contra faciem*

5,55. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις αἷς ἦν Ἰούδας καὶ Ἰωνάθαν ἐν τῇ Γαλαὰδ καὶ Σίμων ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ κατὰ πρόσ-

Ptolemaidis, 56. *audivit Iosephus, Zachariae filius, et Azarias princeps virtutis res bene gestas et proelia quae facta sunt,* 57. *et dixit : faciamus et ipsi nobis nomen et eamus pugnare adversus gentes quae in circuitu nostro sunt.* 58. *Et praecepit his qui erant in exercitu suo et abierunt Iamniam.* 59. *Et exivit Gorgias de civitate et viri eius obviam illis in pugnam.* 60. *Et fugati sunt Iosephus et Azarias usque in fines Iudaeae et ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, et facta est fuga magna in populo,* 61. *quia non audierunt Iudam et fratres eius existimantes fortiter se facturos;* 62. *ipsi autem non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel.*

ωπον Πτολεμαΐδος· 56. ἤκουσεν Ἰωσὴφ ὁ τοῦ Ζαχαρίου καὶ Ἀζαρίας, ἄρχοντες τῆς δυνάμεως, τῶν ἀνδραγαθιῶν καὶ τοῦ πολέμου οἷα ἐποίησαν, 57. καὶ εἶπε· ποιήσωμεν καὶ αὐτοὶ ἑαυτοῖς ὄνομα καὶ πορευθῶμεν πολεμῆσαι πρὸς τὰ ἔθνη τὰ κύκλῳ ἡμῶν. 58. Καὶ παρήγγειλαν τοῖς ἀπὸ τῆς δυνάμεως τῆς μετ' αὐτῶν, καὶ ἐπορεύθησαν ἐπὶ Ἰάμνειαν. 59. Καὶ ἐξῆλθε Γοργίας ἐκ τῆς πόλεως καὶ οἱ ἄνδρες αὐτοῦ εἰς συνάντησιν αὐτοῖς εἰς πόλεμον. 60. Καὶ ἐτροπώθη Ἰώσηφος καὶ Ἀζαρίας καὶ ἐδιώχθησαν ἕως τῶν ὁρίων τῆς Ἰουδαίας καὶ ἔπεσον ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐκ τοῦ λαοῦ τοῦ Ἰσραὴλ εἰς δισχιλίους ἄνδρας, 61. καὶ ἐγενήθη τροπὴ μεγάλη ἐν τῷ λαῷ Ἰσραὴλ, ὅτι οὐκ ἤκουσαν Ἰούδα καὶ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ οἰόμενοι ἀνδραγαθῆσαι· 62. αὐτοὶ δὲ οὐκ ἦσαν ἐκ τοῦ σπέρματος τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων, οἷς ἐδόθη σωτηρία Ἰσραὴλ διὰ χειρὸς αὐτῶν.

63. *Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel et gentium omnium, ubi audiebatur nomen eorum;* 64. *et convenerunt ad eos fausta acclamantes.* 65. *Et exivit Iudas et fratres eius et expugnabant filios Esau in terra quae ad austrum est; et percussit Chebron et filias eius et muros eius et turres succendit igni in circuitu.* 66. *Et movit castra ut iret in terram alienigenarum et perambulat Samariam.* 67. *In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in proelium.* 68. *Et declinavit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, et diruit aras eorum et sculptilia deorum ipsorum succendit igni et cepit spolia civitatum et reversus est in terram Iuda.*

63. Καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν σφόδρα ἐναντίον παντὸς Ἰσραὴλ καὶ τῶν ἐθνῶν πάντων, οὗ ἠκούετο τὸ ὄνομα αὐτῶν· 64. καὶ ἐπισυνήγοντο πρὸς αὐτοὺς εὐφημοῦντες. 65. Καὶ ἐξῆλθεν Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ ἐπολέμουν τοὺς υἱοὺς Ἠσαῦ ἐν τῇ γῇ πρὸς νότον, καὶ ἐπάταξε τὴν Χεβρὼν καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῆς καὶ καθεῖλε τὸ ὀχύρωμα αὐτῆς καὶ τοὺς πύργους αὐτῆς ἐνέπρησε κυκλόθεν. 66. Καὶ ἀπῆρε τοῦ πορευθῆναι εἰς γῆν ἀλλοφύλων καὶ διεπορεύετο τὴν Μαρίσσαν. 67. Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔπεσον ἱερεῖς ἐν πολέμῳ βουλόμενοι αὐτοῦ ἀνδραγαθῆσαι ἐν τῷ αὐτοὺς ἐξελθεῖν εἰς πόλεμον ἀβουλεύτως. 68. Καὶ ἐξέκλινεν Ἰούδας εἰς Ἄζωτον γῆν ἀλλοφύλων, καὶ καθεῖλε τοὺς βωμοὺς αὐτῶν, καὶ τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν αὐτῶν κατέκαυσε πυρὶ καὶ ἐσκύλευσε τὰ σκῦλα τῶν πόλεων, καὶ ἐπέστρεψεν εἰς τὴν γῆν Ἰούδα.

Perferebatur in Iudaeam celebris fama eorum quae praeclare gerebant Iudas et Ionathas in Galaad (v. 24 seq.) et Simon in Galilaea (v. 21); v. 55 contra faciem Ptolemaidis; cf. v. 21; v. 56 ἀνδραγαθία ponitur Esth. 10,2 LXX pro hebr גבורה, qua voce S hoc loco utitur : audivit Iosephus fortitudinem et victorias et bella Iudae; s autem se-

quitur graecum : audivit victorias et bella quae fecerunt. Duo illi duces quos Iudas reliquerat in Iudaea (v. 18) hac celebritate fratrum Machabaeorum exstimulati parem laudis et famae sortem sibi esse acquirendam statuerunt v. 57; si legitur καὶ εἶπε (uti fert vulg.), Iosephus, qui hic et v. 18 prior nominatur, tamquam primarius funesti consilii auctor et instigator designatur; at εἶπον exhibent S, s, ℵ A, 19. 44 al; uterque itaque eadem aemulatione et superbia instigabatur; pugna quidem contra gentes ad religionem legemque tuendam et ad vexationes avertendas vindicandasque res erat sacra; at isti unice appetunt : *faciamus et ipsi nobis nomen*! Et contra mandatum explicitum (v. 19) Iudae, ducis supremi, v. 58 παρήγγειλαν (S, s — singularem praebent ℵ, vulg 23), suos milites evocarunt eosque duxerunt contra Iamniam (cf. 4,15).

Verum quod ex superbia et contra obedientiam Iudae debitam aggressi sunt, male cessit v. 59 Gorgias (3,38. 4,1 etc.) illis cladem intulit eosque usque ad fines Iudaeae, usque ad montes (quibus victi et fugitivi aliquid praesidii nacti sunt) persecutus est. Perierunt ex Israel ad duo millia; quo numero iam revera magna strages (τροπή) in populo declaratur v. 60. Cur Deus permiserit talem cladem, auctor refert rationem ad eorum inobedientiam et nimiam sui ipsorum confidentiam v. 61; S non obedierunt... quia et ipsi optabant facere sibi nomen et victoriam; s existimantes rem prospere cessuram esse. Iudas ante pugnam opem divinam implorare solebat; nihil tale de istis legitur ducibus. Praeterea per unam stirpem Deus salutem concedere statuit, de qua isti non erant v. 62 : non erant de progenie eorum, quibus dabatur salus Israel per manum (virtutem, fortitudinem) suam; S per quorum manus Deus fecit salutem Israeli (s, uti graece). Hac clade simul edocebantur Deo disponente unitis viribus et uni imperio obsequentibus esse dimicandum.

Dum alii turpi clade devicti sunt, *viri Iuda* i. e. Iudas et fratres eius (gr. S, s) ὁ ἀνὴρ (s) vir fortis, cum laude adiungitur, uti Ex. 11,3, magnam consecuti sunt gloriam et apud Israel et apud exteras nationes v. 63; undique convenerunt, qui eos laudibus celebrarent v. 64. Quas laudes novis expeditionibus merito sibi pendi Deo bene favente comprobarunt v. 65; susceperunt enim debellare filios Esau qui in meridionali parte Iudaeae regionem occuparant; in quo terrae tractu expugnabant *Chebron*, Hebron aliaque eius ditionis oppida et vicos (*filias* quasi metropolis Hebron); eorum munimenta pariter destructa sunt; muri suffossi, turres succensae. Ex meridie occidentem versus profecti sunt in terram ἀλλοφύλων i. e. Philisthaeorum (S, s); ἀπῆρε τοῦ πορευθῆναι et discessit ut proficisceretur in terram Philisthaeorum *et*

perambulabat Samariam. Potest mirum videri quod ut ex Hebron perveniret in Philisthaeam viam selegerit per Samariam. Credibile quidem est, uti alias gentes, ita Samaritanos quoque Israelitis molestiam creasse; quare Iudam eiusmodi iniurias ulturum ad eorum regionem iter direxisse; attamen de tali consilio vel eventu nihil indicatur simplici voce διεπορεύετο. Quare quod *Calm.* aliique probarunt sequendum erit, scil. legendum esse, sicut Iosephus legit et vetus latina versio habet, Marisan, Μαρίσσαν. Urbs haec sita erat in campestribus Iuda (Ios. 15,44, Maresa cf. 1 Par. 2,42; 2 Par. 11,8; 14,9); eam urbem Iudaeis fuisse hostilem, 2 Mach. 12,35 innuitur, quia in ea Gorgias quaerit praesidium. Hoc loco commemoratur, quia, dum Iudas cum suis ditionem urbis transiret, sacerdotes inconsulto et imprudenter pugnam ineuntes ceciderunt v. 67. Altero exemplo et altera strage edocentur, unitis viribus et ductu atque imperio Iudae esse procedendum. Iudas transitu per Maresam facto petiit Azotum in terra Philisthinorum et destructis idololatriae monumentis et ampla capta praeda victor rediit in Iudaeam v. 68. Ipso prospero successu confirmatur consilium Dei quod sacer auctor enuntiavit v. 62.

16. *De obitu Antiochi regis* 6,1-16.

6,1. *Et rex Antiochus perambulabat superiores regiones et audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam et copiosam in argento et auro,* 2. *templumque in ea locuples valde, et illic velamina aurea et loricae et scuta, quae reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Graecia.* 3. *Et venit et quaerebat capere civitatem et depraedari eam, et non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate;* 4. *et insurrexerunt in proelium; et fugit inde et abiit cum tristitia magna et reversus est in Babyloniam.* 5. *Et venit qui nuntiaret ei in Perside, quia fugata sunt castra quae erant in terra Iuda,* 6. *et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis et fugatus est a facie Iudaeorum, et invaluerunt armis et viribus et spoliis multis quae ceperunt de castris quae exciderunt;* 7. *et quia diruerunt abominationem quam aedificaverat super altare quod erat in Ierusalem, et sanc-*

6,1. Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀντίοχος διεπορεύετο τὰς ἐπάνω χώρας καὶ ἤκουσεν ὅτι ἐστὶν ἐν Ἐλυμαΐδι ἐν τῇ Περσίδι πόλις ἔνδοξος πλούτῳ, ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ, 2. καὶ τὸ ἱερὸν τὸ ἐν αὐτῇ πλούσιον σφόδρα, καὶ ἐκεῖ καλύμματα χρυσᾶ καὶ θώρακες καὶ ὅπλα ἃ κατέλιπεν Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου βασιλεὺς ὁ Μακεδὼν, ὃς ἐβασίλευσε πρῶτος ἐν τοῖς Ἕλλησι. 3. Καὶ ἦλθε καὶ ἐζήτει καταλαβέσθαι τὴν πόλιν καὶ προνομεῦσαι αὐτὴν, καὶ οὐκ ἠδυνάσθη, ὅτι ἐγνώσθη ὁ λόγος τοῖς ἐκ τῆς πόλεως· 4. καὶ ἀνέστησαν αὐτῷ εἰς πόλεμον, καὶ ἔφυγε καὶ ἀπῆρεν ἐκεῖθεν μετὰ λύπης μεγάλης ἀποστρέψαι εἰς Βαβυλῶνα. 5. Καὶ ἦλθεν ἀπαγγέλλων τις αὐτῷ εἰς τὴν Περσίδα, ὅτι τετρόπωνται αἱ παρεμβολαὶ αἱ πορευθεῖσαι εἰς γῆν Ἰούδα, 6. καὶ ἐπορεύθη Λυσίας δυνάμει ἰσχυρᾷ ἐν πρώτοις καὶ ἀνετράπη ἀπὸ προσώπου αὐτῶν, καὶ ἐπίσχυσαν ὅπλοις καὶ δυνάμει καὶ σκύλοις πολλοῖς οἷς ἔλαβον ἀπὸ τῶν παρεμβολῶν ὧν ἐξέκοψαν. 7. Καὶ καθεῖλον τὸ βδέλυγμα ὃ ᾠκοδόμησεν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ τὸ ἁγίασμα καθὼς τὸ πρότερον ἐκύκλωσαν

tificationem sicut prius circumdederunt muris excelsis, sed et Bethsuram civitatem suam.

8. *Et factum est, ut audivit rex sermones istos, expavit et commotus est valde et decidit in lectum et incidit in languorem prae tristitia, quia non factum est ei, sicut cogitabat.* 9. *Et erat illic per dies multos, quia renovata est in eo tristitia magna et arbitratus est se mori.* 10. *Et vocavit omnes amicos suos et dixit illis : recessit somnus ab oculis meis et concidi et corrui corde prae sollicitudine;* 11. *et dixi in corde meo : in quantam tribulationem deveni et in quos fluctus tristitiae in qua nunc sum qui iucundus eram et dilectus in potestate mea.* 12. *Nunc vero reminiscor malorum quae feci in Ierusalem, unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea quae erant in ea et misi auferre habitantes Iudaeam sine causa.* 13. *Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista; et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.*

14. *Et vocavit Philippum, unum de amicis suis, et praeposuit eum super universum regnum suum;* 15. *et dedit ei diadema et stolam suam et annulum, ut adduceret Antiochum filium suum et nutriret eum et regnaret.* 16. *Et mortuus est illic Antiochus rex, anno centesimo quadragesimo nono.*

τείχεσιν ὑψηλοῖς καὶ τὴν Βαιθσούραν πόλιν αὐτοῦ.

8. Καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς τοὺς λόγους τούτους, ἐθαμβήθη καὶ ἐσαλεύθη σφόδρα, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὴν κοίτην, καὶ ἐνέπεσεν εἰς ἀρρωστίαν ἀπὸ τῆς λύπης, ὅτι οὐκ ἐγένετο αὐτῷ καθὼς ἐνεθυμεῖτο. 9. Καὶ ἦν ἐκεῖ ἡμέρας πλείους, ὅτι ἀνεκανίσθη ἐπ' αὐτὸν λύπη μεγάλη καὶ ἐλογίσατο ὅτι ἀποθνήσκει. 10. Καὶ ἐκάλεσε πάντας τοὺς φίλους αὐτοῦ καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· ἀφίσταται ὁ ὕπνος ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν μου καὶ συμπέπτωκα τῇ καρδίᾳ ἀπὸ τῆς μερίμνης· 11. καὶ εἶπα τῇ καρδίᾳ μου· ἕως τίνος θλίψεως ἦλθον καὶ κλύδωνος μεγάλου ἐν ᾧ νῦν εἰμι; ὅτι χρηστὸς καὶ ἀγαπώμενος ἤμην ἐν τῇ ἐξουσίᾳ μου. 12. Νῦν δὲ μιμνήσκομαι τῶν κακῶν ὧν ἐποίησα ἐν Ἱερουσαλὴμ καὶ ἔλαβον πάντα τὰ σκεύη τὰ χρυσᾶ καὶ τὰ ἀργυρᾶ τὰ ἐν αὐτῇ καὶ ἐξαπέστειλα ἐξᾶραι τοὺς κατοικοῦντας Ἰούδα διὰ κενῆς. 13. Ἔγνων οὖν ὅτι χάριν τούτων εὗρόν με τὰ κακὰ ταῦτα· καὶ ἰδοὺ ἀπόλλυμαι λύπῃ μεγάλῃ ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ.

14. Καὶ ἐκάλεσε Φίλιππον ἕνα τῶν φίλων αὐτοῦ καὶ κατέστησεν αὐτὸν ἐπὶ πάσης τῆς βασιλείας αὐτοῦ· 15. καὶ ἔδωκεν αὐτῷ τὸ διάδημα καὶ τὴν στόλην αὐτοῦ καὶ τὸν δακτύλιον τοῦ ἀγαγεῖν Ἀντίοχον τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ ἐκθρέψαι αὐτὸν τοῦ βασιλεύειν. 16. Καὶ ἀπέθανεν ἐκεῖ Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς ἔτους ἐννάτου καὶ τεσσαρακοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ.

In v. 1 habet textus rec. Ελυμαις εν τη Π. πολις; ita S s quoque : Ailam in Perside urbs; at ℵ ενελυμες, A ενλυμαις 23; εν ελυμαις 55. 56. 71, uti compl. ald.; quare *Fr.* recepit in textum εν Ελυμαιδι. Urbs quippe Elymais non exsistit et cum veteres testes servaverint εν, non erit opus auctori errorem imputare.

Antiochus rex frustra tentat urbem locupletem eiusque templum in Perside spoliare (6,1-4); audito nuntio de rebus in Iudaea male gestis aegrotat (6,4-13) Philippum regni administrum nominat, diem obit (6,14-16).

Narratum est supra Antiochum penuria pecuniae laborantem in Persidem profectum esse ad tributa exigenda et argentum corrogandum (3,29-31). Dum igitur versaretur in superioribus regionibus (vide

ad 3,37) nuntius ei affertur (6,1) esse in Elymaide, in Perside urbem nobilem ac valde locupletem. Locutio ἐν Ἐλυμαΐδι ἐν τῇ Περσίδι explicanda est secundum notionem Persidis latiorem (cf. 2 Mach. 1,19), quae regio includitur sinu persico et vallibus Euphratis, Tigridis, Cyri fluminis, mari caspico et Iaxarte Indoque fluminibus. Urbs Persarum, Persepolis, nominatur 2 Mach. 9,2. Etiam in reliquiis libri 31. Polybii legitur : Antiochus rex pecuniam comparare cupiens adversus Dianae templum εἰς τὴν Ἐλυμαΐδα expeditionem statuit suscipere; quo cum pervenisset spe sua frustratus est, quod barbari tantum scelus fieri prohiberent (Polyb. 31,11); Appianus vero refert quasi consilium rex ad exitum perduxisset : τὸ τῆς Ἐλυμαίας Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐσύλησε (Syr. 66). Esse ibi audivit rex *velamina aurea* καλύμματα (cf. 4,6 tegumenta) i. e. arma apta ad tegendum, uti sunt galeae, scuta, θώρακες loricae, καὶ ὅπλα alia arma ad aggrediendum, tela; S : galeae aureae, loricae, apparatus armorum; s : scuta aurea, loricae, arma (en quomodo uterque interpres καλύμματα non generice, sed certa armaturae specie explicet); *quae reliquit* i. e. dedicavit tamquam anathemata et trophaea (*Calm. K. Gr.*); non placet explicare : quae utpote prisca devotamenta non abstulit, *Alexander* filius *Philippi,* S qui erat antea (prius) rex Graeciae; item s qui regnavit antea in Graecia; ceterum cf. ad 1,1.

Sed frustra tentavit Antiochus capere civitatem eamque depraedari v. 3; nam consilium eius non latuit cives; οἱ ἐκ τῆς πόλεως cives, urbani; cf. v. 18 οἱ ἐκ τῆς ἄκρας, 9,63; 10,9. 76; 11,46; 13,21; insurrexerunt contra eum v. 4 et inde fugiens per Mediam (cf. 2 Mach. 9,3) *reversus est in Babyloniam.* Cum pecuniae colligendae causa expeditionem in Persidem suscepisset (3,31), merito censetur istud tentamen templi spoliandi suscepisse statim ab initio adventus in Persidem i. e. anno eodem quo profectus est ab Antiochia i. e. 147 aer. sel. 166 ante Chr; vide 2 Mach. 9,3. In Babylonia hiemavit et bellum contra regem Armeniorum praeparavit quod vere subsequente gessit. Bello hoc confecto reversus est in Persidem; et tum accepit nuntium de exercitu suo in Iudaea devicto et in fugam coniecto v. 5; v. 6. 7 brevi conspectu ponuntur quae 3,32-4,61 narrata sunt, i. e. *abiit Lysias cum virtute forti in primis* ἐν πρώτοις inter primos, dux primarius 4,28 sq.; v. 7 diruerunt abominationem 4,43; sanctificationem τὸ ἁγίασμα, sanctuarium, templum munierunt 4,60. 61, et Bethsuram πόλιν αὐτοῦ urbem scil. regis, quam ergo regi ereptam contra regem firmarunt. Hisce nuntiis rex graviter afflictus mox in morbum incidit; videt enim sua consilia esse dissipata v. 8; et erat illic v. 9, scil. in Perside v. 5, ubi tristes illos nuntios acceperat; nam etiam mortem obiisse ἐν Τάοις τῆς Περσίδος Polybius (l. c.) refert. Regis moererem ac tristitiam sacer

auctor pluribus describit v. 9 seq. convocat amicos iis declarans animi angustias et corporis molestias; v. 10 recessit somnus, ἀφίσταται etc. eadem verba leguntur Gen. 31,40 LXX; S : et cor meum contabuit in medio mei ex multa cura (s uti graece). Secum perpendit v. 11 conditionis mutationem; tempestas, fluctus obvia metaphora dicitur de rebus adversis; et quam merito in eiusmodi querelas prorumpat, explicat ὅτι χρηστὸς etc.; recordatione prioris felicitatis, benevolentiae aliis exhibitae, aestimationis laudisque acerbior redditur morbus et miseria praesens. Se vocat χρηστὸν benignum; nam in donis dandis se saepe valde liberalem, imo prodigum praestabat; etiam se dicit ἀγαπώμενον, nam variis modis, saepius valde ridiculis, auram popularem captare studebat et sese populo gratiosum reddere volebat; eiusmodi varia leguntur apud Polybium (26,10; victos occidi vetuit, sed vivos comprehendi iussit, Diod. sic. 30,14).

Verum in morbo etiam vindictam numinis agnoscit de malis quae perpetravit et de iniuriis numini illatis, cum vasa sacra diripuisset et cultores Dei deleri iussisset διὰ κενῆς (scil. πράξεως), sine causa, i. e. isti nullatenus ansam dederunt, ut merito possent puniri et enecari; v. 11. 12. De eiusmodi animi sensibus, quibus iram numinis offensi et poenam agnovit, etiam suo modo testatur Polybius scribens de eo : e vivis excessit δαιμονήσας, ὡς ἔνιοί φασιν, διὰ τὸ γενέσθαι τινὰς ἐπισημασίας τοῦ δαιμονίου κατὰ τὴν περὶ τὸ προειρημένον ἱερὸν παρανομίαν, insania, ut quidam aiunt, correptus ob quaedam signa et ostenta, quae ob violatam religionem templi ab infesto numine edita erant (31,11). In v. 12 S : abstuli vasa aurea; s omnia uti graece. In terra aliena v. 13; pertinebat Persia ad eius regnum; sed provincia haec comparatione instituta cum patria et terra nativitatis, bene vocatur eo nomine. Rex administrationem regni commisit Philippo, qui 2 Mach. 9,29 ὁ σύντροφος αὐτοῦ appellatur et idem putatur qui antea erat praepositus Iudaeae (2 Mach. 5,22; 6,11; 8,8); eique tradidit insignia dignitatis regiae : διάδημα, vestem regiam, annulum quo mandata regia obsignari solebant, τοῦ ἀγαγεῖν Ἀντίοχον ut educaret Antiochum; hisce scil. traditis eum instituit tutorem Antiochi filii, καὶ ἐκθρέψαι αὐτὸν, ut scil. sicut animum eius excoleret ita quoque curam corporis haberet, τοῦ βασιλεύειν talem scil. ei dare debet institutionem atque educationem ratione habita animi et corporis, ut tandem digne regnare possit. Iisdem duobus verbis educatio 2 Mach. 7,27 describitur; ἄγειν ducere, dirigere etc.; in aliquibus minusculis legitur Αντιοχω τω υιω; ita S ut afferret ea Antiocho (et ita s quoque et Iosephus); sed lectio Αντιοχον etiam utraque latina versione confirmatur. Uti videtur, Antiochus Lysia posthabito, quem tamen antea et regni administrum et tutorem filii instituerat (3,32. 33) Phi-

lippum in ea dignitate constituit. Cur ita egerit, coniici haud improbabiliter potest ob ea quae de Lysia audierat, qui scil. consilia regis de Iudaeis minime exsequi valebat (v. 6). Obiit rex anno 149 aer. sel. i. e. 164 a. Ch.

17. *Impii Iudaei opem regis efflagitant* 6,17-30.

6,17. *Et cognovit Lysias, quoniam mortuus est rex, et constituit regnare Antiochum filium eius, quem nutrivit adolescentem et vocavit nomen eius Eupator.* 18. *Et hi qui erant in arce concluserant Israel in circuitu sanctorum et quaerebant eis mala semper et firmamentum gentium.* 19. *Et cogitavit Iudas disperdere eos, et convocavit universum populum ut obsiderent eos;* 20. *et convenerunt simul et obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo et fecerunt balistas et machinas.*

21. *Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur et adiunxerunt se illis aliqui impii ex Israel,* 22. *et abierunt ad regem et dixerunt : quousque non facis iudicium et vindicas fratres nostros?* 23. *Nos decrevimus servire patri tuo et ambulare in praeceptis eius et obsequi edictis eius;* 24. *et filii populi nostri propter hoc alienabant se a nobis et quicumque inveniebantur ex nobis interficiebantur et hereditates nostrae diripiebantur.* 25. *Et non ad nos tantum extenderunt manum sed et in omnes fines nostros.* 26. *Et ecce, applicuerunt hodie ad arcem Ierusalem occupare eam et munitionem Bethsuram munierunt;* 27. *et nisi praeveneris eos velocius, maiora quam haec facient et non poteris obtinere eos.*

28. *Et iratus est rex ut haec audivit, et convocavit omnes amicos suos et principes exercitus sui et eos qui super equites erant;* 29. *sed et de regnis aliis et de insulis maritimis venerunt ad eum exercitus conductitii.* 30. *Et erat numerus exercitus eius centum millia pe-*

6,17. Καὶ ἐπέγνω Λυσίας ὅτι τέθνηκεν ὁ βασιλεὺς καὶ κατέστησε βασιλεύειν Ἀντίοχον τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀντ' αὐτοῦ, ὃν ἐξέθρεψε νεώτερον καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Εὐπάτωρ. 18. Καὶ οἱ ἐκ τῆς ἄκρας ἦσαν συγκλείοντες τὸν Ἰσραὴλ κύκλῳ τῶν ἁγίων, καὶ ζητοῦντες τὰ κακὰ δι' ὅλου καὶ στήριγμα τοῖς ἔθνεσι. 19. Καὶ ἐλογίσατο Ἰούδας ἐξᾶραι αὐτοὺς, καὶ ἐξεκκλησίασε πάντα τὸν λαὸν τοῦ περικαθίσαι ἐπ' αὐτούς. 20. Καὶ συνήχθησαν ἅμα καὶ περιεκάθισαν ἐπ' αὐτοὺς ἔτους πεντηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ καὶ ἐποίησεν ἐπ' αὐτοὺς βελοστάσεις καὶ μηχανάς.

21. Καὶ ἐξῆλθον ἐξ αὐτῶν ἐκ τοῦ συγκλεισμοῦ καὶ ἐκολλήθησαν αὐτοῖς τινὲς τῶν ἀσεβῶν ἐξ Ἰσραήλ, 22. καὶ ἐπορεύθησαν πρὸς τὸν βασιλέα καὶ εἶπον· ἕως πότε οὐ ποιήσῃ κρίσιν καὶ ἐκδικήσεις τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν; 23. ἡμεῖς εὐδοκοῦμεν δουλεύειν τῷ πατρί σου καὶ πορεύεσθαι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ λεγομένοις καὶ κατακολουθεῖν τοῖς προστάγμασι αὐτοῦ. 24. (Καὶ περιεκάθηντο ἐπὶ τὴν ἄκραν) οἱ υἱοὶ τοῦ λαοῦ ἡμῶν, χάριν τούτου (καὶ) ἠλλοτριοῦντο ἀφ' ἡμῶν· πλὴν ὅσοι εὑρίσκοντο ἀφ' ἡμῶν ἐθανατοῦντο, καὶ αἱ κληρονομίαι ἡμῶν διηρπάζοντο. 25. Καὶ οὐκ ἐφ' ἡμᾶς μόνον ἐξέτειναν χεῖρα ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πάντα τὰ ὅρια αὐτῶν· 26. καὶ ἰδοὺ παρεμβεβλήκασιν σήμερον ἐπὶ τὴν ἄκραν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοῦ καταλαβέσθαι αὐτὴν καὶ τὸ ἁγίασμα καὶ τὴν Βαιθσούραν ὠχύρωσαν. 27. Καὶ ἐὰν μὴ προκαταλάβῃ αὐτοὺς διὰ τάχους, μείζονα τούτων ποιήσουσι, καὶ οὐ δυνήσῃ τοῦ κατασχεῖν αὐτῶν.

28. Καὶ ὠργίσθη ὁ βασιλεὺς ὅτι ἤκουσε καὶ συνήγαγε πάντας τοὺς φίλους αὐτοῦ καὶ τοὺς ἄρχοντας τῆς δυνάμεως αὐτοῦ καὶ τοὺς ἐπὶ τῶν ἡνιῶν, 29. καὶ ἀπὸ βασιλειῶν ἑτέρων καὶ ἀπὸ νήσων θαλασσῶν ἦλθον πρὸς αὐτὸν δυνάμεις μισθωταί. 30. Καὶ ἦν ὁ ἀριθμὸς τῶν δυνάμεων αὐτοῦ ἑκατὸν χι-

ditum et viginti millia equitum et elephanti triginta duo, docti ad proelium.

λιάδες τῶν πεζῶν καὶ εἴκοσι χιλιάδες ἵππων καὶ ἐλέφαντες δύο καὶ τριάκοντα εἰδότες πόλεμον.

Cum Iudas eos oppugnaret qui ex arce molestias populo creabant, aliqui Iudaei apostatae regem adeuntes accusationibus suis efficiunt, ut magna quaedam expeditio contra Iudaeos paretur.

Lysias, nuntio de morte Antiochi accepto, filium eius, cuius tutor erat, regem constituit v. 17; sed cum is adhuc esset valde iuvenis — ἐννάετὲς παιδίον, App. Syr. 46. 66 — novem annos natus (quattuordecim, ex chron. arm. Eusebii), patet ipsum Lysiam revera regni gubernacula tenuisse. Sed ut regem illum palam declararet, nomen ei indidit *Eupator*; προςέθηκαν ὄνομα Εὐπάτωρ οἱ Σύροι διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετήν (App. Syr. 46). Senatus quoque romanus statuit (neglecta postulatione Demetrii, Seleuci filii, ut sibi regnum restitueretur) regnum firmandum esse filio quem Antiochus reliquisset; cuius consilii ea, ni fallor, ait Polybius, causa fuit quod florem aetatis Demetrii senatus habebat suspectum, conducibilioremque rebus suis aetatem infirmam illius qui relictus erat successor iudicabat (Polyb. 31,12,7. App. Syr. 46). Atque hanc aetatem novem fuisse annorum comprobatur ex Excerptis ex historia Diodori sic. n. XIV (vide notam ad h. l. apud *Müller*, Fragm. graec. hist. II p. XIII).

Dum Antiochus versaretur in regionibus superioribus (v. 1) et Iudas bellum inferret Idumaeis et Philisthaeis (5,65. 68), in ipsa urbe Ierusalem Israelitae variis vexationibus erant expositi. Erat enim in arce praesidium hostile (1,36), et οἱ ἐκ τῆς ἄκρας i. e. milites praesidiarii ἦσαν συγκλείοντες opprimebant, vexabant Israelitas in circuitu templi, circum templum, per ambitum templi; uti Iosephus dicit: eos qui in templum sacrificaturi ascendebant subito prorumpentes interemerunt (διέφθειραν: nimium dicit); nam templo arx imminebat (Antiq. 12,9,3); S: affligebant Israel. Et illi milites praesidiarii erant etiam στήριγμα τοῖς ἔθνεσιν *firmamentum gentium*; arx enim omnibus hostibus Israel subsidio erat et receptui tuto. Cum itaque illi habitantes in arce (S) continuo molestias crearent, Iudas statuit (ἐλογίσατο) tale nocumentum auferre v. 19; quare totius populi concionem convocavit, ut obsidio arcis decerneretur. Quae obsidio incepta est anno 150 aer. sel. i. e. 163 a. Chr.; *et fecerunt balistas* βελοστάσεις (στασιας) tabulata seu catastas ad collocanda tormenta, balistas, catapultas, *et machinas* alias bellicas ad oppugnationem aptas. Iosephus scribit καὶ χώματα ἐγείρας aggeres excitavit; videtur sequi LXX Ez. 17,17 et 21,27. ubi hebr. דיק redditur βελόστασις; S: turres.

Haec iusta Iudaeorum defensio, seu potius iste conatus depellendi

vexationes facta est occasio novi belli. Nam aliqui ex oppugnatis, quibus sese adiunxerunt quidam ex apostatis Iudaeis v. 21 abierunt ad regem. Atque ex sermone qui v. 22 seq. ad regem fit, apparet ipsos illos Iudaeos praecipuos fuisse instigatores belli. Impatientia quadam regem compellant: quamdiu tardabis, donec id quod iustum est constitues, et vindictam capies de iniuriis fratribus nostris illatis? Fratres etiam gentiles in arce obsessos vocant; iniurias considerant ipsam obsessionem et quae commemorantur in v. 24. Et quam merito regis opem efflagitent, magna sui ipsorum commendatione proferunt v. 23, sibi scil. omnino placuisse servire Antiocho regi, patri regis, et vitam instituere secundum eius decreta iisque plane obsequi. Iam hanc ipsam obedientiam id effecisse, ut et in arce oppugnati premerentur et magnam apud suos incurrissent inimicitiam animorumque aversionem. S: filii populi nostri obsident arcem et facti sumus nos eis velut alieni; s abalienati sunt a nobis. Astute dicunt χάριν τούτου, scil. ob v. 23 ob obedientiam regi praestitam arcem oppugnari etc.; at re vera Iudas solum vexationes depellere studuit; sed vera fateri illi nolunt. Insuper, πλήν, quotquot ex nobis inveniebantur, interficiebantur (cf. 2,44) — id quod etiam exaggerationem sapit — et bona nostra et possessiones diripiebantur v. 24. Praeterea v. 25, non solum ad nos subigendos ac spoliandos extenderunt manum, verum ἐπὶ πάντα τὰ ὅρια αὐτῶν ad omnia quae iis sunt finitima, scil. ad gentes exteras quae iis erant vicinae; alludunt ad varias expeditiones in regiones adiacentes alienigenarum. Immo v. 26 castris positis hodie obsidione clauserunt arcem ut eam occuparent; templum τὸ ἁγίασμα (etiam S, s) et Bethsuram, urbem scil. regis (v. 7), munitionibus firmarunt. In vulg. non fit mentio templi: at certe accusatores non omiserunt addere templum esse munitum (cf. 4,60 et 6,62). Obsidio arcis hoc loco cum emphasi καὶ ἰδοὺ inducitur, et aptam effert gradationem eius mentio; quare in v. 24 probabiliter lectio A 44. 55. 74. 106 et vulg praeferenda erit, qua ibi nihil dicitur de obsidione. Tandem per modum epilogi monent, quale instet periculum, nisi cito coerceantur: maiora mala perpetrabunt; peribit omnis spes eos subigendi et refrenandi. Apposite efferunt S, s pluralem: et si non cito subegeritis eos etc.; sermo enim non tam ad regem puerum annorum novem, quam ad tutorem et consiliarios eius dirigitur.

Rex de Iudaeorum audacia iratus convocat *amicos*, consiliarios et duces militares καὶ τοὺς ἐπὶ τῶν ἡνιῶν, eos qui frenis (habenis) erant praepositi, vulg. qui super equites erant; quae acceptio etiam 15,41 commendatur (ἱππεῖς, δυνάμεις); S: qui positi erant super currus; similiter lat.: qui super vehicula erant; s autem (quantum legi potest)

videtur praebere : duces exercitus qui ex Iavan. De curribus mentio fit 1,18; 2 Mach. 13,2. Adciscuntur milites conducticii ex regnis aliis, ex regnis Asiae minoris, Pergamo, Bithynia, Ponto, Cappadocia (*Gr. K.*). Cum Antiochus Epiphanes magnificam illam ludorum pompam ad Daphnen celebraret, intererant milites ex Mysia, Cilicia, Thracia, Galatia, Macedonia, Nisaia (Polyb. 31,3). Colliguntur quoque ex insulis (Cypro, Rhodo, Kreta). Ita ex omni regione ingens conducitur exercitus v. 30 : centum millia peditum, viginti millia equitum et elephanti triginta duo ad bellum apti (s : decem millia equitum).

Numerus iste militum : 100000 peditum, 20000 equitum aliquibus visus est iusto maior ideoque incredibilis, praesertim cum ne Antiochus Magnus quidem contra Romanos in pugna ad Magnesiam tantum numerum haberet, sed solum 80000 Romanis opponeret, quamquam eo tempore regnum syrum latius patebat et multo uberioribus pollebat subsidiis. Nihilominus alii merito affirmant numerum illum nullatenus a fide abhorrere (ita (*Gr. K.*). Nam Lysias experientia erat edoctus contra Iudaeos nihil effectum esse cum 40000 et postea cum 65000; Iudam cum 10000 victorem exstitisse (4,28 seq.). Interea autem etiam numerus militum Iudaeorum auctus erat (cf. 5,20) accersitis quoque omnibus Iudaeis ex Galilaea et Galaad (5,23. 45); et Iudas montem Sion et Bethsuram munierat et in obsidione arcis determinatum ostendit consilium dominationem regis penitus depellendi. Quare in id debuit Lysias omnes intendere vires, ut Iudaeos multitudine copiarum obrueret. Praeterea omnino consultum erat providere maximum numerum militum; nam ab oriente Lysiae imminebat Philippus cum exercitu regis defuncti, aemulus Lysiae, qui certe regni gubernacula sibi assumere desiderabat munitus regis defuncti auctoritate et mandato.

Accedit quod statim ab initio Lysias scire non poterat, quidnam senatui romano placiturum esset. Si senatus staret vel a partibus Philippi, vel a partibus Demetrii, qui Romae versans regnum suo sibi iure vindicabat, iam Lysiae etiam bellum cum Romanis gerendum imminebat. Quare ingens militum numerus in ea rerum conditione non poterat non esse quam maxime utilis. Inde vero efficitur etiam numerum 110000 peditum, 5000 equitum (2 Mach. 13,2) non a fide abhorrere, dummodo sequamur lectionem in S, s, vulg. servatam (deleto scil ἕκαστον).

18. *Pugna ad Bethzacharam* 6,31-47.

6,31. *Et venerunt per Idumaeam et applicuerunt ad Bethsuram et pugna-*	6,31. Καὶ ἦλθοσαν διὰ τῆς Ἰδουμαίας καὶ παρενεβάλοσαν ἐπὶ Βαιθσούραν καὶ ἐπολέμησαν

verunt dies multos et fecerunt machinas; et exierunt et succenderunt eas igni et pugnaverunt viriliter. 32. Et recessit Iudas ab arce et movit castra ad Bethzacharam contra castra regis. 33. Et surrexit rex ante lucem et concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam et comparaverunt se exercitus in proelium et tubis cecinerunt; 34. et elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori ad acuendos eos in proelium. 35. Et diviserunt bestias per legiones et astiterunt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, et galeae aereae in capitibus eorum; et quingenti equites ordinati unicuique bestiae electi erant; 36. hi ante tempus ubicumque erat bestia, ibi erant; et quocumque ibat, ibant et non discedebant ab ea. 37. Sed et turres ligneae super eos firmae protegentes super singulas bestias et super eas machinae; et super singulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper; et Indus magister bestiae. 38. Et residuum equitatum hinc et inde statuit in duas partes, tubis exercitum commovere et perurgere constipatos in legionibus eius. 39. Et ut refulsit sol in clypeos aureos et aereos, resplenduerunt montes ab eis et resplenduerunt sicut lampades ignis.

40. Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, et alia per loca humilia; et ibant caute et ordinate. 41. Et commovebantur omnes inhabitantes terram a voce multitudinis et incessu turbae et collisione armorum; erat enim exercitus magnus valde et fortis.

42. Et appropiavit Iudas et exercitus eius in proelium et ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. 43. Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis loricatam loricis regis, et erat eminens super ceteras bestias, et visum est ei quod in ea esset rex; 44. et dedit se ut liberaret populum suum et acquireret sibi nomen aeternum. 45. Et

ἐπὶ ἡμέρας πολλὰς καὶ ἐποίησαν μηχανάς· καὶ ἐξῆλθον καὶ ἐνεπύρισαν αὐτὰς ἐν πυρὶ καὶ ἐπολέμησαν ἀνδρωδῶς. 32. Καὶ ἀπῆρεν Ἰούδας ἀπὸ τῆς ἄκρας καὶ παρενέβαλεν εἰς Βαιθζαχαρία ἀπέναντι τῆς παρεμβολῆς τοῦ βασιλέως. 33. Καὶ ὤρθρισεν ὁ βασιλεὺς τὸ πρωὶ καὶ ἀπῆρε τὴν παρεμβολὴν ἐν ὁρμήματι αὐτῆς κατὰ τὴν ὁδὸν Βαιθζαχαρία καὶ διεσκευάσθησαν αἱ δυνάμεις εἰς τὸν πόλεμον καὶ ἐσάλπισαν ταῖς σάλπιγξι· 34. καὶ τοῖς ἐλέφασιν ἔδειξαν αἷμα σταφυλῆς καὶ μόρων τοῦ παραστῆσαι αὐτοὺς εἰς τὸν πόλεμον. 35. Καὶ διεῖλον τὰ θηρία εἰς τὰς φάλαγγας, καὶ παρέστησαν ἑκάστῳ ἐλέφαντι χιλίους ἄνδρας τεθωρακισμένους ἐν ἁλυσιδωτοῖς, καὶ περικεφαλαῖαι χαλκαῖ ἐπὶ τῶν κεφαλῶν αὐτῶν, καὶ πεντακοσία ἵππος διατεταγμένη ἑκάστῳ θηρίῳ ἐκλελεγμένη. 36. Οὗτοι πρὸ καιροῦ οὗ ἐὰν ἦν τὸ θηρίον ἦσαν, καὶ οὗ ἐὰν ἐπορεύετο ἐπορεύοντο ἅμα, οὐκ ἀφίσταντο ἀπ' αὐτοῦ. 37. Καὶ πύργοι ξύλινοι ἐπ' αὐτοὺς ὀχυροὶ σκεπαζόμενοι ἐφ' ἑκάστου θηρίου ἐζωσμένοι ἐπ' αὐτοῦ μηχαναῖς, καὶ ἐφ' ἑκάστου ἄνδρες δυνάμεως δύο καὶ τριάκοντα οἱ πολεμοῦντες ἐπ' αὐτοῖς καὶ ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ. 38. Καὶ τὴν ἐπίλοιπον ἵππον ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἔστησαν ἐπὶ τὰ δύο μέρη τῆς παρεμβολῆς κατασείοντες καὶ καταφρασσόμενοι ἐν ταῖς φάλαγξιν. 39. Ὡς δὲ ἔστιλβεν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὰς χρυσᾶς καὶ χαλκᾶς ἀσπίδας, ἔστιλβε τὰ ὄρη ἀπ' αὐτῶν καὶ κατηύγαζεν ὡς λαμπάδες πυρός.

40. Καὶ ἐξετάθη μέρος τι τῆς παρεμβολῆς τοῦ βασιλέως ἐπὶ τὰ ὑψηλὰ ὄρη καί τινες ἐπὶ τὰ ταπεινά· καὶ ἤρχοντο ἀσφαλῶς καὶ τεταγμένως. 41. Καὶ ἐσαλεύοντο πάντες οἱ ἀκούοντες φωνῆς πλήθους αὐτῶν καὶ ὁδοιπορίας τοῦ πλήθους καὶ συγκρουσμοῦ τῶν ὅπλων· ἦν γὰρ ἡ παρεμβολὴ μεγάλη σφόδρα καὶ ἰσχυρά.

42. Καὶ ἤγγισεν Ἰούδας καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ εἰς παράταξιν, καὶ ἔπεσον ἀπὸ τῆς παρεμβολῆς τοῦ βασιλέως ἑξακόσιοι ἄνδρες. 43. Καὶ εἶδεν Ἐλεάζαρος ὁ Αὐαρὰν ἓν τῶν θηρίων τεθωρακισμένον θώραξιν βασιλικοῖς καὶ ἦν ὑπεράγον πάντα τὰ θηρία, καὶ ὤφθη ὅτι ἐν αὐτῷ ἐστὶν ὁ βασιλεύς. 44. Καὶ ἔδωκεν ἑαυτὸν τοῦ σῶσαι τὸν λαὸν αὐτοῦ καὶ περιποιῆσαι ἑαυτῷ ὄνομα αἰώνιον. 45. Καὶ ἐπέδρα-

cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens a dextris et a sinistris et cadebant ab eo huc atque illuc; 46. et ivit sub pedes elephantis et supposuit se ei et occidit eum, et cecidit in terram super ipsum et mortuus est illic. 47. Et videntes virtutem regis et impetum exercitus eius, diverterunt se ab eis.

μεν αὐτῷ θράσει εἰς μέσον τῆς φάλαγγος καὶ ἐθανάτου δεξιὰ καὶ εὐώνυμα, καὶ ἐσχίζοντο ἀπ' αὐτοῦ ἔνθα καὶ ἔνθα· 46. καὶ εἰςέδυ ὑπὸ τὸν ἐλέφαντα καὶ ὑπέθηκεν αὐτῷ τὸ ξίφος καὶ ἀνεῖλεν αὐτὸν καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν ἐπάνω αὐτοῦ καὶ ἀπέθανεν ἐκεῖ. 47. Καὶ ἴδον τὴν ἰσχὺν τῆς βασιλείας καὶ τὸ ὅρμημα τῶν δυνάμεων, καὶ ἐξέκλιναν ἀπ' αὐτῶν.

In v. 46 plerumque solum habetur υπεθηκεν αυτω, sed secundum S et 19. 64. 93. 56 oportet addi το ξιφος.

Uti in priore expeditione (4,29 graece) ita tum quoque Lysias elegit viam per Idumaeam v. 31; s : et venerunt per viam Edom; et statim, uti videtur, Iudaeis eripere volebant munimentum, quod Iudas erexerat quasi propugnaculum templi et contra Idumaeos (4,61); *applicuerunt ad* i. e. obsidione oppugnarunt *Bethsuram*. Diutius ibi pugnatum est; machinis bellicis urbs oppugnabatur; verum eruptione ex urbe facta Iudaei machinas succenderunt et magna fortitudine pugnabant v. 31. Frustra itaque urbs tum quidem a Syris oppugnata est; at mox tamen in regis potestatem cessit (v. 50). Iudas autem accepto nuntio de irruptione Syrorum oppugnatione arcis in Ierusalem derelicta milites suos duxit ad Bethzacharam ibique contra castra regis castrametatus est « ad angustias in loco Bethz. dicto septuaginta stadiorum intervallo ab hostibus » (Iosephus, Antiq. 12,9,4). Tali spatio Bethzacharia septemtrionem versus distat a Bethsura; paulo maiore a Ierusalem meridiem versus (hodie Beit sakarieh in colle situm). In narratione rex agere dicitur; de Lysia id esse intelligendum qui nomine regis cuncta administrabat facile patet. Quamprimum itaque innotuit Iudam ibi constitisse, Lysias summo mane exercitum omni celeritate (ἐν ὁρμήματι αὐτῆς) duxit versus Bethzacharam et facta est praeparatio ad pugnandum consuetis tubarum signis v. 33; s : armarunt se ad bellum; A διεσκεδάσθησαν sese extenderunt (ad aciem formandam, ad Iudaeos circumveniendos?).

Iam quomodo sese ad pugnam praepararint accuratius describitur. Et primo quidem narratur quomodo elephantos ad bellum excitarint. Scribit Aelianus elephanto qui in bello certat praeberi vinum non quidem ex vitibus confectum, sed ex oryza vel calamis (de natura animalium 13,8). Elephantis *ostenderunt sanguinem uvae* (i. e. vinum rubrum) *et mori* i. e. potum ex succo mori; eiusmodi potu delectantur; iis autem ostenditur tantum, ut eo magis cupiditate incitentur. Ceterum Aelianus quoque alio loco scribit : elephas si vinum biberit roboris sui obliviscitur (Var. hist. 2,40). Elephantos autem εἰς

τὰς φάλαγγας inter cohortes diviserunt; phalanx macedonica est densa illa acies peditum, de qua Appianus scribit : phalanx quasi muri speciem prae se ferebat, ex quo elephanti quasi turres eminebant (Syr. 32). Unicuique elephanto additi sunt viri mille ἐν ἁλυσιδωτοῖς scil. θώραξιν in loricis concatenatis, consertis hamis, et qui capita habebant protecta galeis aereis; insuper cuique bestiae attributi erant quingenti equites ex selectissimis. Milites loricis ferreis vestitos S exhibet; s loricis armatos. Ut elephanti bene assuefierent et militibus comitibus et equitibus, hi *ante tempus* i. e. ante bellum, tempore quo elephanti edocebantur, in itineribus, ubique cum elephantis erant v. 36; effert s : hi selecti (bis scil. ponitur in s haec vox), quasi soli equites semper cum iis essent. Equi quoque debent assuefieri; initio enim odorem elephantorum non ferunt (cf. App. de bello Annibalico 7). Elephantis impositae erant turres ligneae firmae, protegentes super unumquemque, et turres istae erant affixae seu accinctae, ἐζωσμένοι μηχαναῖς, variis adminiculis. De more turres imponendi elephantis refert Arrianus quoque, qui narrat interdum dentes eorum ferro armari praeacuto, quo et vulnera facilius inferre possint neque tamen ipsi tam prompte praefringantur (Tactica 2,4). Et super elephantos erant ἄνδρες δυνάμεως bellatores triginta duo — solum 30 praebent S, s, ℵ 55. 19. 64. lat. — qui pugnabant i. e. certe sagittas, iacula mittebant de turre, καὶ ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ, bene vulg. magister bestiae, eius scil. rector, moderator, qui saepe Indus vocatur (cf. Polyb. 1,40. 15; 3,46. 11; 11,1. 12), quia India praestantissimos elephantos ad bellandum praebebat. Certe adest in omnibus textibus mendum; nam tantas turres belluis esse impositas ex quibus triginta milites potuissent sagittas emittere plane improbabile est. Atque veteres affirmant : bellua tres bellatores, quartum dirigentem fert (Aelianus, nat. animalium 13,9) : tergo impositae turres, turribusque superstantes praeter rectorem quaterni armati (Livius, 37,40); solum Philostratus, fabulator ille, narrat : elephanti pugnant turribus instructi denorum aut quindenorum simul Indorum capacibus, ex quibus sagittas et hastas Indi tamquam ex propugnaculis emittunt (Vita Apollonii 2,12). Quare pro 30 vel 32 lege 2 vel 3. Unde mendum ortum sit, patet coniecturis; iam interpres primus hebraeum male explicasse videtur.

Reliquam equitatus partem collocarunt (ἔστησαν, S, s — vulg statuit, rex cf. v. 33, scil. Lysias) hinc et inde ad duas alas exercitus, vel ad duo cornua; quid ista collocatione voluerint obtinere, exprimitur graece duobus participiis : κατασείοντες, scil. ut perturbarent, ad perturbandum, scil. hostem; equitum erat irruptione hostes conturbare, eos avertere, ne cornu exercitus invaderent; καὶ καταφρασσόμενοι ἐν ταῖς

φάλαγξιν, ad bene muniendum in corhortibus, ut sese bene firmarent in cohortibus ad tutelam et defensionem. De tali usu participii vide *Winer*, Gramm. § 45,4, *K. Blass*, Gramm. p. 243. Ceterum fatendum est verba esse subobscura. S praebet : pugnantes et monstrantes aspectum armorum suorum in medio phalangum; s : percutientes in armis suis (proprie pulsantes arma sua) in phalangibus; lat. : commoventes et constipati in legionibus. Hisce lectio φαλαγξι comprobatur (quae fertur in ℵ, A 55. 62), quae etiam in v. 35 retinenda est, quamvis ibi A 62. 71. 74. 234 praebeant φαραγγας quam lectionem sequitur Iosephus scribens : cumque non posset elephantos explicare in aciei latitudinem propter locorum angustias, iussit ut unus post alium incederet (12,9,4).

Splendore solis qui a clypeis aereis et aureis repercutiebatur montes effulserunt tamquam faces v. 39; clypei aerei sunt et nominantur clypei laminis aereis obtecti, aurei bracteis aureis distincti praecipue in umbone. Non est cogitandum clypeos ex solido aere aut auro fuisse; principes vero clypeos gessisse laminis inauratos a verisimili minime abhorret: quare de exaggeratione populari aut ostentatione quadam non est mentio facienda (uti fecit *Gr.*). Et profecto si Polybius de decem hominum millibus scribit : τούτων οἱ πλείονες ἀργυράσπιδες, nemo concludet eos gestasse clypeos ex solido argento (Polyb. 5,79,4). Dicitur montes resplenduisse v. 39 ; nam v. 40 pars exercitus regis ἐξετάθη sese extendebat per montes excelsos, et alia pars per planitiem, per regiones planas; et ita incedebant ἀσφαλῶς tuto, firmo pede (*Wahl*, *K.*), confidenter (*Gr. Ks.*), item S confidenter in ordinibus suis, s accurate ordinati, τεταγμένως optimo ordine. Iam tangitur v. 41 qua commotione et quo stupore omnes concussi sint qui audiebant tantae multitudinis incedentis strepitum et tumultum et concussionem armorum.

Minime tamen Iudas animo consternatus est v. 42; ipse et exercitus pugnam inierunt et mox sexcenti de exercitu regis erant prostrati. Audaci facinore Eleazar conatus est momentum afferre ad plenam victoriam v. 43: et vidit Eleazar ὁ Αὐαράν (vide 2,5 ibi vulg. Abaron; hic filius Saura; S, s : qui cognominatus est Chauron) belluam unam loricatam loricis regiis; pluralem explicant ex variis partibus quibus thorax componitur; insuper prae aliis cernebatur eminens, καὶ ὤφθη, vulg. visum est ei, verum potius : bellua apparebat ac si in ea esset rex; talem praebebat aspectum bellua. Ea descriptione Eleazar recte iudicasse censendus est; erat elephantus regis, etsi ipse rex, utpote nimis iuvenis bellique imperitus neque ad imperandum aptus, non pugnae interfuit. Id quod utique Eleazar ignoravit. Voluit ergo vitam

pro salute populi profundere et nomen sibi acquirere et memoriam gloriamque apud suos permanentem v. 44. Audacter itaque irruit ad belluam in mediam aciem et ut viam sibi aperiret, interficiebat obstantes ad dextram et sinistram καὶ ἐσχίζοντο ἀπ' αὐτοῦ et separabantur a bellua scil. ἔνθα καὶ ἔνθα hic et illic, in utraque parte. Ita sibi aditum ad belluam parabat; καὶ εἰςέδυ et intravit sub elephantum, καὶ ὑπέθηκεν αὐτῷ supposuit se ei (vulg) S : et percussit eum gladio in ventrem; s : et transfixit eum; uterque ergo interpres videtur ὑπέθηκεν αὐτῷ explicasse et supplesse, uti habetur 2 Mach. 14,41 ὑπέθηκεν αὐτῷ τὸ ξίφος; et bene addunt τὸ ξίφος minusc. 19.64. 93. 36 et eodem modo explicant recentiores. Cadente elephanto oppressus est Eleazar ac mortuus v. 46. Propositum non attigit, cum rex certamini non interesset. Sed eius coniectura, rege interempto fore ut Syri perturbati ac terrore perculsi facile in fugam coniicerentur, certe probabilitate non caruit. Quare facinus eius, quo se unum pro salute multorum tradidit, et audax erat et laude dignum. Eius encomium celebrat S. Ambrosius (de officiis I, 40; M. 16,82) : « quanta virtus animi ». Verum parvus Iudaeorum exercitus impar erat tantae multitudini superandae et coercendae; unde v. 47 videntes ingens robur regni et impetum exercitus satius duxerunt sese recipere et recedentes declinare ab hostibus. S : et vidit Iudas... et declinavit; s uti graece; uterque recte cum graeco : robur regni.

19. *Oppugnatio montis templi* 6,48-54.

6,48. *Castra autem regis ascenderunt contra eos in Ierusalem et applicuerunt castra regis ad Iudaeam et montem Sion;* 49. *et fecit pacem cum his qui erant in Bethsura, et exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbata erant terrae.* 50. *Et comprehendit rex Bethsuram, et constituit illic custodiam servare eam.* 51. *Et convertit castra ad locum sanctificationis dies multos et statuit illic balistas et machinas et ignis iacula et tormenta ad lapides iactandos et spicula et scorpios ad mittendas sagittas et fundibula.* 52. *Fecerunt autem et ipsi machinas adversus machinas eorum et pugnaverunt dies multos.* 53. *Escae autem non erant in civitate eo quod septimus annus es-*

6,48. Οἱ δὲ ἐκ τῆς παρεμβολῆς τοῦ βασιλέως ἀνέβαινον εἰς συνάντησιν αὐτῶν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ παρενέβαλεν ὁ βασιλεὺς εἰς τὴν Ἰουδαίαν καὶ εἰς τὸ ὄρος Σιών· 49. καὶ ἐποίησεν εἰρήνην μετὰ τῶν ἐκ Βαιθσούρων, καὶ ἐξῆλθον ἐκ τῆς πόλεως, ὅτι οὐκ ἦν αὐτοῖς ἐκεῖ διατροφὴ τοῦ συγκεκλεῖσθαι ἐν αὐτῇ, ὅτι σάββατον ἦν τῇ γῇ. 50. Καὶ κατελάβετο ὁ βασιλεὺς τὴν Βαιθσούραν καὶ ἀπέταξεν ἐκεῖ φρουρὰν τηρεῖν αὐτήν. 51. Καὶ παρενέβαλεν ἐπὶ τὸ ἁγίασμα ἡμέρας πολλὰς καὶ ἔστησεν ἐκεῖ βελοστάσεις καὶ μηχανὰς καὶ πυρόβολα καὶ λιθόβολα καὶ σκορπίδια εἰς τὸ βάλλεσθαι βέλη καὶ σφενδόνας. 52. Καὶ ἐποίησαν καὶ αὐτοὶ μηχανὰς πρὸς τὰς μηχανὰς αὐτῶν καὶ ἐπολέμησαν ἡμέρας πολλάς. 53. Βρώματα δὲ οὐκ ἦν ἐν τοῖς ἁγίοις διὰ τὸ ἕβδομον ἔτος εἶναι, καὶ οἱ ἀνασωζόμενοι εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀπὸ τῶν ἐθνῶν κατέφαγον τὸ ὑπόλειμμα τῆς παρα-

set; et qui remanserant in Iudaea de gentibus consumpserant reliquias eorum quae repositae fuerant. 54. Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames; et dispersi sunt unusquisque in locum suum.

θέσεως. 54. Καὶ ὑπελείφθησαν ἐν τοῖς ἁγίοις ἄνδρες ὀλίγοι, ὅτι κατεκράτησεν αὐτῶν ὁ λιμὸς καὶ ἐσκορπίσθησαν ἕκαστος εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ.

Iudas nimio hostium numero cedendum esse ratus sese recepit in Ierusalem (ita Iosephus Antiq. 12,9,5 — aliter de Bell. 1,1,5); idque concludi posse videtur ex v. 48 εἰς συνάντησιν αὐτῶν — attamen Iudas cum exercitu suo non se in munimentis montis templi inclusisse certo consequitur ex v. 54. Quae est regionis conditio montibus et vallibus, angustiis locorum ac faucibus, silvis ac saltibus distincta, tuto poterat Iudas a pugna ad Bethzacharam recedere in alium terrae tractum, ita ut pro sua regionis cognitione iam nihil damni ei posset ab hoste inferri. Pugna igitur recedentibus Iudaeis finita *castra regis* οἱ ἐκ τῆς παρεμβολῆς qui maiorem partem exercitus regis constituebant — alii enim Bethsuram oppugnabant — ascenderunt εἰς συνάντησιν αὐτῶν in occursum eorum, scil. Iudaeorum, qui v. 47 ab iis recesserant, in Ierusalem iter dirigentes. Castra posita sunt εἰς τὴν Ἰουδαίαν, contra Iudaeam, ut scil. ex firma militum statione excursiones fierent in regiones Iudaeae et praecipue εἰς τὸ ὄρος, Sion i. e. mons templi obsidione oppugnabatur. Mox etiam Bethsura ab hostibus occupata est v. 49; nam qui in urbe erant, penuria victus premebantur; cum enim esset annus sabbaticus, agri non colebantur (Ex. 23,10. 11; Lev. 25,4-7); *exierunt de civitate* i. e. iis permissum est abire; id enim locutio haec videtur significare, quia etiam narratur : *fecit pacem cum his qui erant in Bethsura*; ergo pactum est ut incolumibus abire liceret. Locutio illa significat quidem sese tradere, dedere; at tunc additur, cui fiat deditio : egrediemur ad te (1 Reg. 11,3), egredimini ad me (4 Reg. 18.31; cf. 24,12; Ier. 38,17); quae additio cum hoc loco non habeatur, de traditione non est sermo. Illis itaque egressis ex arce ipse rex i. e. Lysias eam occupavit collocato ibi praesidio v. 50.

In Ierusalem autem obsedit (παρενέβαλε) rex τὸ ἁγίασμα, montem templi munitum (cf. 4,60) eumque variis machinis oppugnavit; statuit enim βελοστάσεις, vide ad v. 20, S habet hic quoque turres, s hic et v. 20 קשתוירא; *balistas* i. e. machinas ad iaciendos lapides, tela missilia; πυρόβολα machinas, catapulta ad iaciendas hastas ardentes, malleolos, tela ignea; λιθόβολα ad lapides proiiciendos; σκορπίδια, *scorpios* seu scorpiones, ex graeco minores scorpiones i. e. machinas parvas ad sagittas iaciendas. « Scorpiones dicebant quas nunc manubalistas vo-

cant; ideo sic nuncupati, quod parvis subtilibusque spiculis inferant mortem » (Vegetius, de re militari 4,22); et fundibula seu fundas; « fundas describere superfluum puto, quas praesens usus agnoscit; saxis tamen gravioribus per onagrum destinatis non solum equi eliduntur et homines, sed etiam hostium machinamenta franguntur. Onager dirigit lapides; sed pro nervorum crassitudine et magnitudine saxorum pondera iaculatur; nam quanto amplior fuerit, tanto maiora saxa fulminis more contorquet » (Vegetius l. c.). S : et statuerunt ibi turres et machinas ad pugnandum contra eos et ad iaciendum in balistis iacula, et saxa et ignem; s : machinas et proiicientes ignem et iacientes saxa et scorpiones ad iacienda iacula, et fundas statuit illic. Verum obsessi quoque v. 52 fecerunt machinas contra machinas hostium obsidentium. Et ita diu inter eos pugnatum est. Sed propter annum sabbaticum eadem penuria post aliquod tempus obsessi premebantur, qua afflicti erant defensores Bethsurae. Insuper qui in Iudaeam translati erant ex regionibus gentilium (5,23. 45) consumpserunt κατέφαγον τὸ ὑπόλειμμα τῆς παραθέσεως residuum penus. Propter annum sabbaticum commeatus solum modicus erat *in civitate* (vulg); ἐν τοῖς ἁγίοις (ℵ, A,56. 106. 64. 93. S, s) i. e. in monte templi; ἐν τοῖς ἀγγείοις in vasis, in horreis, receptaculis. Per Iudaeos autem qui ex Galilaea et Galaad adducti erant, numerus incolarum auctus est multum; unde citius consumptus est commeatus. Male legitur in vulg *qui remanserant in Iudaea de gentibus*; bene graece; S : qui salvati erant ex regione gentium manducaverunt reliquum commeatum eorum (sim. s). Communiter dicitur alias παράθεσις βρωμάτων (9,52. 2 Mach. 12,14ε LXX 2 Par. 11,11), sed adhibetur quoque notione generali v. g. ἐκδαπανᾶσθαι τὰς παραθέσεις τῶν Ῥοδίων (Polyb. 26, 7. 7).

Propter inopiam victus pauci remanserunt *in sanctis*, in monte templi; ceteri diffugerunt et dispersi sunt in suum quisque locum v. 54 (cf. Ioan. 16,32).

20. *Perfidia regis* 6,55-63.

6,55. *Et audivit Lysias, quod Philippus quem constituerat rex Antiochus, cum adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium suum et regnaret*, 56. *reversus esset a Perside et Media et exercitus qui abierat cum ipso et quia quaerebat suscipere regni negotia;* 57. *festinavit ire et dicere ad regem et duces exercitus; deficimus quotidie et esca nobis modica est et locus quem*

6,55. Καὶ ἤκουσε Λυσίας, ὅτι Φίλιππος, ὃν κατέστησεν ὁ βασιλεὺς Ἀντίοχος ἔτι ζῶντος αὐτοῦ ἐκθρέψαι Ἀντίοχον τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τὸ βασιλεῦσαι αὐτὸν, 56. ἀπέστρεψεν ἀπὸ τῆς Περσίδος καὶ Μηδείας καὶ αἱ δυνάμεις αἱ πορευθεῖσαι μετὰ τοῦ βασιλέως μετ' αὐτοῦ, καὶ ὅτι ζητεῖ παραλαβεῖν τὰ τῶν πραγμάτων. 57. Καὶ κατέσπευδεν καὶ ἐπένευσεν τοῦ ἀπελθεῖν καὶ εἶπεν πρὸς τὸν βασιλέα καὶ τοὺς ἡγεμόνας τῆς δυνάμεως καὶ τοὺς ἄνδρας. ἐκλείπο-

obsidemus est munitus, et incumbit nobis, ordinare de regno; 58. *nunc itaque demus dextras hominibus istis et faciamus cum illis pacem et cum omni gente eorum;* 59. *et constituamus illis ut ambulent in legitimis suis sicut prius; propter legitima enim ipsorum quae despeximus, irati sunt et fecerunt omnia haec.*

60. *Et placuit sermo in conspectu regis et principum et misit ad eos pacem facere, et receperunt illam.* 61. *Et iuravit illis rex et principes, et exierunt de munitione.* 62. *Et intravit rex montem Sion et vidit munitionem loci, et rupit citius iuramentum quod iuravit et mandavit destruere murum in gyro.* 63. *Et discessit festinanter et reversus est Antiochiam, et invenit Philippum dominantem civitati, et pugnavit adversus eum et occupavit civitatem.*

μεν καθ' ἡμέραν καὶ ἡ τροφὴ ἡμῖν ὀλίγη, καὶ ὁ τόπος οὗ παρεμβάλλομέν ἐστιν ὀχυρὸς καὶ ἐπίκειται ἡμῖν τὰ τῆς βασιλείας. 58. Νῦν οὖν ὀῶμεν δεξιὰν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις καὶ ποιήσωμεν μετ' αὐτῶν εἰρήνην καὶ μετὰ παντὸς ἔθνους αὐτῶν. 59. καὶ στήσωμεν αὐτοῖς τοῦ πορεύεσθαι τοῖς νομίμοις αὐτῶν ὡς τὸ πρότερον· χάριν γὰρ τῶν νομίμων αὐτῶν ὧν διεσκεδάσαμεν ὠργίσθησαν καὶ ἐποίησαν ταῦτα πάντα.

60. Καὶ ἤρεσεν ὁ λόγος ἐναντίον τοῦ βασιλέως καὶ τῶν ἀρχόντων, καὶ ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς εἰρηνεῦσαι καὶ ἐπεδέξαντο. 61. Καὶ ὤμοσεν αὐτοῖς ὁ βασιλεὺς καὶ οἱ ἄρχοντες, ἐπὶ τούτοις ἐξῆλθον ἐκ τοῦ ὀχυρώματος. 62. Καὶ εἰσῆλθεν ὁ βασιλεὺς εἰς τὸ ὄρος Σιὼν καὶ εἶδε τὸ ὀχύρωμα τοῦ τόπου καὶ ἠθέτησε τὸν ὁρκισμὸν ὃν ὤμοσε, καὶ ἐνετείλατο καὶ καθεῖλεν τὸ τεῖχος κυκλόθεν. 63. Καὶ ἀπῆρε κατὰ σπουδὴν καὶ ἀπέστρεψεν εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ εὗρε Φίλιππον κυριεύοντα τῆς πόλεως καὶ ἐπολέμησε πρὸς αὐτὸν καὶ κατελάβετο τὴν πόλιν βίᾳ.

Lysias cum audisset appropinquare Philippum cum exercitu pacem cum Iudaeis concludendam curat; contra pactum munimentum templi destruitur.

Quamvis propter inopiam plerique clam de monte templi diffugissent, tamen illum vi occupare obsidentes non poterant. Dum itaque obsidio protraheretur, nuntius affertur, Philippum cum exercitu regis mortui e Perside reverti eumque administrationem regni suscipere velle. Philippus a rege adhuc superstite in ea dignitate erat constitutus (cf. 6,14. 15) simulque tutor designatus Antiochi filii εἰς τὸ βασιλεῦσαι αὐτόν, ut eum scil. ad regnandum educaret. Qua regis dispositione Lysias munere et dignitate spoliatus est. At id minime sibi ferendum esse ratus constituit celeriter cum exercitu in Syriam reverti, ut regnum firmiter capesseret et teneret, antequam Philippus adveniret. Quare regi et ducibus persuadet pacem concludere cum Iudaeis. Rationes affert: minuimur in dies (quotidie aliqui vel moriuntur, vel per obsessos interimuntur), commeatus modicus est; mons templi adeo munitus ut nulla spes suppetat cito eum expugnandi; regni cura nobis incumbit, ne scil. Philippus cuncta sibi usurpet. In v. 57 lectio vulgaris exhibetur in vulg: κατέσπευσε τοῦ ἀπελθεῖν καὶ εἰπεῖν, prius membrum intelligi potest acceleravit discessum; legendum erit καὶ εἶπεν (cum ℵ, A, 23. 62. lat, S, s plural); καὶ ἐπένευσεν etiam reperitur in

aliquibus minusc. et erit retinendum (alii praebent ἐπενυσσοντο); unde : festinavit et annuit i. e. festinanter censensit discedere et dixit regi.

Ex rationibus v. 57 allatis concludit dextras esse dandas, i. e. sollemni modo fide data pacem esse concludendam cum obsessis et cum tota natione iudaica v. 58. Atque id fieri posse sine ullo detrimento declarat in v. 59; nam iis solum concedere debemus, ut secundum suas leges vivant quod et antea fecerunt; unica enim totius dimicationis causa est, quia nos leges eorum normasque vivendi despectui habuimus, vel potius ex graeco dissipavimus, destruximus, abolevimus (S, s). Hisce ostendit Iudaeos nihil aliud appetere quam ut sibi liceat iudaice vivere, id quod sine ullo regni dispendio iis permitti potest. Huic consilio acquieverunt rex et duces et obsessi pacem oblatam acceperunt. Rex et duces iuramento illam firmarunt v. 60. 61. Cum simpliciter pacem illis offerret — ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς εἰρηνεῦσαι — eamque ab eis acceptam iuramento sanciret, nulla alia deditionis conditio seu postulatio erat adiuncta. Quare regis mandatum, ut destrueretur murus, violatio iuramenti merito vocatur v. 62. Cum festinatione Antiochiam reversus Philippum invenit dominantem urbi; pugna commissa urbem vi occupat v. 63; cf. 2 Mach. 9,29; 13,4 seq.

21. *Machinationes Alcimi* 7,1-22.

7,1. *Anno centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma et ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam et regnavit illic.* 2. *Et factum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum et Lysiam, ut adducerent eos ad eum.* 3. *Et res ei innotuit et ait : nolite mihi ostendere faciem eorum.* 4. *Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui;* 5. *et venerunt ad eum viri iniqui et impii ex Israel, et Alcimus dux eorum qui volebat fieri sacerdos.* 6. *Et accusaverunt populum apud regem, dicentes : perdidit Iudas et fratres eius omnes amicos tuos et nos dispersit de terra nostra;* 7. *nunc ergo mitte virum cui credis, ut eat et videat exterminium omne quod fecit nobis et regionibus regis, et puniat omnes amicos eius et adiutores eorum.*

8. *Et elegit rex ex amicis suis Bac-*

7,1. Ἔτους ἑνὸς καὶ πεντηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἐξῆλθε Δημήτριος ὁ τοῦ Σελεύκου ἐκ Ῥώμης καὶ ἀνέβη σὺν ἀνδράσιν ὀλίγοις εἰς πόλιν παραθαλασσίαν καὶ ἐβασίλευσεν ἐκεῖ. 2. Καὶ ἐγένετο ὡς εἰςεπορεύετο εἰς οἶκον βασιλείας πατέρων αὐτοῦ, συνέλαβον αἱ δυνάμεις τὸν Ἀντίοχον καὶ τὸν Λυσίαν ἀγαγεῖν αὐτοὺς αὐτῷ. 3. Καὶ ἐγνώσθη αὐτῷ τὸ πρᾶγμα καὶ εἶπε· μή μοι δείξητε τὰ πρόςωπα αὐτῶν. 4. Καὶ ἀπέκτειναν αὐτοὺς αἱ δυνάμεις, καὶ ἐκάθισε Δημήτριος ἐπὶ θρόνου βασιλείας αὐτοῦ· 5. καὶ ἦλθον πρὸς αὐτὸν πάντες ἄνδρες ἄνομοι καὶ ἀσεβεῖς ἐξ Ἰσραὴλ, καὶ Ἄλκιμος ἡγεῖτο αὐτῶν, βουλόμενος ἱερατεύειν. 6. Καὶ κατηγόρησαν τοῦ λαοῦ πρὸς τὸν βασιλέα λέγοντες· ἀπώλεσεν Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ πάντας τοὺς φίλους σου καὶ ἡμᾶς ἐσκόρπισαν ἀπὸ τῆς γῆς ἡμῶν· 7. νῦν οὖν ἀπόστειλον ἄνδρα ᾧ πιστεύεις καὶ πορευθεὶς ἰδέτω τὴν ἐξολόθρευσιν πᾶσαν ἣν ἐποίησεν ἡμῖν καὶ τῇ χώρᾳ τοῦ βασιλέως καὶ κολασάτω αὐτοὺς καὶ πάντας τοὺς ἐπιβοηθοῦντας αὐτοῖς.

8. Καὶ ἐπέλεξεν ὁ βασιλεὺς τὸν Βακχίδην

chidem qui dominabatur trans flumen magnum in regno et fidelem regi et misit eum, 9. ut videret exterminium quod fecit Iudas, sed et Alcimum impium constituit in sacerdotium et mandavit ei facere ultionem in filios Israel. 10. Et surrexerunt et venerunt cum exercitu magno in terram Iuda, et miserunt nuntios et locuti sunt ad Iudam et ad fratres eius verbis pacificis in dolo. 11. Et non intenderunt sermonibus eorum; viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno. 12. Et convenerunt ad Alcimum et Bacchidem congregatio scribarum requirere quae iusta sunt, 13. et primi Assidaei qui erant in filiis Israel et exquirebant ab eis pacem; 14. dixerunt enim : homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. 15. Et locutus est cum eis verba pacifica et iuravit illis dicens : non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. 16. Et crediderunt ei, et comprehendit ex eis sexaginta viros et occidit eos in una die secundum verbum quod scriptum est : 17. carnes sanctorum tuorum et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem et non erat qui sepeliret.

18. Et incubuit timor et tremor in omnem populum, quia dixerunt : non est veritas et iudicium in eis; transgressi sunt enim constitutum et iusiurandum quod iuraverunt. 19. Et movit Bacchides castra ab Ierusalem et applicuit in Bethzecha, et misit et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant et quosdam de populo mactavit et in puteum magnum proiecit. 20. Et commisit regionem Alcimo et reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipsi, et abiit Bacchides ad regem. 21. Et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui; 22. et convenerunt ad eum omnes qui perturbabant populum suum et obtinuerunt terram Iuda et fecerunt plagam magnam in Israel.

τῶν φίλων τοῦ βασιλέως κυριεύοντα ἐν τῷ πέραν τοῦ ποταμοῦ καὶ μέγαν ἐν τῇ βασιλείᾳ καὶ πιστὸν τῷ βασιλεῖ, 9. καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν καὶ Ἄλκιμον τὸν ἀσεβῆ, καὶ ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἱερωσύνην καὶ ἐνετείλατο αὐτῷ ποιῆσαι τὴν ἐκδίκησιν ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ. 10. Καὶ ἀπῆραν καὶ ἦλθον μετὰ δυνάμεως πολλῆς εἰς γῆν Ἰούδα, καὶ ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸς Ἰούδαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ λόγοις εἰρηνικοῖς μετὰ δόλου. 11. Καὶ οὐ προσέσχον τοῖς λόγοις αὐτῶν, ἴδον γὰρ ὅτι ἦλθον μετὰ δυνάμεως πολλῆς. 12. Καὶ ἐπισυνήχθησαν πρὸς Ἄλκιμον καὶ Βακχίδην συναγωγὴ γραμματέων ἐκζητῆσαι δίκαια. 13. Καὶ πρῶτοι οἱ Ἀσιδαῖοι ἦσαν ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ καὶ ἐπεζήτουν παρ' αὐτῶν εἰρήνην· 14. εἶπαν γὰρ· ἄνθρωπος ἱερεὺς ἐκ τοῦ σπέρματος Ἀαρὼν ἦλθεν ἐν ταῖς δυνάμεσι, καὶ οὐκ ἀδικήσει ἡμᾶς. 15. Καὶ ἐλάλησε μετ' αὐτῶν λόγους εἰρηνικοὺς καὶ ὤμοσεν αὐτοῖς λέγων· οὐκ ἐκζητήσομεν ὑμῖν κακὸν καὶ τοῖς φίλοις ὑμῶν. 16. Καὶ ἐνεπίστευσαν αὐτῷ καὶ συνέλαβεν ἐξ αὐτῶν ἑξήκοντα ἄνδρας καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ κατὰ τὸν λόγον ὃν ἔγραψε· 17. σάρκας ὁσίων σου καὶ αἵματα αὐτῶν ἐξέχεαν κύκλῳ Ἱερουσαλὴμ καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς ὁ θάπτων.

18. Καὶ ἐπέπεσεν αὐτῶν ὁ φόβος καὶ ὁ τρόμος εἰς πάντα τὸν λαόν, ὅτι εἶπαν· οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια καὶ κρίσις, παρέβησαν γὰρ τὴν στάσιν καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσαν. 19. Καὶ ἀπῆρε Βακχίδης ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ παρενέβαλεν ἐν Βηζὲθ, καὶ ἀπέστειλε καὶ συνέλαβε πολλοὺς ἀπὸ τῶν ἀπ' αὐτοῦ αὐτομολησάντων ἀνδρῶν καί τινας τοῦ λαοῦ καὶ ἔθυσεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ τὸ μέγα. 20. Καὶ κατέστησε τὴν χώραν τῷ Ἀλκίμῳ καὶ ἀφῆκε μετ' αὐτοῦ δύναμιν τοῦ βοηθεῖν αὐτῷ· καὶ ἀπῆλθε Βακχίδης πρὸς τὸν βασιλέα. 21. Καὶ ἠγωνίσατο Ἄλκιμος περὶ τῆς ἀρχιερωσύνης· 22. καὶ συνήχθησαν πρὸς αὐτὸν πάντες οἱ ταράσσοντες τὸν λαὸν αὐτῶν καὶ κατεκράτησαν γῆν Ἰούδα καὶ ἐποίησαν πληγὴν μεγάλην ἐν Ἰσραήλ.

Uti 6,63 narratur, Lysias quidem contra Philippum administratio-

nem regni obtinuit, at mox ea dignitate excidit. Demetrius, filius Seleuci IV Philopatoris, obses Romae erat, cum eius pater ab Heliodoro interficeretur (175 a. Ch.); quare Antiochus Epiphanes rerum potitus est approbante senatu romano (App. Syr. 45; Livius 42,6). Mortuo Epiphane Demetrius bis frustra a senatu petiit, ut sibi regnum Syriae restitueretur (Polyb. 31,12. 19; App. Syr. 46). Quare Demetrius, iuvenis 23 annorum, suadente Polybio clam Roma excessit et navi Carthaginiensi cum octo comitibus conscensa appulit ad Tripolim (Polyb. 31, 19-23. App. 47. Livius Epit. 46); Tripolim esse *civitatem maritimam* 7,1 concluditur ex 2 Mach. 14,1, et Iosephus etiam scribit: Demetrius Roma profugus Tripoli Syriae urbe occupata diadema sibi imposuit (Antiq. 12,10,1). Et ipse quidem libenter a Syris exceptus est (App. 47) et exercitus ipse statim eius partes tuitus est. Verum itaque esse deprehendit Demetrius quod ei de Syriae statu Romae narraverat Diodorus, eius olim educator, statim Syros regnum in eum esse translaturos, si vel uno puero comitatus venisset, cum neque populi Lysiae viderent neque Lysias populis (Polyb. 31,20,4-5). Tripoli igitur ἐβασίλευσεν, regem se proclamandum curavit; atque militibus aliquot mercenariis sibi comparatis regiam ingressus est omnibus eum laete admodum excipientibus et se ei submittentibus (Iosephus l. c.); cf. 2 Mach. 14,1. 2: ex portu Tripolis solverat cum multitudine valida, ut scil. regni caput, Antiochiam, occuparet. Ingressus *domum regni patrum suorum*, urbem regiam, reperit copias sibi favere; nam Antiochum et Lysiam comprehenderunt, ut adducerent eos ad eum v. 2; συνέλαβον male vertit s: calumniati sunt Antiochum et Lysiam. At rex vetuit illos adduci ad se v. 3; num adeo eos abhorruit? vix crediderim; fortasse ne eorum supplicationem palam reiicere cogeretur, aut ne aspectu filioli fratris commoveretur? ut necem eius a se factam seu imperatam coram Romanis negare posset? Sed quid verbis illis innueret: μή μοι δείξητε, milites satis intellexerunt v. 4. Post duos circiter annos ope Tiberii Gracchi etiam a senatu romano rex est agnitus; promisit se facturum quidvis in gratiam Romanorum, ad quos legatos misit et coronam decies mille aureorum (Polyb. 32,4. App. Syr. 47).

Uti 6,21 ita nunc quoque qui legem Dei abiecerant novi regis opem expetunt ad sua perversa consilia in opus deducenda. Eorum quasi dux et antesignanus erat *Alcimus*, ὁ καὶ Ἰακεῖμος κληθείς (Iosephus 12. 9,7) i. e. יקים, abbreviatum ex Eliakim; qui itaque nomen hebraeum in graecum Alcimum mutarat. Uti 2 Mach. 14,3-7 patet, Alcimus iam antea fuerat pontifex, verum propter impietatem et mores graecos ea dignitate pulsus. Hanc dignitatem iterum consequi cupiebat i. e. βουλόμενος ἱεραστεύειν. Isti impii ex Israel *accusarunt populum apud regem*

v. 6 : a Iuda omnes amicos regis fuisse perditos; se ipsos expulsos a sua regione. Simul petunt, ut rex mitteret ducem qui exploraret damnum illatum ipsis et regionibus regis et qui coerceret puniretque omnes asseclas et adiutores Iudae v. 7. Acquievit rex; elegit Bacchidem qui erat ex amicis regis et fuerat regius satrapes provinciae trans Euphraten, καὶ μέγαν ἐν τῇ βασιλείᾳ virum magnum in regno, qui auctoritate et aestimatione eminebat in regno et regi plane addictus erat. v. 8. Iosephus Bacchidem amicum regis Antiochi Epiphanis nominat, cui tunc Mesopotamiae omnis praefectura credita erat (12,10,2). Hunc misit rex (*ut videret* etc vulg. quod additamentum nec graece nec S, s legitur) et etiam Alcimo destinavit sacerdotium ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἱερωσύνην ei determinavit, constituit, simulque mandavit, ut poenas exigeret vindictamque caperet de filiis Israel.

Igitur ambo, Bacchides et Alcimus, cum exercitu magno in Iudaeam profecti, nuntios miserunt ad fratres Machabaeos, qui cum iis de pace et amicitia agerent. Verum sermones isti εἰρηνικοί non sinceri erant, sed μετὰ δόλου v. 10. Id quod potissimum apparebat quia cum exercitu magno advenerant, quare fratres Machabaei sermonibus eorum nullam adhibebant fidem v. 11. Sed alii decepti sunt verbis illis pacificis. Ita congregatio scribarum i. e. multi scribae, seu legis doctores adierunt Alcimum et Bacchidem ἐκζητῆσαι δίκαια exquirere iusta, ius, ut scil. protegerentur vitam instituentes secundum legem (cf. 6,59); similiter Assidaei quoque (cf. 2,42) erant primi ex filiis Israel qui apud eos exquirebant pacem, ut scil. sibi liceret pacifice secundum legem vivere v. 13. Et contra prudentem illam Machabaeorum diffidentiam isti viri pii quidem sed simplices excipiebant v. 14 : sacerdos ex posteris Aaron venit; non decipiet nos v. 14; qui utique idem et locutus est et iuramento firmavit v. 15. Verum eventus probavit recte iudicasse Machabaeos; ex eis enim qui sermonibus fallacibus crediderant, Alcimus sexaginta occidit una die, ita ut verba Ps. 78,2. 3 iterum sint impleta. Qua impietate et perfidia inter pios maxima exstitit conturbatio; nam nulla iam fides, ius nullum apud Alcimum et Bacchidem valebat; de quo conventum erat (cf. 6,59-61), quod iuramentis erat promissum, ab iis violatum est. Ex modo narrandi in v. 18 recte infert Iosephus praeter Alcimum etiam Bacchidem et iurasse et interfecisse v. 15. 16. Ad verbum κατὰ τὸν λόγον ὃν ἔγραψε v. 17 supple ex verbo ipso ὁ γράψας, cf. λέγει Hebr. 1,7, εἴρηκε Hebr. 4,4 etc.; S : secundum verbum quod dixit propheta; s : secundum verbum scripturae. Ex ipso psalmo verba quaedam deprompta sunt; locus integer hic est : posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli, *carnes sanctorum tuorum* bestiis terrae; *effuderunt sanguinem eorum* tamquam aquam *in circuitu*

Ierusalem et non erat qui sepeliret. Psalmo ruina a Chaldaeis inflicta describi videtur. Ipsa voce *carnes sanctorum tuorum* חסידיך Chasidim, Assidaeorum locus psalmi illi interfectioni accommodatur.

Bacchides recessit ab Ierusalem et castrametatus est ἐν Βηζέθ (Βηθζαθ ℵ, Βαιθζαρα 56. 19 etc. S; Bezaq s), cuius situs incertus est, uti nomen; vulg Bethzecha; Iosephus Βηθζηθώ κώμη. Censent aliqui designari collem Bezetha, qui collis postea urbi Ierusalem adiunctus est tamquam καινὴ πόλις — Βεζεθὰ τὸ νεόκτιστον μέρος, si graece interpretemur; καινὴ λέγοιτ' ἂν πόλις Bell. 5,4,2 — in re incerta id solum dici potest locum haud procul ab urbe fuisse. Si appellatio κώμη recte ponitur, collis Bezetha intelligi nequit. Ibi Bacchides iussit comprehendi *multos ex eis qui a se effugerant* (vulg. sim S : qui contra eum rebellarunt), multos perfugarum (Iosephus), qui scil. crudelitate et perfidia Bacchidis permoti ab eo defecerant, quamvis antea partibus Syrorum faverent. Ita si lectionem vulgarem ἀπ' αὐτοῦ sequimur. Fertur μετ' αὐτοῦ in ℵ, A 23. 44. 52. 56 al.; in qua lectione sensus praebetur : multos ex transfugis qui apud ipsum erant (s : multos comprehendit ex viris qui ad eum confugerant). Qua ratione hi suspecti evaserint, non apparet. Quare prior lectio ἀπ' αὐτοῦ praeferenda videtur. Insuper alios quoque ex populo capi iussit illosque omnes ἔθυσεν εἰς τὸ φρέαρ, bene vulg. *mactavit et in puteum magnum proiecit* v. 19, in cisternam magnam (cf. LXX Ier. 41,7 ἔσφαξεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ), illam scil. notam apud Bezeth.

Alcimo dein *commisit regionem* i. e. imperium ei tradidit ut dominaretur in terra, ad quod ei copias reliquit quarum ope suam stabiliret potestatem et resistentes reprimeret. Bacchides hisce rebus gestis ad regem rediit v. 20. Alcimus autem ἠγωνίσατο omni vi contendit assequi pontificatum. Eius socii et adiutores erant quotquot apostatae a lege populum suum perturbabant; hi in suam potestatem redigebant terram et magnis calamitatibus affligebant Israel v. 22.

22. *Contra Iudam mittitur Nicanor* 7,23-32.

7,23. *Et vidit Iudas omnia mala quae fecit Alcimus et qui cum eo erant filiis Israel multo plus quam gentes;* 24. *et exiit in omnes fines Iudaeae in circuitu et fecit vindictam in viros desertores et cessaverunt ultra exire in regionem.* 25. *Vidit autem Alcimus quod praevaluit Iudas et qui cum eo erant et cognovit quia non potest su-*

7,23. Καὶ εἶδεν Ἰούδας πᾶσαν τὴν κακίαν ἣν ἐποίησεν Ἄλκιμος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ ὑπὲρ τὰ ἔθνη· 24. καὶ ἐξῆλθεν εἰς πάντα τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας κυκλόθεν καὶ ἐποίησεν ἐκδίκησιν ἐν τοῖς ἀνδράσι τοῖς αὐτομολήσασι καὶ ἀνεστάλησαν τοῦ πορεύεσθαι εἰς τὴν χώραν. 25. Ὡς δὲ εἶδεν Ἄλκιμος ὅτι ἐνίσχυσεν Ἰούδας καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, καὶ ἔγνω ὅτι οὐ δύναται ὑποστῆναι αὐτούς, καὶ ἐπέ-

stinere eos et regressus est ad regem et accusavit eos multis criminibus.

26. *Et misit rex Nicanorem, unum ex principibus suis nobilioribus, qui erat inimicitias exercens contra Israel et mandavit ei evertere populum.* 27. *Et venit Nicanor in Ierusalem cum exercitu magno et misit ad Iudam et ad fratres eius verbis pacificis cum dolo;* 28, *dicens : non sit pugna inter me et vos; veniam cum viris paucis, ut videam facies vestras cum pace.* 29. *Et venit ad Iudam et salutaverunt se invicem pacifice; et hostes parati erant rapere Iudam.* 30. *Et innotuit sermo Iudae, quoniam cum dolo venerat ad eum et conterritus est ab eo et amplius noluit videre faciem eius.* 31. *Et cognovit Nicanor quoniam denudatum est consilium eius, et exivit obviam Iudae in pugnam iuxta Capharsalama.* 32. *Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri et fugerunt in civitatem David.*

στρεψε πρὸς τὸν βασιλέα καὶ κατηγόρησεν αὐτῶν πονηρά.

26. Καὶ ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς Νικάνορα ἕνα τῶν ἀρχόντων αὐτοῦ τῶν ἐνδόξων καὶ μισοῦντα καὶ ἐχθραίνοντα τῷ Ἰσραὴλ καὶ ἐνετείλατο αὐτῷ ἐξᾶραι τὸν λαόν. 27. Καὶ ἦλθε Νικάνωρ εἰς Ἱερουσαλὴμ δυνάμει πολλῇ καὶ ἀπέστειλε πρὸς Ἰούδαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ μετὰ δόλου λόγοις εἰρηνικοῖς λέγων· 28. μὴ ἔστω μάχη ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ ὑμῶν· ἥξω ἐν ἀνδράσιν ὀλίγοις ἵνα ὑμῶν ἴδω τὰ πρόςωπα μετ' εἰρήνης. 29. Καὶ ἦλθε πρὸς Ἰούδαν, καὶ ἠσπάσαντο ἀλλήλους εἰρηνικῶς· καὶ οἱ πολέμιοι ἦσαν ἕτοιμοι ἁρπάσαι τὸν Ἰούδαν. 30. Καὶ ἐγνώσθη ὁ λόγος τῷ Ἰούδᾳ ὅτι μετὰ δόλου ἦλθεν ἐπ' αὐτόν· καὶ ἐπτοήθη ἀπ' αὐτοῦ καὶ οὐκ ἐβουλήθη ἔτι ἰδεῖν τὸ πρόςωπον αὐτοῦ. 31. Καὶ ἔγνω Νικάνωρ ὅτι ἀπεκαλύφθη ἡ βουλὴ αὐτοῦ, καὶ ἐξῆλθεν εἰς συνάντησιν τῷ Ἰούδᾳ ἐν πολέμῳ κατὰ Χαφαρσαλαμά. 32. Καὶ ἔπεσον τῶν παρὰ Νικάνορος ὡσεὶ πεντακόσιοι ἄνδρες καὶ ἔφυγον εἰς τὴν πόλιν Δαυίδ.

Contra impietatem et apostasiam quam Alcimus fovebat et nimio successu propagabat, exstitit Iudas ultor; vidit enim ipsum eiusque asseclas multo plus damni et malorum inferre populo Dei quam gentes v. 23. Quare exibat in omnes fines regionis et puniebat viros desertores καὶ ἀνεστάλησαν et cohibebantur ultra exire in terram, uti v. 22, ad vexandos pios cultores Dei et disseminandam apostasiam. Uti contra gentes, ita contra concives quoque impios Iudas fortiter pro lege dimicat. Et quam prospero successu legem tuitus sit Iudas cum suis, apparet ex v. 25; vidit Alcimus se esse imparem impediendo progressum Iudae, cuius potestas in dies crescebat; quare regressus ad regem Iudam et eius asseclas, uti antea, denuo apud regem reos exhibebat rebellionis et contumaciae contra dominationem eius. Demetrius rex faciles ei aures praebuisse videtur; mittit enim in Iudaeam Nicanorem unum ex nobilioribus ducibus, qui pro suo in Israel odio aptissimus videbatur ad delendum populum, cui etiam iniunxit, ut everteret, destrueret Israel v. 26. S : misit rex Demetrius Nicanorem... ut perderet et auferret populum. — Cum Demetrius, obses Romae, fugam meditaretur, τοῖς περὶ τὸν Νικάνορα διεσάφει τὴν ἐπιβολήν (Polyb. 31,22,4) et Iosephus dicit Nicanorem cum eo Roma profugisse. Estne idem de quo 3,38? qui scil. mortuo Epiphane ad partes transierit Demetrii,

offensus forte a Lysia vel eius exsistens aemulus seu adversarius.

Nicanor, iam antea expertus impetum ac fortitudinem Iudae (4,14), dolo et vafritie uti maluit. Mittit enim ad Machabaeos nuntium cum verbis pacificis; promittit se venturum cum viris paucis, ut eos videat *in pace*. Revera venit ad Iudam et amice inter se salutant v. 29; rem ita declarat Iosephus : « Nicanor, cum Iudam amice salutasset, signum quoddam, dum inter se colloquerentur, suis dat militibus, ut Iudam corriperent; at ille insidiis intellectis prosiluit et ad suos se recepit » (12,10,4); v. 30 *et innotuit sermo* i. e. res ei innotuit (cf. דבר); cf. 3,27; ἐπτοήθη perterritus cum festinatione se ab eo subduxit, neque ulteriorem invitationem suscepit. Nicanor videns per dolum non capi posse Iudam coactus est aperto bello cum eo congredi v. 31; pugnatum est ad Capharsalama, cuius situs ignotus est; κώμη τις (apud Iosephum). De exercitu Nicanoris ceciderunt quingenti (ita ℵ, A, S, s, al.); quinque millia (vulg, et al.); reliqui fugerunt in civitatem David. Pugna facta est in regione meridionali a Ierusalem; nam Nicanor se recepit prius in urbem et postea septemtrionem versus in Bethoron. Ita communiter arguunt. Sed cum Nicanor vix ullam expertus sit cladem, assumi potest eum prius voluisse urbem occupare, in cuius arce praesidium Syrorum erat. Unde alii locum pugnae fuisse ad vicum Carvasalim prope Ramleh (Schürer I p. 218) censent; alii ad Salame in parte orientali a Ioppe (Iafa); cf. *Ks*. Mire pervertit narrationem Iosephus, Iudam victum confugisse in arcem Ierusalem — sed ἄκρα illa a Syris erat occupata.

23. *Insolentia Nicanoris et mors* 7,33-50.

7,33. *Et post haec verba ascendit Nicanor in montem Sion, et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace et demonstrare ei holocautomata quae offerebantur pro rege;* 34. *et irridens sprevit eos et polluit et locutus est superbe;* 35. *et iuravit cum ira dicens : nisi traditus fuerit Iudas et exercitus eius in manus meas continuo, cum regressus fuero in pace, succendam domum istam. Et exiit cum ira magna.* 36. *Et intraverunt sacerdotes et steterunt ante faciem altaris et templi et flentes dixerunt :* 37. *tu, Domine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo;*

7,33. Καὶ μετὰ τοὺς λόγους τούτους ἀνέβη Νικάνωρ εἰς τὸ ὄρος Σιών· καὶ ἐξῆλθον ἀπὸ τῶν ἱερέων ἐκ τῶν ἁγίων καὶ ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ ἀσπάσασθαι αὐτὸν εἰρηνικῶς καὶ δεῖξαι αὐτῷ τὴν ὁλοκαύτωσιν τὴν προσφερομένην ὑπὲρ τοῦ βασιλέως· 34. καὶ ἐμυκτήρισεν αὐτοὺς καὶ κατεγέλασεν αὐτῶν καὶ ἐμίανεν αὐτοὺς καὶ ἐλάλησεν ὑπερηφάνως· 35. καὶ ὤμοσε μετὰ θυμοῦ λέγων· ἐὰν μὴ παραδοθῇ Ἰούδας καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ εἰς χεῖράς μου τὸ νῦν, καὶ ἔσται ἐὰν ἐπιστρέψω ἐν εἰρήνῃ ἐμπυριῶ τὸν οἶκον τοῦτον. Καὶ ἐξῆλθε μετὰ θυμοῦ μεγάλου. 36. Καὶ εἰςῆλθον οἱ ἱερεῖς καὶ ἔστησαν κατὰ πρόςωπον τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ ναοῦ καὶ ἔκλαυσαν καὶ εἶπον· 37. σύ, Κύριε, ἐξελέξω τὸν οἶκον τοῦτον ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομά σου ἐπ' αὐτῷ, εἶναι

38. *fac vindictam in homine isto et exercitu eius et cadant in gladio; memento blasphemias eorum et ne dederis eis ut permaneant.*

39. *Et exiit Nicanor ab Ierusalem et castra applicuit ad Bethoron et occurrit illi exercitus Syriae.* 40. *Et Iudas applicuit in Adarsa cum tribus millibus viris et oravit Iudas et dixit:* 41. *qui missi erant a rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, exiit angelus et percussit ex eis centum octoginta quinque millia;* 42. *sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie; et sciant ceteri quia male locutus est super sancta tua, et iudica illum secundum malitiam illius.*

43. *Et commiserunt exercitus proelium tertia decima die mensis Adar, et contrita sunt castra Nicanoris et cecidit ipse primus in proelio.* 44. *Ut autem vidit exercitus eius quia cecidisset Nicanor, proiecerunt arma sua et fugerunt;* 45. *et persecuti sunt eos viam unius diei ab Adazer usquequo veniatur in Gazara, et tubis cecinerunt post eos cum significationibus.* 46. *Et exierunt de omnibus castellis Iudaeae in circuitu et ventilabant eos cornibus et convertebantur iterum ad eos et ceciderunt omnes gladio et non est relictus ex eis nec unus.* 47. *Et acceperunt spolia eorum in praedam; et caput Nicanoris amputaverunt et dextram eius quam extenderat superbe et attulerunt et suspenderunt contra Ierusalem.* 48. *Et laetatus est populus valde et egerunt diem illam in laetitia magna.* 49. *Et constituit agi omnibus annis diem istam tertia decima die mensis Adar.* 50. *Et siluit terra Iuda dies paucos.*

οἶκον προσευχῆς καὶ δεήσεως τῷ λαῷ σου· 38. ποίησον ἐκδίκησιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ καὶ ἐν τῇ παρεμβολῇ αὐτοῦ, καὶ πεσέτωσαν ἐν ῥομφαίᾳ· μνήσθητι τῶν δυσφημιῶν αὐτῶν, καὶ μὴ δῷς αὐτοῖς μονήν.

39. Καὶ ἐξῆλθε Νικάνωρ ἐξ Ἱερουσαλὴμ καὶ παρενέβαλεν ἐν Βαιθωρὼν καὶ συνήντησεν αὐτῷ δύναμις Συρίας. 40. Καὶ Ἰούδας παρενέβαλεν ἐν Ἀδασὰ ἐν τρισχιλίοις ἀνδράσι καὶ προσηύξατο Ἰούδας καὶ εἶπεν· 41. οἱ παρὰ τοῦ βασιλέως Ἀσσυρίων ὅτε ἐδυσφήμησαν, ἐξῆλθεν ἄγγελός σου, Κύριε, καὶ ἐπάταξεν ἐν αὐτοῖς ἑκατὸν ὀγδοηκονταπέντε χιλιάδας· 42. οὕτως σύντριψον τὴν παρεμβολὴν ταύτην ἐνώπιον ἡμῶν σήμερον, καὶ γνώτωσαν οἱ ἐπίλοιποι ὅτι κακῶς ἐλάλησεν ἐπὶ τὰ ἅγιά σου, καὶ κρῖνον αὐτὸν κατὰ τὴν κακίαν αὐτοῦ.

43. Καὶ συνῆψαν αἱ παρεμβολαὶ εἰς πόλεμον τῇ τρισκαιδεκάτῃ τοῦ μηνὸς Ἀδὰρ καὶ συνετρίβη ἡ παρεμβολὴ Νικάνορος, καὶ ἔπεσεν αὐτὸς πρῶτος ἐν τῷ πολέμῳ. 44. Ὡς δὲ εἶδεν ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ ὅτι ἔπεσε Νικάνωρ, ῥίψαντες τὰ ὅπλα αὐτῶν ἔφυγον. 45. Καὶ κατεδίωκον αὐτοὺς ὁδὸν ἡμέρας μιᾶς ἀπὸ Ἀδασὰ ἕως τοῦ ἐλθεῖν εἰς Γάζηρα, καὶ ἐσάλπισαν ὀπίσω αὐτῶν ταῖς σάλπιγξι τῶν σημασιῶν. 46. Καὶ ἐξῆλθον ἐκ πασῶν τῶν κωμῶν τῆς Ἰουδαίας κυκλόθεν καὶ ὑπερεκέρων αὐτοὺς καὶ ἀνέστρεφον οὗτοι πρὸς τούτους, καὶ ἔπεσον πάντες ῥομφαίᾳ καὶ οὐ κατελείφθη ἐξ αὐτῶν οὐδὲ εἷς. 47. Καὶ ἔλαβον τὰ σκῦλα καὶ τὴν προνομὴν καὶ τὴν κεφαλὴν Νικάνορος ἀφεῖλον καὶ τὴν δεξιὰν αὐτοῦ ἣν ἐξέτεινεν ὑπερηφάνως, καὶ ἤνεγκαν καὶ ἐξέτειναν παρὰ τὴν Ἱερουσαλήμ.

48. Καὶ ηὐφράνθη ὁ λαὸς σφόδρα καὶ ἤγαγον τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡμέραν εὐφροσύνης μεγάλης. 49. Καὶ ἔστησαν τοῦ ἄγειν κατ' ἐνιαυτὸν τὴν ἡμέραν ταύτην τὴν τρισκαιδεκάτην τοῦ Ἀδάρ. 50. Καὶ ἡσύχασεν ἡ γῆ Ἰούδα ἡμέρας ὀλίγας.

Proelium ad Capharsalama erat potius anceps; nec victoria Iudae nec clades Nicanoris videbatur magna, multo minus decretoria. Nicanor Ierusalem urbem, in qua erat arx a Syris occupata, ingressus etiam in montem Sion, i. e. ad templum ascendit v. 33. Ad eum honorandum aliqui sacerdotes ἐκ τῶν ἁγίων, ex sancto loco i. e. atrio sanctuarii,

uti ex v. 36 colligitur, et aliqui ex senioribus populi ei obviam ierunt ut eum salutarent in pace eique ostenderent holocaustum quod pro rege offerebatur. Talem morem offerendi pro rege iam commendaverat Ieremias (29,7) itemque Baruch (1,11); cf. Esdr. 6,10; postea pro Imperatore romano offerebatur (Bell. 2,17,2; c. Apionem 2,6). Verum Nicanor irridens sprevit eos καὶ ἐμίανεν αὐτούς (s, ut graece, maculavit eos; S contempsit eos); qua ratione eos contaminaverit, non dicitur; an attactu, quo levitice immundi fierent? Iosephus Gorionides refert eum versus templum exspuisse (3,21,12; *G. K.*); verbis quoque insolentia et superbia plenis usus est, qualia v. 35 habentur. Legitur in vulg. v. 33 *exierunt de sacerdotibus populi*, verum ex graeco et S, s supple : de sacerdotibus et senioribus populi. Amice salutare eum volebant aliqui ex ordine sacro et ex magistratu civili. Verum Nicanor maximo contemptu eis exhibito minas quoque ira excandescens addit v. 35 asseverans cum iuramento : nisi traditus fuerit Iudas et exercitus eius mihi τὸ νῦν nunc statim, continuo, scil. proditione, simulac reversus fuero *in pace* i. e. salvus et incolumis, succendam templum. Sperat fieri posse, ut proditione, perfidia, dolo apostatarum Iudaeorum Iudas et exercitus in suam traderetur potestatem; minis propositis idem extorquere studet, antequam ad congrediendum cum Iuda proficiscatur. Victoria de Iuda reportata templum incendio se deleturum spondet.

Cum abisset iratus, sacerdotes intrant in atrium templi et stantes ante altare et ante sanctum, κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ, ante templum, cum lacrimis obsecrabant Deum; cf. Ioel 2,17 inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes; v. 37 Dominum monent ab ipso templum esse electum, ut invocaretur nomen Domini super illud, ut scil. esset templum nomini Dei, gloriae Dei consecratum et ex eius nomine appellatum templum Iahve; insuper ut esset domus orationis (cf. 3 Reg. 8,29. 30; 9,3). In vulg designatur templum in utroque membro ut domus orationis, at ἐπικληθῆναι ἐπ' αὐτῷ invocari nomen super illud idem est atque ei consecrari, ad Deum pertinere (cf. 3 Reg. 8,43. Is. 4,1 etc.). Orant v. 38, ut Deus ulciscatur iniuriam suo templo sibique illatam, ut bello eos perire permittat memor blasphemiarum, ne dederit eis mansionem μονήν, ne scil. eos in vita permanere sinat; alii explicant μονήν : noli concedere ut stent in acie; id quod post illud : *ut cadant in gladio*, satis est debile. S : ne des illis robur et constantiam, s : quietem.

Nicanor relicta urbe castra posuit in Bethoron (cf. 3,16) : ibique ei se adiunxerunt milites auxiliarii ex Syria. Iudas castrametatus est in Adasa ἐν Ἀδασοῖς, ἑτέρᾳ κώμῃ, qui vicus a Bethoron triginta stadiis ab-

erat (Iosephus 12,10,5) prope Gophna (Jifna, *K.*) inter septemtriones et orientem solem a Bethoron; vulg Adarsa, S Arsa, s Delasar (?). Iudas solum tria millia virorum habuit; sed quod numero deesse vidit, oratione ad Deum fusa supplevit v. 41-42; rogat Deum, qui olim blasphemias legatorum regis Assyriorum (solum vulg nominat Sennacherib) egregie ultus sit (4 Reg. 19,35. Is. 37,36), ut hunc quoque exercitum conterat — novem millia, scribit Iosephus; sed quo teste? — ut omnibus innotescat non manere impunitum si quis sanctuarium Dei lacessierit; ἐλάλησεν, ℵ, A, 23. vulg, s; alii ἐλάλησαν uti S, sicut dicitur in v. 38 memento blasphemias eorum. Proelium commissum est die 13. Adar (161 a. Ch.). Pugna erat decretoria et clades exercitus Nicanoris maxima. Nam cum mox ab initio pugnae Nicanor ipse cecidisset, milites duce amisso armis proiectis se in fugam dederunt praecipites. Magno conatu Iudaei fugientes persequuntur *viam unius diei* ab Adasa (vulg Adazer; sed cf. v. 40) usque in regionem Gazara, Gezer (cf. 4,15) et post fugientes cecinerunt tubis signorum, uti dicitur 4,40 (cf. 4,40), tubis ad signa danda et ad omnes evocandos aptis.

Hisce signis ubique Iudaei attenti reddebantur et ad interimendos fugientes provocabantur; prodierunt itaque undique ex vicis et oppidis, καὶ ὑπερεκέρων αὐτούς i. e. eos a lateribus circumveniebant omne effugium iis intercludentes; S : eos cohibuerunt; s : eos circumierunt. Fugitivi ita in fuga impediti convertebantur πρὸς τούτους ad alios scil. fugitivos; neque progredi neque regredi poterant inclusi et a Iudaeis et ab aliis fugientibus; quare *ceciderunt omnes gladio* et populari locutione ad significandam stragem hostium omni ratione completam additur : *et non est relictus ex eis nec unus*; cf. Ex. 8,31 (27) non superfuit ne una quidem (musca in Aegypto); 10,19 non remansit ne una quidem (locusta) in cunctis finibus Aegypti; Num. 21,35 hebr; Ios. 8,22; 10,28 seq. 11,8. 22 etc. Iudaei autem victores acceperunt spolia eorum καὶ τὴν προνομήν commeatum? apud LXX Deut. 21,10 ponitur ea vox pro hebr שבי, verum cum fugientes vix captivos secum duxerint, potius cogitandum erit de praeda quam hostes fecerint et quam iis nunc Iudaei iterum eripiunt. Caput Nicanoris amputarunt et manum eius dexteram quam iurans insolenter extenderat in Dei sanctuarium attulerunt καὶ ἐξέτειναν et extenderunt, suspenderunt παρὰ τὴν Ἱερουσαλήμ ad Ierusalem, in Ierusalem scil. 2 Mach. 15,33 manum autem dementis iussit contra templum κατέναντι τοῦ ναοῦ suspendi.

In gratam memoriam huius victoriae statuerunt (graece, S, s; vulg. *constituit* scil. Iudas) ut quotannis dies ille anniversarius celebraretur v. 49, et Iosephus scribit ἄγουσιν δ' ἐν τούτῳ (die 13. Adar) τὰ νικητήρια κατὰ πᾶν ἔτος, καὶ ἑορτὴν νομίζουσι τὴν ἡμέραν (12,10,5). Effectus huius

victoriae erat, ut terra Iuda saltem pro parvo tempore a calamitate belli libera maneret; v. 50 ἡσύχασεν ἡ γῆ, cf. LXX Iud. 3,11. 30; 5,31; 8,28 etc. Die 14. Adar celebrabatur dies Mardochaei, i. e. festum Purim, uti mentio fit 2 Mach. 15,37.

24. *Quid Iudas de Romanis audierit* 8,1-16.

8,1. *Et audivit Iudas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus et acquiescunt ad omnia quae postulantur ab eis, et quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias et quia sunt potentes viribus.* 2. *Et audierunt proelia eorum et virtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos et duxerunt sub tributum;* 3. *et quanta fecerunt in regione Hispaniae et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri quae illic sunt et possederunt omnem locum consilio suo et patientia;* 4. *locaque quae longe erant valde ab eis et reges, qui supervenerant eis ab extremis terrae, contriverunt et percusserunt eos plaga magna; ceteri autem dant eis tributum omnibus annis;* 5. *et Philippum et Persen Ceteorum regem et ceteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello et obtinuerunt eos;* 6. *et Antiochum magnum regem Asiae, qui eis pugnam intulerat habens centum viginti elephantos et equitatum et currus et exercitum magnum valde contritum ab eis;* 7. *et quia ceperunt eum vivum, et statuerunt ei ut daret ipse et qui regnarent post ipsum tributum magnum et daret obsides et constitutum,* 8. *et regionem Indorum et Medos et Lydos de optimis regionibus eorum, et acceptas eas ab eis dederunt Eumeni regi;* 9. *et quia qui erant apud Helladam voluerunt ire et tollere eos et innotuit sermo his,* 10. *et miserunt ad eos ducem unum et pugnaverunt contra illos et ceciderunt ex eis multi et captivas duxerunt uxores eorum et filios et diripuerunt eos et terram eorum possederunt et destruxerunt muros eorum et in servitutem illos re-*

8,1. Καὶ ἤκουσεν Ἰούδας τὸ ὄνομα τῶν Ῥωμαίων ὅτι εἰσὶ δυνατοὶ ἰσχύϊ καὶ αὐτοὶ εὐδοκοῦσιν ἐν πᾶσι τοῖς προστιθεμένοις αὐτοῖς, καὶ ὅσοι ἂν προσέλθωσιν αὐτοῖς ἱστῶσιν αὐτοῖς φιλίαν, καὶ ὅτι εἰσὶ δυνατοὶ ἰσχύϊ· 2. καὶ διηγήσαντο αὐτῷ τοὺς πολέμους αὐτῶν καὶ τὰς ἀνδραγαθίας ἃς ποιοῦσιν ἐν τοῖς Γαλάταις, καὶ ὅτι κατεκράτησαν αὐτῶν καὶ ἤγαγον αὐτοὺς ὑπὸ φόρον· 3. καὶ ὅσα ἐποίησαν ἐν χώρᾳ Σπανίας τοῦ κατακρατῆσαι τῶν μετάλλων τοῦ ἀργυρίου καὶ τοῦ χρυσίου τοῦ ἐκεῖ· καὶ κατεκράτησαν τοῦ τόπου παντὸς τῇ βουλῇ αὐτῶν καὶ τῇ μακροθυμίᾳ. 4. καὶ ὁ τόπος ἦν μακρὰν ἀπέχων ἀπ' αὐτῶν σφόδρα, καὶ τῶν βασιλέων τῶν ἐπελθόντων ἐπ' αὐτοὺς ἀπ' ἄκρου τῆς γῆς ἕως συνέτριψαν αὐτοὺς καὶ ἐπάταξαν ἐν αὐτοῖς πληγὴν μεγάλην, καὶ οἱ ἐπίλοιποι διδόασιν αὐτοῖς φόρον κατ' ἐνιαυτόν. 5. Καὶ τὸν Φίλιππον καὶ τὸν Περσέα Κιτιέων βασιλέα καὶ τοὺς ἐπηρμένους ἐπ' αὐτοὺς συνέτριψαν αὐτοὺς ἐν πολέμῳ καὶ κατεκράτησαν αὐτῶν· 6. καὶ Ἀντίοχον τὸν μέγαν βασιλέα τῆς Ἀσίας, τὸν πορευθέντα ἐπ' αὐτοὺς εἰς πόλεμον ἔχοντα ἑκατὸν εἴκοσι ἐλέφαντας καὶ ἵππον καὶ ἅρματα καὶ δύναμιν πολλὴν σφόδρα, καὶ συνετρίβη ἀπ' αὐτῶν· 7. καὶ ἔλαβον αὐτὸν ζῶντα καὶ ἔστησαν αὐτοῖς διδόναι αὐτόν τε καὶ τοὺς βασιλεύοντας μετ' αὐτὸν φόρον μέγαν, διδόναι ὅμηρα καὶ διαστολήν, 8. καὶ χώραν τὴν Ἰνδικὴν καὶ Μηδίαν καὶ Λυδίαν καὶ ἀπὸ τῶν καλλίστων χωρῶν αὐτῶν, καὶ λαβόντες αὐτὰς παρ' αὐτοῦ ἔδωκαν αὐτὰς Εὐμένει τῷ βασιλεῖ· 9. καὶ ὅτι οἱ ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἐβουλεύσαντο ἐλθεῖν καὶ ἐξᾶραι αὐτοὺς, καὶ ἐγνώσθη ὁ λόγος αὐτοῖς, 10. καὶ ἀπέστειλαν ἐπ' αὐτοὺς στρατηγὸν ἕνα καὶ ἐπολέμησαν πρὸς αὐτοὺς καὶ ἔπεσον ἐξ αὐτῶν τραυματίαι πολλοὶ καὶ ᾐχμαλώτευσαν τὰς γυναῖκας αὐτῶν καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν, καὶ προενόμευσαν αὐτοὺς καὶ κατεκράτησαν τῆς γῆς

degerunt usque in hunc diem; 11. *et residua regna et insulas quae aliquando restiterant illis exterminaverunt et in potestatem redegerunt.*

12. *Cum amicis autem suis et qui in ipsis requiem habebant conservaverunt amicitiam et obtinuerunt regna quae erant proxima et quae erant longe, quia quicumque audiebant nomen eorum timebant eos;* 13. *quibus vero vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant; quos autem vellent, regno deturbabant, et exaltati sunt valde.* 14. *Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea.* 15. *Et quia curiam fecerunt sibi et quotidie consulebant trecentos viginti, consilium agentes semper de multitudine, ut quae digna sunt gerant.* 16. *Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universae terrae suae, et omnes obediunt uni et non est invidia neque zelus inter eos.*

αὐτῶν καὶ καθεῖλον τὰ ὀχυρώματα αὐτῶν καὶ κατεδουλώσαντο αὐτοὺς ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης· 11. καὶ τὰς ἐπιλοίπους βασιλείας καὶ τὰς νήσους ὅσοι ποτὲ ἀντέστησαν αὐτοῖς, κατέφθειραν καὶ ἐδούλωσαν αὐτούς.

12. Μετὰ δὲ τῶν φίλων αὐτῶν καὶ τῶν ἐπαναπαυομένων αὐτοῖς συνετήρησαν φιλίαν, καὶ κατεκράτησαν τῶν βασιλειῶν τῶν ἐγγὺς καὶ τῶν μακρὰν, καὶ ὅσοι ἤκουον τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐφοβοῦντο ἀπ' αὐτῶν. 13. Ὅσοις δ' ἂν βούλωνται βοηθεῖν καὶ βασιλεύειν, βασιλεύουσιν· οὓς δ' ἂν βούλωνται, μεθιστῶσι, καὶ ὑψώθησαν σφόδρα. 14. Καὶ ἐν πᾶσι τούτοις οὐκ ἐπέθετο οὐδεὶς αὐτῶν διάδημα καὶ οὐ περιεβάλοντο πορφύραν ὥστε ἀδρυνθῆναι ἐν αὐτῇ. 15. Καὶ βουλευτήριον ἐποίησαν ἑαυτοῖς, καὶ καθ' ἡμέραν ἐβουλεύοντο τριακόσιοι καὶ εἴκοσι βουλευόμενοι διὰ παντὸς περὶ τοῦ πλήθους τοῦ εὐκοσμεῖν αὐτούς. 16. Καὶ πιστεύουσι ἑνὶ ἀνθρώπῳ ἄρχειν αὐτῶν κατ' ἐνιαυτὸν καὶ κυριεύειν πάσης τῆς γῆς αὐτῶν, καὶ πάντες ἀκούουσι τοῦ ἑνὸς, καὶ οὐκ ἔστι φθόνος οὐδὲ ζῆλος ἐν αὐτοῖς.

Probe intellexit Iudas iam nullam superesse spem fore ut a rege Syriae populo suo concederetur libertas vivendi secundum legem. Idque eo magis in aperto erat positum, quia apostatae Iudaei ad regem Syriae confugientes in aula regia benigne excepti et cum exercitu in Iudaeam missi erant ad pios Dei cultores destruendos et mores ethnicos stabiliendos. Unde Iudas unam salutis spem in eo cernebat, ut Iudaea plane separata a dominio regis Syriae et sub protectione Romanorum constituta frueretur libertate et religiosa et civili. Cuncta enim quae innotuerant in Iudaea de Romanis hanc ei suggerebant exspectationem; quare foedus inire atque amicitiam cum eis sibi proposuit. Non defuit qui Iudam de tali foedere ineundo fere reprehenderet, quia iudicio divino eiusmodi pacta cum nationibus reprobarentur (Ex. 23,32; 34,15. Deut. 7,2); insuper prophetas quam maxime invehi in eos qui talia foedera moliti sint (Is. 30,1-3; 39,4 etc.). Verum ipso Deo disponente conditio populi plane mutata est. Ex quo enim regnum Israel et Iuda concidit, populus Dei ab ipso Domino iussus erat in poenam foederis violati obedire regi alieno (Ier. 27, 12 etc.); et exsilio soluto erant sub imperio Persarum. Cum itaque tabernaculo regnoque David collapso traditi essent a Deo dominationi

extraneae, profecto non eaedem normae applicari poterant quae regno Iuda stante valebant. Alienigenae dominabantur illis, ope alienigenarum se poterant subducere iniustae vexationi et tyrannidi alienigenarum. Neque recte quis dixerit Iudam tale cum Romanis foedus quaesivisse ad commoda habenda « politica ». (*H. Weiss.* p. 112). Nam libertas illa quam appetebat, utut erat libertas ab oppressione Syrorum, ita libertas pariter erat religiosa, libertas ac facultas legis observandae.

Sat multis exponitur 8,1-16 qualis fama de Romanis, eorum potentia et aequitate, apud populum percrebuerit. Hisce auctor demonstrare intendit Iudam merito ac pro sua rerum cognitione prudenter quoque opem Romanorum implorasse, neque eum posse esse reprehensioni obnoxium, etsi tandem concidisset maxima illa de Romanis exspectatio. — Audivit itaque Iudas *nomen,* famam Romanorum (cf. 3,41) et quid rumoribus istis sparsum est, tribus declaratur sententiis v. 1 : sunt potentes viribus, δυνατοὶ ἰσχύϊ; accedit ad hanc potentiam, quod εὐδοκοῦσιν favorem exhibent omnibus qui se eis adiunxerint; ita graece, qui sensus etiam in S. s bene exprimitur; minus in vulg.; insuper sese praebent amicos omnibus qui eos adierint; et quanti eorum amicitia aestimanda sit, effertur repetitione : *sunt potentes viribus.* Tales quippe pingit Romanos Scriptura, quales fama, uti vero aliquanto maior in prosperis, ita in adversis modi nescia, narrabat (*Calm.*) et *Lap.* notat : quae deinceps narrantur, fama et auditu fuisse perlata ad Iudam; hinc tamen non sequitur omnia illa esse vera. Fama enim saepe maior est veritate ac rem supra veritatem adauget vel detorquet etc. Ceterum L. Annaeus Florus ad finem libri secundi hanc laudem tribuit Romanis : hactenus populus romanus pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus (Epit. rerum rom. 2,19).

Iam primum illud : potentes viribus, exemplis declaratur v. 2-11. Scilicet narraverunt ei, Iudae, bella eorum et res praeclare gestas ἐν τοῖς Γαλάταις apud Galatas. Quinam Galatae intelligantur quaeri potest. Galatae vel Keltae Asiae minoris in regione galatica devicti erant anno 189 a. Ch. per Cn. Manlium Vulsonem consulem (cf. Livius 38,12. seq. 20 seq. 37). Verum non de illis, sed de Gallis sermonem fieri cisalpinis, italis, quorum bella cum Romanis gesta et clades et subiectionem Polybius describit (2,18-34), alii merito opinantur (ita Th. Mommsen; cf. Zeitschrift f. wiss. Theol. 1874 p. 231; *K.*). Nam hi, non autem illi in Asia minore, tributarii facti sunt a Romanis; nominantur ante Hispanos, id quod bene congruit de Gallis italis; Galatae commemorandi erant post Hispanos; demum fama de bellis Romanorum cum Gallis longissime in regiones orientales spargebatur. Nomen

autem Galatarum, Gallorum, Keltarum promiscue apud veteres adhibetur. Pariter narratum est apud Iudaeos de rebus gestis Romanorum in Hispania v. 3, ut scil. potirentur fodinis auri et argenti; Hispaniam metallorum feracem Plinius laudat : metallis plumbi, ferri, aeris, argenti, auri tota fere Hispania scatet (h. n. 3,4); eos possedisse omnem locum consilio suo, βουλῇ prudentia in consiliis capiendis, *patientia* τῇ μακροθυμίᾳ longanimitate, constantia, perseverantia, qua utique in Hispania subiuganda maxime opus erat. De ea scribit Florus : sola omnium provinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit; in hac prope ducentos per annos dimicatum est, a primis Scipionibus in Caesarem Augustum, non continuo nec cohaerenter, sed prout causae lacessierant (Epit. 2,17). Neque *omnem locum*, totam Hispaniam, tempore Machabaeorum iam occuparant. Quasi admirabundus addit auctor : καὶ ὁ τόπος regio illa longe aberat ab eis valde v. 4; καὶ τῶν βασιλέων supple ex antecedentibus κατεκράτησαν; sed statim subditur constructione neglecta συνέτριψαν αὐτοὺς, reges qui ab extrema usque parte terrae contra Romanos advenerunt, cum de Hispania sit sermo, intelligendi erunt duces in Hispania, duces quoque Carthaginienses; nam cum Poenis in Hispania dimicatum est (Florus l. c.) et duces Poenorum apud veteres quandoque reges vocantur (cf. Iustinus 22,7 : Bomilcar, rex Poenorum). De bellis in Hispania narrat Florus l. c.; Hispania quoque apte designatur *ab extremis terris*, minime tamen Macedonia et Asia minor; quare in v. 4 non iam ea comprehenduntur quae 5-7 narrantur.

Philippus III, Demetrii II filius, rex Macedoniae, per plures annos bellum gessit cum Romanis, donec anno 197 a. Ch. ad Cynoscephalas per Quinctium Flaminium penitus devictus est (cf. Livius 31,5; 33,4-13. Florus 2,7. Polybius 16,27; 18,4-10). Perseus, eius filius regnique successor, rex *Ceteorum* Κιτιέων (cf. 1,1 Cethim) ab Aemilio Paulo apud Pydnam devictus est anno 167 a. Ch. (cf. Livius 44,40 seq. 45,4 seq. Polyb. 29,6. 7. Iustinus 33,1. 2. Florus 2,12); pariter contriverunt τοὺς ἐπηρμένους ἐπ' αὐτοὺς, vel generatim dicitur, vel potest referri ad eos qui Philippo et Perseo opem tulerant, uti Epiroti, Thessali, Thraces etc. S nominat Philippum et reges Cethim; s omisso Philippo solum Perseum commemorat. In v. 6-8 refertur victoria de Antiocho Magno. Praemittitur v. 6 καὶ Ἀντίοχον etc. et subditur anacoluthon καὶ συνετρίβη (similiter in vulg et s); unde explica : quod attinet ad Antiochum, ab iis contritus est; S autem vitavit anacoluthon : contriveverunt eum. Vocatur rex Asiae i. e. Syriae et maioris partis Asiae minoris; victus a Romanis in pugna ad Magnesiam (anno 189 a. Ch.) iussus est excedere Asia (Polyb. 3,3. 4) i. e. regiones cis Taurum Ro-

manis cedere debuit, qui Mysiam, Lydiam, Phrygiam Eumeni II regi Pergameno concesserunt, Lyciam et Cariam usque ad Maeandrum amnem civitati Rhodiorum (cf. Livius 37,55; 38,38. 39. Polyb. 21,14; 22,26; Appianus Syr. 38; Iustinus 31,7. 8; Diod. sic. 29,10). Antiochus profectus est ad bellum contra Romanos habens 120 elephantos; bellum cum Romanis ortum est 192; in pugna ad Magnesiam poterat Romanis adhuc opponere 54 (Livius 37,39) postquam pluribus iam cladibus bellicus eius apparatus erat imminutus. Quare numerus ille 120, quamvis crescente fama posset auctus videri, tamen non adeo a verisimili abhorret. Habuit equitatum et currus-falcatas scil. quadrigas quas Livius 37,40 describit et quae stratagemate Eumenis mox in regis milites terrorem verterunt (cf. Livius l. c. et 41; App. Syr. 33). Habuit exercitum valde magnum; fuisse in eius exercitu septuaginta millia Appianus scribit (Syr. 32); in pugna ad Magnesiam ex copiis regis interisse quinquaginta millia referunt Livius 37,44, Appianus (Syr. 36), Iustinus (31,8), Eutropius (Brev. hist. rom. 4,2).

Quod vero v. 7 narratum est Iudae: *quia ceperunt eum vivum*, nullo veterum testimonio confirmatur, verum illorum narratione excluditur. Num talis rumor oriri potuerit ex accusatione illa contra Cn. Manlium (Livius 38,45), in medio relinquo. Sed veridica erat fama de tributo magno ipsi et successoribus eius imposito; nam ei imposita sunt quindecim millia talentum Euboicorum, ita quidem ut solveret quingenta statim, duo millia et quingenta, cum populus romanus pacem confirmasset, reliqua deinde per duodecim annos, ita ut mille quotannis penderet (Polyb. 21,14. 3; App. Syr. 38; Livius 36,45. Diod. 29,10); obsides dare debebat viginti arbitratu Romanorum (l. c.). Valde incertum est quid sibi velit καὶ διαστολήν vulg et constitutum, S, s: abscissiones (?), quae vox fortasse refertur ad regiones quas Romani ab eius regno absciderunt. Atque haec acceptio etiam ad διαστολήν i. e. separationem fortasse accommodari potest (cf. *Lap. Calm. Wahl, Gr. K. Ks.*). Quaenam regiones ab eius regno separaverint, seu diduxerint, indicatur v. 8; explica itaque καὶ nempe. Verum in hac enumeratione fama erravit; nam indicam regionem et Mediam Antiochus nunquam possedit; quas regiones cesserit Antiochus et quae data sint Eumeni, vide ad v. 6.

Etiam de bellis Graecorum cum Romanis rumor aliquis in Iudaeam penetravit v. 9. 10; verum sat in communi iam v. 9 οἱ ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἐβουλεύσαντο decreverunt tollere eos. Videtur fama perlata esse de Aetolis; ii enim decretum fecerunt quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Graeciam, et cum Quintius Flaminius, legatus Romanorum, cum Damocrito praetore Aetolorum de tali decreto exposceret, Damocritus

dixit : decretum responsumque brevi in Italia, castris super ripam Tiberis positis, daturum (Livius 35,34; 36,24). Quae in v. 10 exponuntur, ampliora sunt quam quae ad cladem Aetolorum referri possint (cf. Livius 36,22-24; 27. 28. 29. 30). Videtur itaque auctor ea proponere quae non quidem ad aures Iudae pervenerunt, sed quae suo tempore innotuerunt de illa ferocia qua Romani bellum achaicum gesserant (cf. Livius, Epitome 52; Iust. 34,2; Florus 2,16). Nam eum in hac parte non loqui de tempore Iudae, manifestum quoque est cum addat : *usque in hunc diem* eos redegerunt in servitutem ; voluit itaque paucis efferre, quem tandem exitum habuissent bella Graecorum cum Romanis.

Esse Romanos potentes viribus ulterius demonstratur v. 11 ; reliqua regna et insulas, v. g. Siciliam, Sardiniam, Corsicam, insulas graecas archipelagi sibi subiecerunt; ὅσοι dicitur constructione ad sensum quotquot ex regnis et insulis resistebant, deleti sunt; S addit : et spoliarunt et captivos duxerunt; s uti graece.

Potentia Romanorum descripta iam alterum tangitur quod in v. 1 erat propositum, scil. fama de iis quae praestent Romani amicis. Ea fama, utique nimis in bonam partem aucta, potissimum inductus est Iudas ad eorum amicitiam quaerendam; nam amicis et iis qui suam in ipsis ponunt confidentiam μετὰ τῶν ἐπαναπαυομένων αὐτοῖς conservarunt amicitiam — verum amici et socii revera mox facti sunt subditi et eorum regio in provinciam redigebatur, quam primum Romanis opportunum videbatur. Quae sequuntur in v. 12 : obtinuerunt regna — omnes timebant eos, ostendunt quam potenti auxilio Romani amicos et socios iuvare ac tueri et defendere valeant. Et quantopere intersit eos habere amicos et fautores, etiam amplius declaratur v. 13 : quibus enim favent, illi regnant; pro lubitu alios regno et throno privant. Igitur elevati sunt et invaluerunt valde (S); quare plurimum interest eorum favore potiri.

Etiam quae ad Iudam perlata sunt de constitutione reipublicae romanae et de eorum moribus v. 14-16 valde apta erant quibus eos amicos habere vellet. Aberat v. 14 ab iis pompa et tyrannis regia; diadema, purpura, ὥστε ἀδρυνθῆναι ut superbiret. Cuncta peragi summa prudentia et multa praemissa deliberatione; instituisse eos βουλευτήριον curiam, collegium virorum ad consulendum, deliberandum, decernendum, senatum, senatores. Attamen quotidie ἐβουλεύοντο, falso rumore perlatum est senatores singulis diebus deliberasse; refert Gellius (Noct. att. 14,7) ex Varrone eum docuisse quibus diebus senatum habere ius non esset; numerus senatorum sub ultimis regibus fuisse traditur 300 et permansisse usque ad C. Sempronium Gracchum (cf.

Pauly, Realencykl. 6,1 p. 996; *Becker,* Handb. d. röm. Altert. 2,1 p. 341); numerum 300 (non 320, uti gr. vulg) effert s quoque. Deliberabant autem semper de populo τοῦ εὐκοσμεῖν αὐτούς ut eos bene dirigerent, bene gubernarent; εὐκοσμεῖν est ἅπαξ λεγόμενον; εὐκοσμία de bona reipublicae constitutione dicitur apud Aristotelem (Polit. 4,15; *Gr. K.*). S :et deliberabant quomodo curarent et gubernarent populum; s : ne quidquam iis deesset. Quod dicitur in v. 16 de uno magistratu, error est; qui tamen quomodo apud extraneos ortus sit explicari potest. Nam foederum pactis praemitti solebat senatus consultum, quo praeter nomina legatorum etiam nomen eius efferebatur qui senatui praesidebat (cf. *K.*). Mirum est quam bona fama Romani apud Iudaeos celebrati sint : neque invidia nec zelus, aemulatio, est inter eos v. 16. Tali itaque opinione cum Romani commendarentur, Iudas opportunum censuit eorum appetere amicitiam.

25. *Foedus initur cum Romanis* 8, 17-32.

8,17. *Et elegit Iudas Eupolemum, filium Ioannis, filii Iacob, et Iasonem filium Eleazari et misit eos Romam constituere cum illis amicitiam et societatem,* 18. *et ut auferrent ab eis iugum Graecorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israel.* 19. *Et abierunt Romam viam multam valde et introierunt curiam et dixerunt :* 20. *Iudas Machabaeus et fratres eius et populus Iudaeorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem et pacem et conscribere nos socios et amicos vestros.* 21. *Et placuit sermo in conspectu eorum.*

22. *Et hoc rescriptum est quod rescripserunt in tabulis aereis et miserunt in Ierusalem ut esset apud eos ibi memoriale pacis et societatis :* 23. *Bene sit Romanis et genti Iudaeorum in mari et in terra in aeternum, gladiusque et hostis procul sit ab eis.* 24; *Quodsi institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum,* 25. *auxilium feret gens Iudaeorum, prout tempus dictaverit, corde pleno;* 26. *et praeliantibus non dabunt*

8,17. Καὶ ἐπέλεξεν Ἰούδας τὸν Εὐπόλεμον υἱὸν Ἰωάννου τοῦ Ἀκκὼς καὶ Ἰάσονα υἱὸν Ἐλεαζάρου καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς Ῥώμην στῆσαι αὐτοῖς φιλίαν καὶ συμμαχίαν, 18. καὶ τοῦ ἆραι τὸν ζυγὸν ἀπ' αὐτῶν, ὅτι ἴδον τὴν βασιλείαν τῶν Ἑλλήνων καταδουλουμένους τὸν Ἰσραὴλ δουλείαν· 19. καὶ ἐπορεύθησαν εἰς Ῥώμην καὶ ἡ ὁδὸς πολλὴ σφόδρα, καὶ εἰσῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπον· 20. Ἰούδας ὁ Μακκαβαῖος καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ τὸ πλῆθος τῶν Ἰουδαίων ἀπέστειλαν ἡμᾶς πρὸς ὑμᾶς στῆσαι μεθ' ὑμῶν συμμαχίαν καὶ εἰρήνην, καὶ γραφῆναι ἡμᾶς συμμάχους καὶ φίλους ὑμῶν. 21. Καὶ ἤρεσεν ὁ λόγος ἐνώπιον αὐτῶν.

22. Καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον τῆς ἐπιστολῆς ἧς ἀντέγραψαν ἐπὶ δέλτοις χαλκαῖς, καὶ ἀπέστειλαν εἰς Ἱερουσαλὴμ εἶναι παρ' αὐτοῖς ἐκεῖ μνημόσυνον εἰρήνης καὶ συμμαχίας· 23. Καλῶς γένοιτο Ῥωμαίοις καὶ τῷ ἔθνει Ἰουδαίων ἐν τῇ θαλάσσῃ καὶ ἐπὶ τῆς ξηρᾶς εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ῥομφαία καὶ ἐχθρὸς μακρυνθείη ἀπ' αὐτῶν. 24. Ἐὰν δὲ ἐνστῇ πόλεμος ἐν Ῥώμῃ προτέρᾳ ἢ πᾶσι τοῖς συμμάχοις αὐτῶν ἐν πάσῃ κυρείᾳ αὐτῶν, 25. συμμαχήσει τὸ ἔθνος τῶν Ἰουδαίων, ὡς ἂν ὁ καιρὸς ὑπογραφῇ αὐτοῖς, καρδίᾳ πλή-

neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis, et custodient mandata eorum nihil ab eis accipientes. 27. *Similiter autem et si genti Iudaeorum prius acciderit bellum, adiuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit;* 28. *et adiuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, sicut placuit Romanis, et custodient mandata eorum absque dolo.*

29. *Secundum haec verba constituerunt Romani populo Iudaeorum.* 30. *Quod si post haec verba hi aut illi addere aut demere ad haec aliquid voluerint, facient ex proposito suo; et quaecumque addiderint vel dempserint, rata erunt.*

31. *Sed et de malis quae Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei dicentes: quare gravasti iugum tuum super amicos nostros et socios Iudaeos?* 32. *Si ergo iterum adierint nos, adversum te faciemus illis iudicium et pugnabimus tecum mari terraque.*

ρει· 26. καὶ τοῖς πολεμοῦσιν οὐ δώσουσιν οὐδὲ ἐπαρκέσουσι σῖτον, ὅπλα, ἀργύριον, πλοῖα, ὡς ἔδοξε Ῥωμαίοις, καὶ φυλάξονται τὰ φυλάγματα αὐτῶν οὐθὲν λαβόντες. 27. Κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ ἐὰν ἔθνει Ἰουδαίων συμβῇ πρότέροις πόλεμος, συμμαχήσουσιν οἱ Ῥωμαῖοι ἐκ ψυχῆς, ὡς ἂν αὐτοῖς ὁ καιρὸς ὑπογραφῇ· 28. καὶ τοῖς συμμαχοῦσιν οὐ δοθήσεται σῖτος, ὅπλα, ἀργύριον, πλοῖα, ὡς ἔδοξε Ῥώμῃ καὶ φυλάξονται τὰ φυλάγματα ταῦτα καὶ οὐ μετὰ δόλου.

29. Κατὰ τοὺς λόγους τούτους οὕτως ἔστησαν Ῥωμαῖοι τῷ δήμῳ τῶν Ἰουδαίων. 30. Ἐὰν δὲ μετὰ τοὺς λόγους τούτους βουλεύσωνται οὗτοι καὶ οὗτοι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν, ποιήσονται ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, καὶ ὃ ἐὰν προσθῶσιν ἢ ἀφέλωσιν ἔσται κύρια.

31. Καὶ περὶ τῶν κακῶν ὧν ὁ βασιλεὺς Δημήτριος συντελεῖται εἰς αὐτοὺς ἐγράψαμεν αὐτῷ λέγοντες· διὰ τί ἐβάρυνας τὸν ζυγόν σου ἐπὶ τοὺς φίλους ἡμῶν τοὺς συμμάχους Ἰουδαίους; 32. ἐὰν οὖν ἔτι ἐντύχωσι κατὰ σοῦ, ποιήσομεν αὐτοῖς τὴν κρίσιν καὶ πολεμήσομέν σε διὰ τῆς θαλάσσης καὶ διὰ τῆς ξηρᾶς.

Legatos quos Romam mitteret elegit Iudas *Eupolemum* filium Ioannis (de quo vide 2 Mach. 4,11) τοῦ Ἀκκώς filii Accos (vulg Iacob); cf. 1 Par. 24,10 הַקּוֹץ Ἀκκώς, Accos, familia sacerdotalis cui septima sors contigit; idem nomen legitur Esdr. 2,61, Neh. 3,4. 21; 7.63. Eupolemum esse eundem, de quo scriptore rerum Eusebius varia profert (Praep. ev. 9,17. 30-34) haud pauci opinati sunt, quam opinionem Schürer quoque probabilem habet (l. c. I p. 189 not. 17; III p. 352); *et Iasonem*, Iesum, filium Eleazari, qui ceteroquin ignotus est. Finis legationis erat, ut pro Iudaeis Romani concederent amicitiam et auxilium in pugna i. e. συμμαχίαν, quae imprimis in eo esset exhibenda, ut Iudaei liberarentur a iugo regis Syriae v. 18; *quia viderunt* i. e. ex eis quae legati exponebant, clare perspexisse censendi sunt Romani Israel opprimi; quia viderent Romani etc.; ita in oratione indirecta dicendum erat. S : quia regnum Graecorum opprimebat Israel (ex sententia scriptoris, uti graece, s, ὅτι ἴδον, alias in oratione indirecta ex mente mittentis ὅτι ἴδοιεν). Mentio fit in v. 19 viae multae valde, itineris longi; quanto igitur studio opem ex remota regione sibi acquirere studuerint exhibetur, et cum ex tanta distantia fama Romano-

rum perlata sit, id eorum potentiae pondus addidit haud exiguum.

Rem suam legati proponunt in curia, in senatu v. 19. Romanis autem non potuit non esse acceptum, quod iis nova quaedam opportunitas offerretur sese ingerendi in negotia regis Syriae; insuper Demetrio hostes addere, iis pergratum erat; aufugerat enim ille invitis Romanis ab urbe regnumque capessivit (cf. 7,1). Exhibetur v. 22 ἀντίγραφον exemplum descriptum documenti foederis conclusi, quod documentum tabulis aereis erat inscriptum. Dicitur illud documentum ἡ ἐπιστολή, uti vox adhibetur de decretis regum scripto traditis (Neh. 2,7; 6,5); ἧς ἀντέγραψεν scil. senatus dedit responsum scriptum; ἀντέγραψαν (ℵ A vulg, S, s); idque missum Ierusalem, ut esset monumentum pacis et societatis belli. Bene rem declarat Iosephus, exemplar senatus consulti in Iudaeam missum esse, illud vero ipsum senatus consultum in tabulas aeneas incisum in Capitolium esse relatum. Etiam Polybius refert foedera cum Carthaginiensibus inita ἐν χαλκώμασι apud Iovem Capitolium in Aedilium aerario ἔτι νῦν asservari (3,26,1).

Initium fit a fausta adprecatione v. 23, q. d. quod felix faustumque sit Romanis aeque ac Iudaeis, foedus utrimque inimus bene precantes, ut illud utrisque contra hostes salutare aeque ac perpetuum sit (*Lap.*). Si prius Romanis aut sociis bellum institerit, ἐν Ῥώμῃ in ditione romana, aut sociis in dominatione Romanorum, Iudaeorum gens συμμαχήσει, auxiliabitur, prout conditio temporis praescripserit, vel potius ὑπογραφῇ prout opportunitas (auxilii ferendi) iis praescripta fuerit sc. a Romanis, *corde pleno* i. e. sincero, ut scil. toti se impendant utilitati Romanorum. Porro v. 26 et proeliantibus scil. Iudaeis Romani non dabunt triticum, arma, pecuniam etc. Iudaei igitur suis sumptibus opem ferre debebunt. Ita verba accipiunt *Lap. Menochius, Tirinus, Calm. Gr. K. Ks.*; aliter S : et hostibus bellum gerentibus cum eis non dabunt iuvamen et prohibebunt ab eis tritica etc. (s vero : et adiutoribus non dabunt etc.), Iosephus : μηδὲ τοῖς πολεμοῦσι χορηγεῖν, quam acceptionem : ne Iudaei subministrent hostibus Romanorum, alii quoque proponunt (*Drusius, Grotius, Wernsdorf, Fil.* alii). At per se patet hostes Romanorum non esse adiuvandos a sociis Romanorum. Dein quod additur : *sicut placuit Romanis,* bene congruit priori explicationi; vix secundae; insuper vide v. 28. Praeterea Iudaei φυλάξονται τὰ φυλάγματα αὐτῶν observabunt quae observanda erunt, quae ipsis a Romanis praescribentur οὐδὲν λαβόντες, ita ut nihil accipiant; gratis, sine compensatione omnia praestabunt. Haec igitur sunt Iudaeorum munia.

In altera foederis parte v. 27. 28 statuitur Romanorum officium : simile auxilium gratuitum, sincerum, praestabunt Romani Iudaeis, ὡς

ἂν αὐτοῖς ὁ καιρὸς ὑπογραφῇ, neque Iudaeis incumbit onus Romanis opem ferentibus praebere triticum, arma, pecuniam, ὡς ἔδοξε Ῥώμῃ, dicitur hic quoque. Unde in utraque foederis parte arbitrio Romanorum relinquitur, quid in ope ferenda praestandum sit. Quare plena aequalitas foederis non servatur. In priore enim Romani sibi vindicant ius praescribendi Iudaeis quale auxilium gratis ferre debeant; in altera autem parte idem ius non conceditur Iudaeis, verum id sibi Romani retinent, ut ipsi statuant quale auxilium Iudaeis praestent. Et Romani observabunt τὰ φυλάγματα ταῦτα sine dolo, sincere; ταῦτα scil. quae ipsi sibi praescribunt, dum in priore parte Iudaei τὰ φυλάγματα αὐτῶν Romanorum scil. observare iubentur. Hac itaque ratione Romani cum Iudaeis constituerunt v. 29. Additur v. 30: si quid *post haec verba* i. e. postquam haec constituta sunt, addendum aut demendum videbitur, id ex communi utriusque partis consensu et voluntate fiet, ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν ex consensu sc. alterius partis (Clausula similis legitur Polyb. 7,9,17).

Foedere hoc inito Iudas iugum Graecorum praeprimis excutere desiderabat v. 18. Neque frustra id ab eo expetitum esse, ostenditur responso quod legati praeter foederis documentum secum attulerunt v. 31. 32; scripserunt scil. Romani Demetrio, ut Iudaeos vexare desisteret; *quare* etc. voces sunt minitantium; amici, socii belli appellantur Iudaei. Quodsi iterum v. 32 contra regem Iudaei conquerantur, ποιήσομεν αὐτοῖς τὴν κρίσιν, ipsi Romani illis ius reddent, causam eorum tuebuntur, et contra regem terra marique bellum gerent. Haec solum ad sensum referri patet ex hebraismis: iugum gravare 2 Par. 10,10. 14; facere iudicium Gen. 18,25. Deut. 10,25. Ps. 99,4 (hebr) etc. Sed antequam senatus consultum ad Demetrium perlatum esset, ille iam miserat Bacchidem ad bellandum contra Iudaeos (*Lap.*).

26. *Cadit Iudas in pugna* 9,1-22.

9,1. *Interea ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor et exercitus eius in proelio, apposuit Bacchidem et Alcimum rursum mittere in Iudaeam et dextrum cornu cum illis.* 2. *Et abierunt viam quae ducit in Galgala, et castra posuerunt in Masaloth quae est in Arbellis, et occupaverunt eam et peremerunt animas hominum multas.* 3. *In mense primo anni centesimi et quinquagesimi secundi applicuerunt exercitum ad Ierusalem.* 4. *Et surrexerunt et abierunt in*

9,1. Καὶ ἤκουσε Δημήτριος ὅτι ἔπεσε Νικάνωρ καὶ αἱ δυνάμεις αὐτοῦ ἐν πολέμῳ, καὶ προσέθετο τὸν Βακχίδην καὶ τὸν Ἀλκιμον ἐκ δευτέρου ἀποστεῖλαι εἰς γῆν Ἰούδα καὶ τὸ δεξιὸν κέρας μετ' αὐτῶν. 2. Καὶ ἐπορεύθησαν ὁδὸν τὴν εἰς Γάλγαλα καὶ παρενέβαλον ἐπὶ Μαισαλὼθ τὴν ἐν Ἀρβήλοις καὶ προκατελάβοντο αὐτὴν καὶ ἀπώλεσαν ψυχὰς ἀνθρώπων πολλάς. 3. Καὶ τοῦ μηνὸς τοῦ πρώτου ἔτους τοῦ δευτέρου καὶ πεντηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ παρενέβαλον ἐπὶ Ἱερουσαλήμ. 4. Καὶ ἀπῆραν καὶ ἐπορεύθησαν

Beream viginti millia virorum et duo millia equitum. 5. Et Iudas posuerat castra in Laisa et tria millia viri electi cum eo.

6. Et viderunt multitudinem exercitus quia multi sunt et timuerunt valde et multi subtraxerunt se de castris et non remanserunt ex eis nisi octingenti viri. 7. Et vidit Iudas quod defluxit exercitus suus et bellum perurgebat eum et confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos et dissolutus est, 8. et dixit his qui residui erant : surgamus et eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos. 9. Et avertebant eum dicentes : non poterimus, sed liberemus animas nostras modo et revertamur ad fratres nostros et tunc pugnabimus adversus eos; nos autem pauci sumus. 10. Et ait Iudas : absit istam rem facere ut fugiamus ab eis; et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros et non inferamus crimen gloriae nostrae.

11. Et movit exercitus de castris et steterunt illis obviam, et divisi sunt equites in duas partes et fundibularii et sagittarii praeibant exercitum et primi certaminis omnes potentes.

12. Bacchides autem erat in dextro cornu et proximavit legio ex duabus partibus et clamabant tubis; 13. exclamaverunt autem et hi qui erant ex parte Iudae etiam ipsi, et commota est terra a voce exercituum, et commissum est proelium a mane usque ad vesperam. 14. Et vidit Iudas quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, et convenerunt cum ipso omnes constantes corde. 15. Et contrita est dextera pars ab eis et persecutus est eos usque ad montem Azoti. 16. Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu et secuti sunt post Iudam et eos qui cum ipso erant, a tergo. 17. Et ingravatum est proelium et ceciderunt vulnerati multi ex his et

εἰς Βερέαν ἐν εἴκοσι χιλιάσιν ἀνδρῶν καὶ δισχιλίᾳ ἵππῳ. 5. Καὶ Ἰούδας ἦν παρεμβεβληκὼς ἐν Ἐλασὰ καὶ τρισχίλιοι ἄνδρες ἐκλεκτοὶ μετ' αὐτοῦ.

6. Καὶ ἴδον τὸ πλῆθος τῶν δυνάμεων ὅτι πολλοί εἰσι, καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα, καὶ ἐξερρύησαν πολλοὶ ἀπὸ τῆς παρεμβολῆς, οὐ κατελείφθησαν ἐξ αὐτῶν ἀλλ' ἢ ὀκτακόσιοι ἄνδρες. 7. Καὶ εἶδεν Ἰούδας ὅτι ἀπερρύη ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ, καὶ ὁ πόλεμος ἔθλιβεν αὐτὸν καὶ συνετρίβη τῇ καρδίᾳ, ὅτι οὐκ εἶχε καιρὸν συναγαγεῖν αὐτοὺς καὶ ἐξελύθη, 8. καὶ εἶπε τοῖς καταλειφθεῖσιν· ἀναστῶμεν καὶ ἀναβῶμεν ἐπὶ τοὺς ὑπεναντίους ἡμῶν, ἐὰν ἄρα δυνώμεθα πολεμῆσαι αὐτούς. 9. Καὶ ἀπέστρεψαν αὐτὸν λέγοντες· οὐ μὴ δυνώμεθα, ἀλλ' ἢ σώζωμεν τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς τὸ νῦν, ἐπιστρέψωμεν μετὰ τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν καὶ πολεμήσωμεν πρὸς αὐτούς, ἡμεῖς δὲ ὀλίγοι. 10. Καὶ εἶπεν Ἰούδας· μή μοι γένοιτο ποιῆσαι τὸ πρᾶγμα τοῦτο, φυγεῖν ἀπ' αὐτῶν, καὶ εἰ ἤγγικεν ὁ καιρὸς ἡμῶν καὶ ἀποθάνωμεν ἐν ἀνδρείᾳ χάριν τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν καὶ μὴ καταλίπωμεν αἰτίαν τῇ δόξῃ ἡμῶν.

11. Καὶ ἀπῆρεν ἡ δύναμις ἀπὸ τῆς παρεμβολῆς καὶ ἔστησαν εἰς συνάντησιν αὐτοῖς καὶ ἐμερίσθη ἡ ἵππος εἰς δύο μέρη καὶ οἱ σφενδονῆται καὶ οἱ τοξόται προεπορεύοντο τῆς δυνάμεως καὶ οἱ πρωταγωνισταὶ πάντες οἱ δυνατοί.

12. Βακχίδης δὲ ἦν ἐν τῷ δεξιῷ κέρατι καὶ ἤγγισεν ἡ φάλαγξ ἐκ τῶν δύο μερῶν, καὶ ἐφώνουν ταῖς σάλπιγξι· 13. καὶ ἐσάλπισαν οἱ παρὰ Ἰούδα καὶ αὐτοὶ ταῖς σάλπιγξι καὶ ἐσαλεύθη ἡ γῆ ἀπὸ τῆς φωνῆς τῶν παρεμβολῶν, καὶ ἐγένετο ὁ πόλεμος συνημμένος ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ἑσπέρας. 14. Καὶ εἶδεν Ἰούδας ὅτι Βακχίδης καὶ τὸ στερέωμα τῆς παρεμβολῆς ἐν τοῖς δεξιοῖς, καὶ συνῆλθον αὐτῷ πάντες οἱ εὔψυχοι τῇ καρδίᾳ. 15. Καὶ συνετρίβη τὸ δεξιὸν κέρας ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἐδίωκον ὀπίσω αὐτῶν ἕως Ἀζώτου ὄρους. 16. Καὶ οἱ εἰς τὸ ἀριστερὸν κέρας ἴδον ὅτι συνετρίβη τὸ δεξιὸν κέρας καὶ ἐπέστρεψαν κατὰ πόδας Ἰούδα καὶ τῶν μετ' αὐτοῦ ἐκ τῶν ὄπισθεν. 17. Καὶ ἐβαρύνθη ὁ πόλεμος, καὶ ἔπεσον τραυματίαι πολλοὶ ἐκ τούτων καὶ ἐκ τούτων· 18.

ex illis; 18. *et Iudas cecidit et ceteri fugerunt.*

19. *Et Ionathas et Simon tulerunt Iudam fratrem suum et sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in civitate Modin.* 20. *Et fleverunt eum omnis populus Israel planctu magno et lugebant dies multos,* 21. *et dixerunt : quomodo cecidit potens qui salvum faciebat populum Israel!*

22. *Et cetera verba bellorum Iudae et virtutum quas fecit et magnitudinis eius, non sunt descripta; multa enim erant valde.*

καὶ Ἰούδας ἔπεσε καὶ οἱ λοιποὶ ἔφυγον.

19. Καὶ ἦραν Ἰωνάθαν καὶ Σίμων Ἰούδαν τὸν ἀδελφὸν αὐτῶν καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ τάφῳ τῶν πατέρων αὐτοῦ ἐν Μωδεείμ. 20. Καὶ ἔκλαυσαν αὐτὸν καὶ ἐκόψαντο αὐτὸν πᾶς Ἰσραὴλ κοπετὸν μέγαν καὶ ἐπένθουν ἡμέρας πολλὰς, 21. καὶ εἶπον· πῶς ἔπεσε δυνατὸς σώζων τὸν Ἰσραήλ.

22. Καὶ τὰ περισσὰ τῶν λόγων Ἰούδα καὶ τῶν πολέμων καὶ τῶν ἀνδραγαθιῶν ὧν ἐποίησε καὶ τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ οὐ κατεγράφη. Πολλὰ γὰρ ἦν σφόδρα.

In v. 9 και οι αδελφοι ημων assumpsit *Fr.* ex ℵ 23. 55. al. lectionem μετα των αδελφων ημων praebet S quoque, et videtur praeferenda, nam ut sensus exhibeatur : revertemur nos et fratres nostri, necessario deberet poni ημεις και οι αδελφοι.

Uti serie narrationis in cap. 8 suadetur et ab interpretibus communi consensu assumitur, legatio Romam missa est mox post cladem Nicanoris i. e. post diem 13 Adar 151 aer. Sel. i. e. anno 161 a Ch. Demetrius audita clade hac sine longiore mora novam expeditionem in Iudaeam misit, uti 9,3 refertur; nam mense primo (Nisan) anni 152 Bacchides castra posuit ad Ierusalem. Unde quae cap. 9 narrantur, gesta sunt, dum legati Romam profecti in itinere et Romae versarentur et Iudas in pugna cecidit antequam legati reduces esse poterant et antequam ad Demetrium illa prohibitio senatus perlata est. Breve hoc intervallum inter cladem Nicanoris (mense Adar i. e. Martio) et novam expeditionem 9,1 indicatur quoque 7,50 et siluit terra Iuda dies paucos.

De clade Nicanoris vide 7,43 seq.; rursum mittere cf. 7,8 seq.; quid intelligatur *dextrum cornu,* disceptatur; fortissimos milites designari aliqui volunt, cum rex ipse dextrum cornu in acie ducere soleret (*Grotius, Calm.*), cf. 9,12-14; alii explicant de parte exercitus dextera i. e. meridionali, quae propius Iudaeam versus consisteret (*Weiss, Fil. K. Ks.*) in parte regni meridionali. Bacchides seligit v. 2 viam quae ducit in Galgala ὁδὸν τὴν εἰς Γάλγαλα, in LXX pro hebr גִּלְגָּל; inter varia oppida eius nominis (cf. Ios. 4,19; 5,10. Os. 4,15 etc.) illud erit seligendum, quod exercitui magno Iudaeam versus progredienti viam praebet commodam. Atque tale est illud Gilgal, secundum Eusebium et Hieronymum sex millia passuum distans ab Antipatri, et aliquot horas a littore maris mediterranei, hodie probabiliter Jiljuleh (Dscildschule, cf. *Gr. K.*). Ceterum S, s praebent Galaad (uti 64. 93), Iosephus : ἐν Ἀρβήλοις πόλει τῆς Γαλιλαίας στρατοπεδεύεται. Sed

de Galaad nequit cogitari; Bacchides enim celeriter Ierusalem versus pergit (v. 3). Galilaeam tamen praefert Wellhausen, qui nostrum textum corrigit: Μεταδωθ, ἐν Ἀρβήδοις; censet enim agi de praedonum receptaculo Arbeda (Arbad, Arbid) in Galilaea, quod Bacchides in itinere deleverit (cf. *Ks.*). De Μαισαλὼθ τὴν ἐν Ἀρβήλοις varia coniecta sunt, מסלות gradus i. e. loca declivia montium versus planitiem maritimam (*Weiss*), vel מצדות arces, ἐν Ἀρβήλοις nomen regionis?

Satis celeriter Bacchides usque ad Ierusalem progreditur v. 3 in mense primo anni 152, ergo fere uno mense (vel si eo anno Adar mensis et Veadar forte habebatur, duobus mensibus) post cladem Nicanoris. Neque id improbabile est. Nam ex Bethoron spatio decem dierum Demetrius certior fieri poterat de clade. Cornu dextrum exercitus iam versabatur in parte meridionali regni, neque opus habebat iter instituere ab Antiochia; quare exercitus versus finem primi mensis sine ulla difficultate ad Ierusalem castra ponere potuit; imo Ewald censet tempore celebritatis paschatis exercitum advenisse (Geschichte des Volkes Israel IV p. 421). Verum mox Bacchides cum viginti millibus peditum et duobus millibus equitum profectus est in Beream. Ratio, cur recesserit ab Ierusalem, affertur in v. 4; exercitum scil. Iudaeorum non reperit prope urbem; sed Iudas copias suas collegerat in Laisa (vulg); si haec lectio retinetur, Laisa (Is. 10,30) oppidum est prope Ierusalem; Ἐλασὰ, seu Ἐλεασά (Ἄδασα? cf. Iosephus, Bell. iud. 1,1. 6) pariter incertum est. Si spectatur v. 15: persecutus est eos usque ad montem Azoti, proelium commissum est occidentem versus ab Ierusalem in planitie illa quae a montibus versus ditionem Philisthaeorum extenditur. Ibi itaque, ubi montes Iudaeae fere desinunt quaeri oportebit Beream et Elasa.

Apud Iudam solum tria millia virorum reperta sunt. Cur tam pauci milites? Omni exspectatione citius novus ille Syrorum impetus ingruebat; quare Iudae non fuisse videtur opportunitas maiores colligendi copias. Insuper iam 7,12. 13 vidimus scribas et Assidaeos non stetisse a partibus Machabaeorum; quare mirum non est, si multi ex populo etiam ab iis recedebant vel saltem cum iis sese coniungere nolebant; alii fortasse satius putabant quiescere, donec innotesceret quid a Romanis esset exspectandum; alios eosque non paucos a lege Dei fuisse alienos apparet 9,23. Verum ii quoque qui ab initio signa Iudae secuti erant, minime omnes fideles manserunt. Videntes enim multitudinem hostium v. 6 animis conciderunt; deerat viva fides et spes auxilii divini, quod tamen antea saepius experti erant; repetito hostium incursu sacrum illud studium tuendi legem et cultum Dei elanguit et ipsa fiducia et spes prosperi rerum exitus enecata esse vi-

detur. Quare sat multi paulatim sese subducebant relinquentes exercitum; solum octingenti firmiter perstabant apud Iudam. Qua multorum ignavia et fuga cum tamen proelium seu congressus cum hoste iam non posset declinari, Iudas maximo moerore afflictus est; ὁ πόλεμος ἔθλιβεν αὐτόν bellum ei instabat, eum premebat i. e. certamen non poterat averti. Et quia iam non erat tempus congregandi bellatores, conditio rerum erat tanto gravior; καὶ ἐξελύθη animum fere despondebat v. 7; quae diffidentia in ipsa adhortatione ad pugnandum clare apparet v. 8 ἐὰν ἄρα δυνώμεθα : agite, ascendamus contra adversarios nostros, si forte possimus eos oppugnare.

Dubia hac et timida exhortatione paucis illis relictis minime consultum erat neque animus additus. Quare eum repudiarunt v. 9 : non poterimus eos impugnare; τὸ νῦν quod *nunc* attinet, nunc vitam nostram servemus; postea revertamur et nos et fratres nostri et tunc pugnabimus! Volunt itaque vitato certamine sese recipere et postea, si multi alii se paratos exhibuerint ad belli pericula subeunda, denuo redire. At fugere in conspectu hostium, intolerabile visum est Iudae v. 10 μή μοι γένοιτο cum indignatione tale repudiat consilium; « prae animi magnitudine et quia nunquam hucusque fugerat, sed semper pugnarat et pugnando vicerat, fortius et gloriosius duxit non fugere sed pugnare, praesertim quia fidebat Deo, cuius ope cum paucis toties hostes tam numerosos profligarat. Itaque vel vincere voluit vel generose mori; ait ergo : *et si appropiavit tempus* (occumbendi et moriendi) *nostrum*, nobis a Deo statutum et decretum ab aeterno, *moriamur in virtute*, in fortitudine, fortiter pugnando, ne inulti, sed magna strage hosti illata pie cadamus *propter fratres nostros*, pro aris et focis, pro patria, pro religione dimicantes. Quae enim gloriosior mors nobis obtingere potest? *et non inferamus crimen*, labem, dedecus, *gloriae nostrae*, ut qui gloriose semper in acie stetimus, nunc timide fugiendo terga obvertamus » (*Lap.*); αἰτίαν τῇ δόξῃ causam scil. cur gloriae nostrae detrahatur; S : ne linquamus maculam in laude nostra; s : ne faciamus opprobrium laudi nostrae.

Atque cur turpe fuisset fugere, apparet ex v. 11 exercitus hostilis iam e castris egreditur, et socii Iudae verbis eius obsequentes se sistunt illis obviam; equites hostiles in duas partes dividuntur, ut pedites, seu alas vel cornua exercitus utrimque protegerent; in primo agmine progrediuntur funditores et sagittarii et πρωταγωνισταί qui in prima acie pugnant et proelium ordiuntur et aliis exemplo praeeunt, qui itaque omnes bellatores esse debent validi, δυνατοί, potentes. Phalanx itaque hostilis, in cuius dextero cornu Bacchides erat, ex utraque parte ad pugnam processit cum sonitu tubarum v. 12. Etiam

parva manus Iudae audacter se paratos ad pugnandum esse significant fortiter tubis canentes, ita ut terra sonitu utriusque exercitus percussa quasi concuti videretur v. 13; pugna inter eos commissa est per totum diem.

Verum simul ac Iudas advertit, Bacchidem et robur exercitus esse in dextero cornu, ipse et quicumque erant animis alacribus ac generosis omni vi in illud impetum fecerunt v. 14; atque felici conatu pugnarunt, nam v. 15 contritum est dexterum cornu ab eis, et fugientes persecuti sunt usque ad montem Azoti. Lectio Azoti confirmatur per S, s; Iosephus praebet μέχρις Ἀζᾶ ὄρους οὕτω λεγομένου, qui mons plane ignotus est. Alii (Michaelis, cui Hitzig adstipulatur) coniecerunt in textu originali hebraeo fuisse scriptum אשדות ההר usque ad descensus montis (scil. ubi Syrorum castra erant), inde mendose אשדוד esse exortum. Cum nesciamus, ubi proelium commissum sit, victos fugisse usque ad ditionem urbis Philisthaeorum minime dici potest improbabile. Ex locorum opportunitate qua Iudaei prae Syris utebantur etiam explicatur quomodo a mane usque ad vesperam pugnare potuerint ita ut a multo maiore hostium numero non plane opprimerentur. Cur autem cornu sinistrum non opem tulerit cornui dextero a Iuda impugnato, declarabis vel ex locorum dispositione nobis ignota vel ex impedimento pugnae quod cornui sinistro ab Ionathan et Simone opponebatur. Aliud quoque supponi potest; cum enim Bacchides adverteret numerum Iudaeorum tam parvum, alterum Iudaeorum exercitum haud longe abesse merito suspicari poterat; cui itaque excipiendo atque oppugnando sinistrum cornu paratum manere voluit.

Sed simulac illi dexterum cornu profligatum viderunt et Iudaeos alacriter persequentes, converterunt se ἐπέστρεψαν κατὰ πόδας et vestigiis Iudae et sociorum eius quam proxime institerunt v. 16; unde v. 17 *ingravatum est proelium* et ex utraque parte multi sunt occisi; de modo narrandi cf. 1,19; LXX 1 Par. 10,3. « In hac pugna error commissus est quod ceteri milites Iudae non se opposuerint sinistro cornui illudque proeliando vel potius proelium simulando distinuerint ne Iudam et ceteros a tergo sequeretur et caederet » (*Lap.*). In eo fugientium ac persequentium tumultu etiam v. 18 *Iudas cecidit* et duce interempto reliqui aufugerunt. Auctor sacer lamentabilem eventum quam brevissime narrat. Iosephus rem exornat : Iudam sequentes circumierunt atque in tergum conversi ipsum in medio comprehendunt. Ille vero, cum nulla effugiendi via daretur, sed undique hostibus septus esset, constitit cum suis et strenue pugnabat. Cumque multos adversariorum fudisset atque labore et vulneribus conficeretur, ipse etiam cecidit animamque efflavit, non minus ex rebus iam

ante praeclare gestis, quam ex similibus dum moreretur conspicuus (Antiq. 12,11,2). Etiam ornatius scribit Gorionides, id quod apud *Calm.* legere poteris.

At Iudaeos etiam in hac rerum difficultate strenue pugnasse et neutiquam turpi fuga omnes esse dilapsos, patet ex eo, quod Ionathas et Simon potuerunt corpus Iudae secum asportare v. 19, quod fere signum est illos in hac quoque dimicatione victores exstitisse hostesque pulsos e campo recessisse. Quod vero Iosephus de suo addit λαβόντες τὸ σῶμα παρὰ τῶν πολεμίων ὑπόσπονδον ex foedere ab hostibus corpus esse receptum, plane improbabile est; supponitur enim Bacchidem erga rebellem quem Iudam putabat adeo fuisse magnanimum, quamvis corpus Nicanoris a Iuda cum ignominia esset habitum (7,47). Fratres eum sepelierunt in sepulchro patrum in Modin; vide 2,70. Funus eius magno luctu prosecuti sunt Israelitae v. 20; lamentatio funebris similis est illi 2 Sam. 1,19; maximum eius encomium continetur verbis : σώζων τὸν Ἰσραήλ, S, s liberator Israel.

Narratio de Iuda concluditur simili modo, sicut absolvi solent narrationes de regibus Iuda et Israel (3 Reg. 11,41; 14,29; 15,31; 16, 27 etc.). Enumerantur τὰ περισσὰ τῶν λόγων, reliqua rerum gestarum et bellorum et praeclarorum facinorum et magnitudinis eius animi non sunt descripta. Si loci illa spectantur ex quibus haec loquendi forma deprompta est, et si 16,23 ob oculos habetur, dubium esse nequit quin auctor dicat ea nullibi esse descripta, non exstare commentarios rerum illarum Iudae maiores. Dicit τὰ περισσὰ non esse litteris commendata. Proinde minime negat litterarum monumentis ea esse consignata et a se in suum usum adhibita quae ipse narraverit; simul indicat multa de rebus praeclare a Iuda gestis memoria hominum et fama conservari.

Mortem Iudae praeconio prosequitur S. Ambrosius : « Iudas cum nongentis (sic ille) viris bellum adorsus, volentibus his cedere ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem quam turpem fugam suasit..., sed dum fugientes sequitur a tergo vulneri locum praebuit, ita gloriosiorem triumphis mortem invenit » (de offic. 1,41; *M.* 16,83). Aliter iudicat Weiss; considerat enim mortem Iudae quasi poenam pro eo quod auxilium quaesivit Romanorum; quare morte culpam hanc esse expiatam asserit (p. 116). Verum, ut supra monui, rerum conditione plane mutata non videtur aequum normam illam veterum prophetarum applicare; Deus ipse populum suum externis dominatoribus subiecit ac tradidit; Iudas autem pro fama quam de Romanis audierat merito sperare poterat iugo Graecorum ablato concessum iri populo Israel libertatem religiosam, pro qua ipse omnes intendebat nervos.

Brevi hac sacri auctoris narratione non satis apparet, cur Iudas cum viris paucis dimicare voluerit, quamvis merito exspectare potuerit mox fore ut foedere cum Romanis inito sibi a Romanis auxilium et protectio contra Syros praestaretur. Cur non declinavit congressum cum exercitu Bacchidis multo maiore saltem donec certior fieret quid per legatos esset effectum? Nonne fere temeritatis esse videtur cum octingentis viris sese opponere tantae multitudini? Et auxilio Romanorum semel implorato prudentiae profecto erat, cum spes societatis bellicae revera offerretur, moras trahere et proelium quam maxime impar devitare. Talia dubia moveri possunt, quae succincta hac narratione non dispelluntur.

PARS ALTERA

RES A IONATHA GESTAE 9,23-12,54.

1. *Ionathas eligitur dux* 9,23-31.

9,23. *Et factum est, post obitum Iudae emerserunt iniqui in omnibus finibus Israel et exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem.* 24. *In diebus illis facta est fames magna valde, et tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis.* 25. *Et elegit Bacchides viros impios et constituit eos dominos regionis;* 26. *et exquirebant et perscrutabantur amicos Iudae et adducebant eos ad Bacchidem et vindicabat in illos et illudebat.* 27. *Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die qua non est visus propheta in Israel.*

28. *Et congregati sunt omnes amici Iudae et dixerunt Ionathae :* 29. *ex quo frater tuus Iudas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem et eos qui inimici sunt gentis nostrae.* 30. *Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem et ducem ad bellandum bellum nostrum.* 31. *Et suscepit Ionathas tempore illo principatum et surrexit loco Iudae fratris sui.*

9,23. Καὶ ἐγένετο μετὰ τὴν τελευτὴν Ἰούδα ἐξέκυψαν οἱ ἄνομοι ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις Ἰσραὴλ, καὶ ἀνέτειλαν πάντες οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀδικίαν. 24. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐγενήθη λιμὸς μέγας σφόδρα καὶ ηὐτομόλησεν ἡ χώρα μετ' αὐτῶν. 25. Καὶ ἐξέλεξε Βακχίδης τοὺς ἀσεβεῖς ἄνδρας καὶ κατέστησεν αὐτοὺς κυρίους τῆς χώρας. 26. Καὶ ἐξεζήτουν καὶ ἐξηρεύνων τοὺς φίλους Ἰούδα καὶ ἦγον αὐτοὺς πρὸς Βακχίδην, καὶ ἐξεδίκει ἐν αὐτοῖς καὶ ἐνέπαιζεν αὐτούς. 27. Καὶ ἐγένετο θλῖψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραήλ, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης ἐν αὐτοῖς.

28. Καὶ ἠθροίσθησαν πάντες οἱ φίλοι Ἰούδα καὶ εἶπον τῷ Ἰωνάθαν· 29. Ἀφ' οὗ ὁ ἀδελφός σου Ἰούδας τετελεύτηκε, καὶ ἀνὴρ ὅμοιος αὐτῷ οὐκ ἔστιν ἐξελθεῖν πρὸς τοὺς ἐχθροὺς καὶ Βακχίδην καὶ ἐν τοῖς ἐχθραίνουσι τοῦ ἔθνους ἡμῶν. 30. Νῦν οὖν σὲ ᾑρετισάμεθα σήμερον τοῦ εἶναι ἀντ' αὐτοῦ ἡμῖν εἰς ἄρχοντα καὶ ἡγούμενον τοῦ πολεμῆσαι τὸν πόλεμον ἡμῶν. 31. Καὶ ἐπεδέξατο Ἰωνάθαν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ τὴν ἡγησιν καὶ ἀνέστη ἀντὶ Ἰούδα τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ.

Post mortem Iudae, valentissimi vindicis ac defensoris legis, apostatae denuo assumpserunt animos et capita erexerunt; alludit s. auctor in v. 23 ad Ps. 91,8 : ἐν τῷ ἀνατεῖλαι ἁμαρτωλοὺς ὡσεὶ χόρτον, καὶ διέκυψαν πάντες οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, et iisdem fere verbis usus in simili disticho describit impietatem longe serpentem :

Ἐξέκυψαν οἱ ἄνομοι ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις Ἰσραήλ
Καὶ ἀνέτειλαν πάντες οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀδικίαν.

Inde simul elucet quot ex Iudaeis continuo, etsi occulte, moribus

gentilium et liberiori vitae rationi faverint; id quod etiam ex parvo numero militum 9,5 manifestum est, ἐξέκυψαν i. e. proprie incurvantes se prospexerunt, itaque caute e latibulis emerserunt οἱ ἄνομοι apostatae Iudaei; et simul cum ipsis etiam gentiles in Iudaea incolae et in circuitu novas adepti sunt vires. In altero membro simul alienigenae, hostes Israel, designari videntur. Ad quam miseriam alia accessit calamitas v. 24 annonae caritas, *fames magna valde*; καὶ ἠτομόλησεν ἡ χώρα μετ' αὐτῶν, ipsa quoque terra, alias valde frugifera, cum illis transfuga facta est, ad hostes transiit quasi et pios Dei cultores dereliquit, negans scil. iis fruges et victum. Bene sensum exprimit s: et terra sese coniunxit (conspiravit) cum eis; item videtur declarare S: et corrupta est etiam terra cum eis. Quod vulg habet et *tradidit se regio*, sc. incolae regionis adhaeserunt partibus impiorum, transfugerunt ad Bacchidem, ut panem acciperent, alii quoque explicarunt; at prior explicatio melius congruit et verbis et sensui; cf. Os. 9,2 vinum mentietur eis; Hab. 3,17 mentietur opus olivae etc. Ier. 3,23 mendaces erant colles.

Insuper ad pios vexandos et mores graecos propagandos Bacchides viros impios ἀσεβεῖς constituit magistratus, praefectos, administratores v. 25. Hi vero inter alia indagabant et omni cura exquirebant amicos Iudae; quos prehensos Bacchidi sistebant, qui in eos vindicabat et poenas ab iis expetebat, *et illudebat* i. e. eorum sacra, legem, pietatem, irrisu et opprobriis insectabatur v. 26. Ex quibus omnibus tanta exorta est tribulatio in Israel quanta non fuit ex quo iam non exstitit propheta in Israel v. 27; i. e. ex tempore Malachiae maior non exstitit miseria. Non sine dolore commemoratur defectus prophetiae; alias in calamitatibus prophetae consolabantur, confortabant, legem Dei tuebantur, fidem ac pietatem sustentabant; tempore persecutionis Antiochi aderat Mathathias, post eum Iudas Machabaeus — nunc vero sine propheta, sine duce impune grassabantur impii, vexabantur pii.

Opus itaque esse, ut alterum ducem et caput sibi eligerent, mox fideles Dei cultores iidemque olim amici Iudae intellexerunt. Sed cur ipsi Iudae fratres non statim ducatum assumpserunt? Verum postquam tam multi Iudam dereliquerunt (7,6. 7), iis minime consultum videri debuit proprio marte principatum sibi attribuere. Tandem qui fuerant asseclae Iudae animos collegerunt et congressi adierunt Ionathan v. 28; magnum tribuunt encomium Iudae; iam non esse virum ei similem qui pugnet contra hostes et Bacchidem et in universum contra inimicos nostrae stirpis; ἐχθραίνουσι qui nos odio habent, abominantur — ἐν τοῖς, ἐν uti hebr ב contra, et participium ponitur tamquam substantivum; S contra odientes nos ex filiis populi nostri (s ut graece). Loco Iudae itaque eligunt Ionathan εἰς ἄρχοντα καὶ ἡγούμενον τοῦ πολεμῆσαι.

qui itaque in pace et in bello principatum gerat; eum simul in Pontificem electum esse *Lap.* censet. Iosephus quidem affirmat: Iudas, τὴν ἀρχιερωσύνην ἔτος τρίτον κατασχὼν ἀπέθανεν, quod si verum esset, posset *pro eo* ἀντ' αὐτοῦ v. 30 ita intelligi; at de Ionathan ipse Iosephus solum dicit στρατηγὸς ἀποδείκνυται (Antiq. 13,1,1). Illud autem triennium pontificatus Iudae non consistit; nam falsum est quod Iosephus narrat, Alcimum post cladem Nicanoris esse mortuum et populum pontificatum dedisse Iudae (12,10,6); nam Alcimus obiit anno 153 aerae seleuc. uno fere anno post mortem Iudae (9,54). Ionathas oblatum principatum, ἤγησιν, — ergo nihil de pontificatu Alcimo adhuc superstite — suscepit et loco Iudae magistratu suo fungi coepit v. 31; *surrexit* i. e. tamquam ducem se gessit, omnibus exhibuit; imperium exercere coepit.

2. *Facinus filiorum Iambri vindicatur* 9,32-42.

9,32. *Et cognovit Bacchides et quaerebat eum occidere.* 33. *Et cognovit Ionathas et Simon frater eius et omnes qui cum eo erant, et fugerunt in desertum Thecuae et consederunt ad aquam lacus Asphar.* 34. *Et cognovit Bacchides et die sabbatorum venit ipse et omnis exercitus eius trans Iordanem.*

35. *Et Ionathas misit fratrem suum ducem populi et rogavit Nabuthaeos amicos suos, ut commodarent illis apparatum suum qui erat copiosus.* 36. *Et exierunt filii Iambri ex Madaba et comprehenderunt Ioannem et omnia quae habebat et abierunt habentes ea.* 37. *Post haec verba renuntiatum est Ionathae et Simoni fratri eius, quia filii Iambri faciunt nuptias magnas et ducunt sponsam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna.* 38. *Et recordati sunt sanguinis Ioannis fratris sui et ascenderunt et absconderunt se sub tegumento montis;* 39. *et elevaverunt oculos suos et viderunt: et ecce tumultus et apparatus multus et sponsus processit et amici eius et fratres eius obviam illis cum tympanis et musicis et armis multis.* 40. *Et surrexerunt ad eos ex insidiis et occiderunt eos et æ-*

9,32. Καὶ ἔγνω Βακχίδης καὶ ἐζήτει αὐτὸν ἀποκτεῖναι. 33. Καὶ ἔγνω Ἰωνάθαν καὶ Σίμων ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ καὶ πάντες οἱ μετ' αὐτοῦ, καὶ ἔφυγον εἰς τὴν ἔρημον Θεκωὲ καὶ παρενέβαλον ἐπὶ τὸ ὕδωρ λάκκου Ἀσφάρ. 34. Καὶ ἔγνω Βακχίδης τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων καὶ ἦλθεν αὐτὸς καὶ πᾶν τὸ στράτευμα αὐτοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

35. Καὶ ἀπέστειλεν Ἰωνάθαν τὸν Ἰωάννην ἀδελφὸν αὐτοῦ ἡγούμενον τοῦ ὄχλου καὶ παρεκάλεσε τοὺς Ναβαταίους φίλους αὐτοῦ παραθέσθαι αὐτοῖς τὴν ἀποσκευὴν αὐτῶν τὴν πολλήν. 36. Καὶ ἐξῆλθον οἱ υἱοὶ Ἀμβρὶ ἐκ Μηδαβὰ καὶ συνέλαβον Ἰωάννην καὶ πάντα ὅσα εἶχε καὶ ἀπῆλθον ἔχοντες. 37. Μετὰ δὲ τοὺς λόγους τούτους ἀπήγγειλαν τῷ Ἰωνάθαν καὶ Σίμωνι τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ὅτι οἱ υἱοὶ Ἀμβρὶ ποιοῦσι γάμον μέγαν καὶ ἄγουσι τὴν νύμφην ἀπὸ Ναδαβάθ, θυγατέρα ἑνὸς τῶν μεγάλων μεγιστάνων Χαναάν, μετὰ παραπομπῆς μεγάλης. 38. Καὶ ἐμνήσθησαν Ἰωάννου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῶν καὶ ἀνέβησαν καὶ ἐκρύβησαν ὑπὸ τὴν σκέπην τοῦ ὄρους· 39. καὶ ἦραν τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν καὶ ἴδον, καὶ ἰδοὺ θροῦς καὶ ἀποσκευὴ πολλή, καὶ νυμφίος ἐξῆλθε καὶ οἱ φίλοι αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ εἰς συνάντησιν αὐτῶν μετὰ τυμπάνων καὶ μουσικῶν καὶ ὅπλων πολλῶν. 40. Καὶ ἐξανέστησαν ἐπ' αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ ἐνέδρου καὶ ἀπέκτειναν αὐτοὺς καὶ ἔπεσον τραυματίαι πολλοὶ καὶ οἱ ἐπίλοιποι

ciderunt vulnerati multi et residui fugerunt in montes et acceperunt omnia spolia eorum.

41. *Et conversae sunt nuptiae in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum.*

42. *Et vindicaverunt vindictam sanguinis fratris sui et reversi sunt ad ripam Iordanis.*

ἔφυγον εἰς τὸ ὄρος καὶ ἔλαβον πάντα τὰ σκῦλα αὐτῶν.

41. Καὶ μετεστράφη ὁ γάμος εἰς πένθος, καὶ ἡ φωνὴ μουσικῶν αὐτῶν εἰς θρῆνον.

42. Καὶ ἐξεδίκησαν τὴν ἐκδίκησιν αἵματος ἀδελφοῦ αὐτῶν, καὶ ἀπέστρεψαν εἰς τὸ ἕλος τοῦ Ἰορδάνου.

In v. 35 fertur plerumque και απεστειλεν τον αδελφον αυτου (ita ℵ A 23. 44. 55. 62. al; sed certe legendum est cum S 93. 64. 19 Ιωναθαν τον Ιωαννην αδελφον.

Bacchides quamprimum certior factus est Iudaeos rebelles sibi Ionathan alterum selegisse ducem, hunc interimere quaerebat v. 32. Periculo cognito Ionathan satius duxit se suosque fuga subducere insidiis Bacchidis; erant enim fideles Iudaei pauci nec tot hostibus et apostatis resistendo pares; unde sese receperunt *in desertum Thecuae;* est Thecua urbs in colle sita, sex millia passuum distans a Bethlehem, inter meridiem et ortum solis spectans; inde usque ad mare mortuum extenditur desertum ex illa urbe appellatum i. e. regio non quidem agris colendis, sed solum gregibus pascendis apta; *et consederunt,* παρενέβαλον castra posuerunt ad aquam λάκκου Ἀσφάρ cisternae (item S, s), nam λάκκος LXX ponitur pro בור, באר cisterna, puteus (cf. *Hatch-Redpath*, Concordance to the Septuagint II. 841), et eadem notione apud profanos. Ceterum cisterna vel puteus Asphar nondum innotuit (A Ασφαδ). Verum Bacchides, ubinam essent rebelles Iudaei, mox didicit; ex graeco id didicit die quodam sabbati (item S, s) et statim ipse et omnis exercitus eius venit ἦλθεν πέραν τοῦ Ἰορδάνου — sed cur profectus est *trans* Iordanem? Ut hoc explicetur, inseritur narratio v. 33-42 qua apparet quomodo Ionathas et Iudaei ex deserto Thecuae in partem Iordanis orientalem venerint. Haec itaque narratio tempore ante v. 34 collocanda est et sententia in v. 34 quasi praeoccupatione seu anticipatione quadam eo loco legitur et demum v. 43 iterum assumitur.

Ionathas scil. miserat fratrem suum, Ioannem ἡγούμενον τοῦ ὄχλου, ducem turbae, sc. mulierum, puerorum, militum aliquot comitum, ut per eum rogaret Nabuthaeos, amicos Iudaeorum (cf. 5,25), ut apud se deponerent (et in tuto collocarent) sarcinas. Voluit itaque Ionathas consulere securitati mulierum et infantium et plurimam suppellectilem (τὴν ἀποσκευὴν τὴν πολλὴν) in loca tuta transferre; in deserto Thecuae irruptioni Syrorum ac depraedationi patebant. Quare ad Nabuthaeos amicos trans Iordanem totum commeatum duce fratre suo mi-

sit. Quod vulg. habet explica : ut commodarent i. e. ut committerent (sc. Ionathas et frater eius) illis, Nabuthaeis, apparatum suum, sarcinas, bona. Verum totus commeatus in itinere interceptus est v. 36; nam filii Iambri (varie nomen effertur Ἰαμβρεί, Ἀμβρεί, Iosephus οἱ Ἀμαρείου παῖδες), de qua stirpe seu tribu nihil alias innotuit, egressi ex Madaba, urbe in regione moabitica (Num. 21,30. Ios. 13,9. 16. 1 Par. 19,7) comprehenderunt Ioannem et omnia secum abstulerunt ipsumque interfecerunt (v. 42).

Opportunitas vindictam capiendi non multo post oblata est v. 37. Nam nuntius allatus est tribum illam nuptias celebrare et sponsam, filiam unius ex primis principibus gentis ducere ex Nadabath; Chanaan vel est designatio generalis stirpis gentilis vel proprie gentis canaaniticae. Nadabath (ναδαθ minusc. S; nachalbath s) est ignotum; μετὰ παραπομπῆς μεγάλης cum magno comitatu. Fratres machabaei recordati iniuriae sibi illatae et caedis fratris (sanguinis Ioannis, s, 23) insidias struxerunt v. 38, absconsi sub tegumento montis; LXX 1 Reg. 25,20 ἐν σκέπῃ τοῦ ὄρους. Et magno cum tumultu habens multam supellectilem sponsus cum amicis et fratribus processit εἰς συνάντησιν αὐτῶν in occursum illorum scil. eorum qui sponsam comitabantur. Illi autem ex insidiis ac latebris prorumpentes in pompam festivam ex improviso illos aggressi facili negotio alios occidunt, alios in fugam coniiciunt et ita omnia eorum spolia acquirunt v. 40. Tali vindicta ulti sunt caedem fratris et sese receperunt εἰς τὸ ἕλος ad paludem Iordanis, ad loca demissa et palustria Iordanis; vulg ad ripam (χεῖλος) A et minusc ὄρος, S ad transitum (vadum) Iordanis — hodie illud vadum prope mare mortuum appellatur el Helu (*Gr.*), s ad pratum quod est ad Iordanem fluvium.

3. *Quae Bacchides contra Iudaeos egerit* 9,43-57.

9,43. *Et audivit Bacchides et venit die sabbatorum usque ad oram Iordanis in virtute magna.* 44. *Et dixit ad suos Ionathas : surgamus et pugnemus contra inimicos nostros; non est enim hodie sicut heri et nudiustertius.* 45. *Ecce enim bellum ex adverso, aqua vero Iordanis hinc et inde, et ripae et paludes et saltus et non est locus divertendi.* 46. *Nunc ergo clamate in coelum, ut liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bellum.* 47. *Et extendit Ionathas manum suam*

9,43. Καὶ ἤκουσε Βακχίδης καὶ ἦλθε τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἕως τῶν κρηπίδων τοῦ Ἰορδάνου ἐν δυνάμει πολλῇ. 44. Καὶ εἶπεν Ἰωνάθαν τοῖς παρ' αὐτοῦ· ἀναστῶμεν νῦν καὶ πολεμήσωμεν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν· οὐ γάρ ἐστι σήμερον ὡς ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν. 45. Ἰδοὺ γὰρ ὁ πόλεμος ἐξεναντίας ἡμῶν καὶ ἐξόπισθεν ἡμῶν· τὸ δὲ ὕδωρ τοῦ Ἰορδάνου ἔνθεν καὶ ἔνθεν καὶ ἕλος καὶ δρυμός, οὐκ ἔστι τόπος τοῦ ἐκκλῖναι. 46. Νῦν οὖν κεκράξατε εἰς οὐρανὸν ὅπως διασωθῆτε ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν ὑμῶν. Καὶ συνῆψεν ὁ πόλεμος. 47. Καὶ ἐξέτεινε Ἰωνάθαν τὴν χεῖρα αὐτοῦ πατάξαι τὸν Βακ-

percutere Bacchidem et divertit ab eo retro; 48. et dissiliit Ionathas et qui cum eo erant in Iordanem et transnataverunt ad eos Iordanem. 49. Et ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri et reversi sunt in Ierusalem.

50. *Et aedificaverunt civitates munitas in Iudaea, munitionem quae erat in Iericho, et in Ammaum, et in Bethoron et in Bethel et Thamnata et Phara et Thopo, muris excelsis et portis et seris. 51. Et posuit custodiam in eis, ut inimicitias exercerent in Israel. 52. Et munivit civitatem Bethsuram et Gazaram et arcem et posuit in eis auxilia et apparatum escarum; 53. et accepit filios principum regionis obsides et posuit eos in arce in Ierusalem in custodiam.*

54. *Et anno centesimo quinquagesimo tertio mense secundo praecepit Alcimus destrui muros domus sanctae interioris et destrui opera prophetarum et coepit destruere. 55. In tempore illo percussus est Alcimus et impedita sunt opera illius et occlusum est os eius et dissolutus est paralysi nec ultra potuit loqui verbum et mandare de domo sua; 56. et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno. 57. Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus et reversus est ad regem et siluit terra annis duobus.*

χίδην καὶ ἐξέκλινεν ἀπ' αὐτοῦ εἰς τὰ ὀπίσω. 48. Καὶ ἐνεπήδησεν Ἰωνάθαν καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ εἰς τὸν Ἰορδάνην καὶ διεκολύμβησαν εἰς τὸ πέραν καὶ οὐ διέβησαν ἐπ' αὐτοὺς τὸν Ἰορδάνην. 49. Καὶ διέπεσον παρὰ Βακχίδην τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ εἰς χιλίους ἄνδρας. καὶ ἀπέστρεψεν Βακχίδης εἰς Ἱερουσαλήμ.

50. Καὶ ὠκοδόμησε πόλεις ὀχυρὰς ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, τὸ ὀχύρωμα τὸ ἐν Ἱεριχὼ καὶ τὴν Ἐμμαοὺμ καὶ τὴν Βαιθωρὼν καὶ τὴν Βαιθὴλ καὶ τὴν Θαμναθὰ καὶ Φαραθὼν καὶ τὴν Τεφὼν ἐν τείχεσι ὑψηλοῖς καὶ πύλαις καὶ μοχλοῖς. 51. Καὶ ἔθετο φρουρὰν ἐν αὐτοῖς τοῦ ἐχθραίνειν τῷ Ἰσραήλ. 52. Καὶ ὠχύρωσε τὴν πόλιν τὴν Βαιθσούραν καὶ Γάζαρα καὶ τὴν ἄκραν, καὶ ἔθετο ἐν αὐταῖς δυνάμεις καὶ παραθέσεις βρωμάτων· 53. καὶ ἔλαβε τοὺς υἱοὺς τῶν ἡγουμένων τῆς χώρας ὅμηρα καὶ ἔθετο αὐτοὺς ἐν τῇ ἄκρᾳ ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐν φυλακῇ.

54. Καὶ ἐν ἔτει τρίτῳ καὶ πεντηκοστῷ καὶ ἑκατοστῷ μηνὶ τῷ δευτέρῳ ἐπέταξεν Ἄλκιμος καθαιρεῖν τὸ τεῖχος τῆς αὐλῆς τῶν ἁγίων τῆς ἐσωτέρας καὶ καθεῖλε τὰ ἔργα τῶν προφητῶν καὶ ἐνήρξατο τοῦ καθαιρεῖν. 55. Ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐπλήγη Ἄλκιμος καὶ ἐνεποδίσθη τὰ ἔργα αὐτοῦ καὶ ἀπεφράγη τὸ στόμα αὐτοῦ καὶ παρελύθη καὶ οὐκ ἠδύνατο ἔτι λαλῆσαι λόγον καὶ ἐντείλασθαι περὶ τοῦ οἴκου αὐτοῦ. 56. Καὶ ἀπέθανεν Ἄλκιμος ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ μετὰ βασάνου μεγάλης. 57. Καὶ εἶδε Βακχίδης ὅτι ἀπέθανεν Ἄλκιμος, καὶ ἀπέστρεψε πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἡσύχασεν ἡ γῆ Ἰούδα ἔτη δύο.

In v. 49 legendum est cum S 64. 93. επεστρεψεν Βακχιδης, ut suadetur antecedentibus et subsequentibus quoque, v. g. ne legatur : ceciderunt mille viri et reversi sunt.

Redit narratio ad id quod v. 34 inceptum erat. Bacchides itaque audivit Ionathan cum suis esse in locis palustribus Iordanis et die sabbati venit cum manu militum valida ἕως τῶν κρηπίδων usque ad margines elatiores Iordanis. Eum etiam Iordanem transisse, consequitur ex. v. 34 et v. 44; adhortatur Ionathas suos ad fortiter pugnandum; indicat tale periculum iis imminere quale nunquam antea : *non est hodie sicut heri* etc.; nam v. 45 bellum est ante nos et pone nos, ex adverso seu a parte anteriore, et a tergo, a parte posteriore; aquae Iordanis circumdant nos (S), aqua hinc et inde i. e. inclusi

sunt et aquis Iordanis et palude seu locis palustribus et saltu vel loco silvestri. Ita ἔνθεν καὶ ἔνθεν refertur ad totam enuntiationem; aliis placet dictionem de aquis Iordanis explicare, ita scil. ut positi in sinu quodam seu inflexione Iordanis hinc et illinc habeant aquas sibi oppositas. Si Bacchides partem exercitus reliquit in ripa occidentali (id quod ex v. 43 consequi videtur), eo magis valet : et bellum a tergo *et non est locus divertendi*, nulla opportunitas pugnam declinandi. Quare sabbato quoque pugnare oportet (cf. 2,41); unde eos exhortatur, ut ad coelum, ad Deum clament pro sua salute.

Ex illa dimicatione narrantur tria; primo Ionathan ita prope accessisse ad Bacchidem, ut manum extendens illum percussurus fuisset, nisi ille celerrime retro cedens ictum declinasset v. 47; de Bacchide, non generatim de militibus seu exercitu Bacchidis verba esse intelligenda, elucet (contra *Gr. Ks.*) iam ex dictione *extendens manum*. Dein effertur Ionathan cum suis in Iordanem insiluisse et in ripam alteram εἰς τὸ πέραν i. e. trans Iordanem in ripam occidentalem transnatasse; milites autem Bacchidis οὐ διέβησαν ἐπ' αὐτοὺς τὸν Ἰορδάνην non transierunt ad eos Iordanem. Ionathas igitur maiore numero militum oppressus cladem suorum et stragem avertit natatione in ripam occidentalem, et milites Bacchidis non ausi sunt eos persequi. Textus graecus v. 48 clarus est; item S : et reversi sunt et transierunt Iordanem natatione Ionathas et qui cum eo, et non transierunt post eos (s caret ultima hac sententia). Iudaeos autem valide pugnasse, effertur tertio v. 49 occisos esse mille ex militibus Bacchidis; εἰς χιλίους circa mille (S; s vero tria millia, ita quoque 23. 55; Iosephus numerat duo millia). Apud profanos διαπίπτειν notione evadendi adhibetur, tempore posteriore etiam significatione pereundi, qua etiam apud LXX usurpatur (v. g. pro נבל Deut. 2,14. Ios. 21,45; cf. *Hatch*, Concordance I p. 308).

Ex modo quo Ionathas cum suis pugnam abrupit (v. 48), iam satis apparet eos impetum Bacchidis efficaciter reprimere minime potuisse. Id sequentibus quoque ostenditur. Nam Bacchides et milites eius *reversi sunt in Ierusalem;* insuper sine ullo impedimento ad Iudaeos coercendos in Iudaea arces, castella, munitiones constituunt v. 50 : aedificarunt i. e. vel de novo vel in arces commutarunt vel novis munitionibus confortarunt civitates munitas in Iudaea, castellum prope Iericho (cf. 16,15), et Ammaum (Emmaum cf. 3,40) et Bethoron; cf. 3,16, et Bethel (hodie Beitin), Thamnata תמנתה vel etiam תמנתתה; habetur Thamna oppidum nomine non uno in loco : in monte Iuda (Ios. 15,57), in tribu Dan (Ios. 15,10; 19,43; Iud. 14,1), hodie Tibne, haud longe a Saraa, Esthaol, Aialon, Bethsames; in tribu Ephraim (Ios. 19,50;

24,30; Iud. 2,9), hodie Tibne, septemtrionem versus a Ierusalem distans 7 horas (cf. *Guérin,* Revue archéol. 1865 I p. 100 seq.). Putant urbem in tribu Dan hoc loco intelligi; addunt *et* Pharathon (S, s, vulg Iosephus) cf. Iud. 12,15 in terra Ephraim, hodie Ferata, haud procul Sichimis Ioppen versus; et Thopo, Τεφών תפוח, censetur hodiernum Taffuh prope Hebron ad occidentem (cf. Ios. 15,53; oppidum eiusdem nominis etiam Ios. 15,34 in campestribus, in Schephela — aliud Ios. 16,8; 17,7). Haec oppida munita sunt *muris excelsis, portis et seris* μοχλοῖς, repagulis, claustris scil. ad claudendas et obserandas portas. In hisce oppidis seu arcibus posuit Bacchides praesidia, quae vexarent pios Israelitas v. 51. Plures quoque munitiones addidit urbi Bethsurae (cf. 4,61; 6,7. 26. 31. 50) et arci in Ierusalem (cf. 1,35. 36) et confortavit Gazaram (cf. 4,15) in iis quoque collocavit praesidia δυνάμεις, et *apparatum escarum,* παραθέσεις vide 6,53, commeatum reposuit.

Quo certius ac securius reprimeret conatum Ionathae iugum Syrorum dimicando excutiendi, Bacchides postulavit filios nobilium tamquam obsides eosque in arce in Ierusalem custodiendos curavit v. 53. Per quos obsides certe multos efficaciter absterruit, ne cum Ionatha arma ferrent.

Uno anno post mortem Iudae, anno 153 i. e. anno 159 a. Ch. in mense secundo (cf. 2 Par. 30,2 ut facerent phase mense secundo) praecepit Alcimus ut destrueretur murus atrii interioris sanctorum seu templi; atrium interius est atrium sacerdotum, in quo erat altare holocautomatum. Iussit destrui murum atrii sacerdotum templo sive sancto adiacentis; dicitur atrium interius seu aula interior ratione habita atrii exterioris seu atrii populi, laicorum. Cur voluit murum destruere? Muro isto separabantur sacerdotes a populo et populus prohibebatur ne propius ad sancta accederent; hoc itaque auferre ipsi videtur in animo fuisse; unde profanationem quandam templi meditabatur. Mandato suo καθεῖλε τὰ ἔργα τῶν προφητῶν, destruxit opera prophetarum; institutio enim sanctuarii refertur ad revelationem divinam Ex. 25,9. 40; 1 Par. 28,19 et admonitione prophetarum, Aggaei et Zachariae templum aedificatum est (cf. Agg. 1,8. 14; 2, 16. 19. Zach. 4,9 atque Alcimus quod iussione sua intendit etiam opere exsequi coepit. Verum eo tempore percussus est v. 55, ἐπλήγη apoplexia prostratus est; unde opera eius impedita sunt; ipse morbo quoque privatus est loquendi facultate, ita ut ne de domo sua disponere i. e. testamentum condere potuerit. Inter acerbos dolores diem obiit v. 56.

Bacchides simul cum Alcimo missus erat a rege in Iudaeam (9,1). Unde Bacchidi incubuit ut Alcimum in dignitate sua (7,21) tueretur

et contra partes piorum eum sustineret et defenderet. Eo igitur mortuo Bacchides eo magis ad regem reverti poterat quia castellis et praesidiis satis regionem subactam tenebat contra debiles si qui fierent conatus Ionathae v. 57. Et requievit terra annis duobus — hac requie indicatur pios a vexationibus fuisse liberos; cessasse itaque illud quod v. 51 dictum est. Merito in ista quiete cernitur effectus societatis cum Romanis initae et mandati ab eis Demetrio regi missi (8,31. 32).

4. *Apostatae bellum accendunt* 9,58-73.

9,58. *Et cogitaverunt omnes iniqui dicentes : ecce Ionathas et qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter; nunc ergo adducamus Bacchidem et comprehendet eos omnes una nocte.* 59. *Et abierunt et consilium ei dederunt.* 60. *Et surrexit ut veniret cum exercitu multo; et misit occulte epistolas sociis suis qui erant in Iudaea, ut comprehenderent Ionathan et eos qui cum eo erant; sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum.* 61. *Et apprehendit de viris regionis qui principes erant malitiae quinquaginta viros et occidit eos;* 62. *et secessit Ionathas et Simon et qui cum eo erant in Bethbessen, quae est in deserto, et exstruxit diruta eius et firmaverunt eam.*

63. *Et cognovit Bacchides et congregavit universam multitudinem suam et his qui de Iudaea erant denuntiavit;* 64. *et venit et castra posuit desuper Bethbessen et oppugnavit eam dies multos et fecit machinas.* 65. *Et reliquit Ionathas Simonem fratrem suum in civitate et exiit in regionem et venit cum numero;* 66. *et percussit Odaren et fratres eius et filios Phaseron in tabernaculis ipsorum et coepit caedere et crescere in virtutibus.* 67. *Simon vero et qui cum ipso erant exierunt de civitate et succenderunt machinas;* 68. *et pugnaverunt contra Bacchidem et contritus est ab eis et afflixerunt eum valde, quoniam consilium eius et congressus eius erat inanis;* 69. *et iratus contra viros iniquos qui ei consi-*

9,58. Καὶ ἐβουλεύσαντο πάντες οἱ ἄνομοι λέγοντες· ἰδοὺ Ἰωνάθαν καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ ἐν ἡσυχίᾳ κατοικοῦσι πεποιθότες· νῦν οὖν ἄξομεν τὸν Βακχίδην καὶ συλλήψεται αὐτοὺς πάντας ἐν νυκτὶ μιᾷ. 59. Καὶ πορευθέντες συνεβουλεύσαντο αὐτῷ. 60. Καὶ ἀπῆρε τοῦ ἐλθεῖν μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ ἀπέστειλεν ἐπιστολὰς λάθρα πᾶσι τοῖς συμμάχοις αὐτοῦ τοῖς ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ὅπως συλλάβωσι τὸν Ἰωνάθαν καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ· καὶ οὐκ ἠδύναντο, ὅτι ἐγνώσθη αὐτοῖς ἡ βουλὴ αὐτῶν. 61. Καὶ συνέλαβον ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν τῆς χώρας τῶν ἀρχηγῶν τῆς κακίας εἰς πεντήκοντα ἄνδρας καὶ ἀπέκτειναν αὐτούς. 62. Καὶ ἐξεχώρησεν Ἰωνάθαν καὶ Σίμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ εἰς Βαιθβασὶ τὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ ὠκοδόμησε τὰ καθῃρημένα αὐτῆς καὶ ἐστερέωσαν αὐτήν.

63. Καὶ ἔγνω Βακχίδης καὶ συνήγαγε πᾶν τὸ πλῆθος αὐτοῦ καὶ τοῖς ἐκ τῆς Ἰουδαίας παρήγγειλε. 64. καὶ ἐλθὼν παρενέβαλεν ἐπὶ Βαιθβασὶ καὶ ἐπολέμησεν αὐτὴν ἡμέρας πολλὰς καὶ ἐποίησε μηχανάς. 65. Καὶ ἀπέλιπεν Ἰωνάθαν Σίμωνα τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῇ πόλει καὶ ἐξῆλθεν εἰς τὴν χώραν καὶ ἦλθεν ἐν ἀριθμῷ· 66. καὶ ἐπάταξεν Ὀδομηρὰ καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ καὶ τοὺς υἱοὺς Φασιρὼν ἐν τῷ σκηνώματι αὐτῶν καὶ ἐξήρξατο τύπτειν καὶ ἀναβαίνειν ἐν ταῖς δυνάμεσι. 67. Καὶ Σίμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ἐξῆλθον ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἐνεπύρισαν τὰς μηχανάς· 68. καὶ ἐπολέμησαν πρὸς τὸν Βακχίδην καὶ συνετρίβη ὑπ' αὐτῶν καὶ ἔθλιβον αὐτὸν σφόδρα, ὅτι ἦν ἡ βουλὴ αὐτοῦ καὶ ἡ ἔφοδος αὐτοῦ κενή. 69. Καὶ ὠργίσθη θυμῷ τοῖς ἀνδράσι τοῖς ἀνόμοις τοῖς συμβουλεύσασιν αὐτῷ ἐλθεῖν εἰς τὴν χώραν, καὶ ἀπέκτεινεν ἐξ αὐτῶν

lium dederant, ut veniret in regionem ipsorum, multos ex eis occidit; ipse autem cogitavit cum reliquis abire in regionem suam.

70. *Et cognovit Ionathas et misit ad eum legatos componere pacem cum ipso et reddere ei captivitatem.* 71. *Et libenter accepit et fecit secundum verba eius et iuravit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitae eius;* 72. *et reddidit ei captivitatem quam prius erat praedatus de terra Iuda; et conversus abiit in terram suam et non apposuit amplius venire in fines eius.* 73. *Et cessavit gladius ex Israel et habitavit Ionathas in Machmas et coepit Ionathas ibi iudicare populum et exterminavit impios ex Israel.*

πολλοὺς, καὶ ἐβουλεύσατο τοῦ ἀπελθεῖν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ.

70. Καὶ ἐπέγνω Ἰωνάθαν καὶ ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν πρέσβεις τοῦ συνθέσθαι πρὸς αὐτὸν εἰρήνην καὶ ἀποδοῦναι αὐτοῖς τὴν αἰχμαλωσίαν. 71. Καὶ ἀπεδέξατο καὶ ἐποίησε κατὰ τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ ὤμοσεν αὐτῷ μὴ ἐκζητῆσαι αὐτῷ κακὸν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ· 72. καὶ ἀπέδωκεν αὐτῷ τὴν αἰχμαλωσίαν ἣν ἠχμαλώτευσε τὸ πρότερον ἐκ γῆς Ἰούδα, καὶ ἀποστρέψας ἀπῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ καὶ οὐ προσέθετο ἔτι ἐλθεῖν εἰς τὰ ὅρια αὐτῶν. 73. Καὶ κατέπαυσε ῥομφαία ἐξ Ἰσραὴλ καὶ ᾤκησεν Ἰωνάθαν ἐν Μαχμάς· καὶ ἤρξατο Ἰωνάθαν κρίνειν τὸν λαὸν καὶ ἠφάνισε τοὺς ἀσεβεῖς ἐξ Ἰσραήλ.

In v. 61 συνελαβον A 23. 55. 62. 106; consentit ℵ συνεβαλον; addunt οι περι τον Ιωναθαν 64. 93. sim. S; συνελαβοντο apprehenderunt sibi.

Pacem turbant apostatae Iudaeorum, qui ferre non possunt quod pii Israelitae duce Ionathan tuti ac securi in quiete vitam degunt v. 58; οἱ ἄνομοι exleges, qui scil. legem patriam abiecerunt, ἐβουλεύσαντο consilium ceperunt; si nunc itaque adduxerimus Bacchidem, facile omnes una nocte comprehendet. Eorum aliqui ad Bacchidem profecti tale ei dederunt consilium. Haud ingratus talis Bacchidi erat nuntius; Bacchides cum exercitu in Iudaeam iamiam profecturus epistolas clam misit ad omnes qui ex suis partibus erant scil. τοῖς συμμάχοις αὐτοῦ sociis suis belli contra pios, quibus praecepit ut Ionathan eiusque asseclas comprehenderent v. 60. Sed multis illis epistolis ad multos missis res non potuit latere; nam Ionathas pro sua ducis prudentia omne cautionis genus adhibebat contra apostatas neque improbabile est unum alterumve ex apostatis tamen abhorruisse ab eiusmodi scelere et periculum Ionathae innuisse. Ionathan in machinationes apostatarum sollerter invigilasse ex eo etiam ostenditur, quod v. 61 principes eorum et architectos sceleris, viros quinquaginta, apprehensos morte mulctavit; συνελάβοντο scil. Ionathan et socii eius (uti S etiam effert). Uti Mathathias pater et Iudas frater Ionathas quoque zelum legis habens vindex exstitit impietatis (cf. Deut. 13,6 seq.). Iosephus a Bacchide quinquaginta viros occisos esse explicat.

Contra invasionem Bacchidis, qui ab ipsis Iudaeis invitatus et caedibus illis a Ionathan perpetratis suam in Iudaeam expeditionem apud Romanos excusare et commendare poterat, Ionathas et Simon sese

receperunt in Bethbessen, Βαιθασί, Βηθαλαγάν (Iosephus) in deserto ἐν τῇ ἐρήμῳ, in deserto, de quo iam mentio facta est v. 33; ceterum Bethbessen plane ignotum est; ibique firmam sibi construxerunt munitionem v. 62. Quo audito Bacchides et suos collegit milites et Iudaeis apostatis, scil. τοῖς συμμάχοις αὐτοῦ (v. 59) praecepit ut sibi iungerentur ad pugnandum v. 63; tum castra posuit contra Bethbessen et obsedit urbem diuque eam adhibitis machinis oppugnavit v. 64. Sed munitio illa valde firma erat natura et arte et facile teneri poterat contra oppugnatores. Id iure concluditur ex eo quia v. 65 Ionathas ausus est Simonem fratrem suum ibi relinquere, et cum parva manu exire in regionem. Clam itaque (λάθρα, Iosephus) ex urbe egressus alios sibi asseclas adiungere potuit, *et venit cum numero* ἐν ἀριθμῷ i. e. cum tot quot facile numerantur, cum paucis (cf. LXX Is. 10,19; a contrario maxima multitudo designatur οὐκ ἦν ἀριθμός Gen. 41,49 scil. abundantiae tritici; Iob 5,9 mirabilia absque numero; item 9,10; 2 Par. 21,4 hebr. LXX). Cum parva itaque manu duas tribus percussit *Odaren et fratres eius et filios Phaseron;* fuisse nomades concluditur quia eos percussit ἐν τῷ σκηνώματι αὐτῶν, quorum domicilium constabat tabernaculis, tentoriis (Zeltlager). Praebent Οδομηρα ℵ A 23. 44. al; alii Οδαρρην, similiter S, s; sitne nomen principis vel stirpis, incertum est. In aperta igitur regione coepit Ionathan *caedere* τύπτειν, pugnare et hostes in fugam convertere, verberare et ἀναβαίνειν ascendere, scil. contra Bethbessen, ἐν ταῖς δυνάμεσι cum copiis quas habebat. Quia feliciter pugnabat, dubium non est quin ex variis regionibus pii Israelitae signa eius subsecuti sint. Cum itaque ascenderet in Bethbessen (v. 66), Simon id advertens cum suis eruptionem fecit ex urbe contra obsidentes; succenderunt machinas v. 67, et proelio commisso Bacchides victus fugatusque est v. 68; magnum ei moerorem attulerunt Ionathas et Simon, *afflixerunt eum valde*, magnam tristitiam expertus est Bacchides, quia consilium eius et expeditio, ἔφοδος, incursio eius κενή eventum et successum minime habebat. Quare spe illa quam ipsi obtenderant misere erepta Bacchides vehementer indignatus in viros illos ἀνόμους apostatas a lege, qui ei suaserant expeditionem, multos ex eis occidit, ἀπέκτειναν scil. milites iubente duce, simili modo ὠργίσθησαν ℵ, A, 56 al. scil. milites quoque, quibus promissiones illae falsae (v. 58) notae erant; sed S, s praebent, uti vulg. Bacchides autem consilium cepit redeundi in regionem suam.

Hac opportunitate prudenter usus est Ionathas ad aequas pacis conditiones impetrandas v. 70; legatis missis Bacchidi proposuit, componere pacem ut vellet et reddere quos cepisset captivos. Id quod Bacchides accepit v. 71 (illud *libenter* vulg. etiam s proprio expressit

verbo), *fecit secundum verba eius* i. e. reddidit captivos et iuravit se nihil facturum ei mali, se ab omni incursione hostili abstenturum esse (cf. 6,18). Omnibus captivis remissis v. 72 rediit Bacchides in regionem suam, iam non reversurus unquam in fines Iudaeae. Ita *gladius* i. e. bellum cessavit ex Israel et Ionathas pace restituta habitavit in Machmas, in finibus tribus Beniamin, septemtrionem versus a Ierusalem novem millia passuum (hodie Mukhmas); inde *coepit iudicare populum* τὸν λαόν, ius dicere et moderari secundum legem et mores paternos; quare etiam effectum est, ut impii sese deberent occultare et in latebris se abscondere et quasi evanescere ex Israel; confer ἠφάνισε.

Conqueritur *Niese* adesse magnam lacunam annorum septem inter mortem Alcimi pontificis et elevationem Ionathae, inter 160/159 et 153/2 ante Christum (l. c. p. 41). At lacuna haec satis ab auctore videtur esse impleta. Nam narratur 9,57 post Alcimi mortem Bacchidem ad regem reversum esse; siluisse terram per duos annos; tum sequitur quod modo audivimus 9,58-73 et quod Ionathas egerit per illos annos quinque satis indicatur; pace conclusa *iudicavit populum, exterminavit impios ex Israel;* cum exteris erat pax : *cessavit gladius ex Israel.* Ex modo narrandi quem alias sequitur auctor quid ultra erat exspectandum?

5. *Demetrius et Alexander expetunt amicitiam Ionathae* 10,1-21.

10,1. *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius qui cognominatus est Nobilis, et occupavit Ptolemaidam et receperunt eum et regnavit illic.* 2. *Et audivit Demetrius rex et congregavit exercitum copiosum valde et exivit obviam illi in proelium.* 3. *Et misit Demetrius epistolam ad Ionathan verbis pacificis, ut magnificaret eum.* 4. *Dixit enim : anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum Alexandro adversum nos;* 5. *recordabitur enim omnium malorum quae fecimus in eum et in fratrem eius et in gentem eius.* 6. *Et dedit ei potestatem congregandi exercitum et fabricare arma et esse ipsum socium eius, et obsides qui erant in arce iussit tradi ei.*

7. *Et venit Ionathas in Ierusalem et legit epistolas in auditu omnis populi et eorum qui in arce erant.* 8. *Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem con-*

10,1. Καὶ ἐν ἔτει ἑξηκοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἀνέβη Ἀλέξανδρος ὁ τοῦ Ἀντιόχου ὁ Ἐπιφανὴς καὶ κατελάβετο Πτολεμαΐδα καὶ ἀπεδέξαντο αὐτὸν καὶ ἐβασίλευσεν ἐκεῖ. 2. Καὶ ἤκουσε Δημήτριος ὁ βασιλεὺς καὶ συνήγαγε δυνάμεις πολλὰς σφόδρα καὶ ἐξῆλθεν εἰς συνάντησιν αὐτῷ εἰς πόλεμον. 3. Καὶ ἀπέστειλε Δημήτριος πρὸς Ἰωνάθαν ἐπιστολὰς λόγοις εἰρηνικοῖς ὥστε μεγαλῦναι αὐτόν. 4. Εἶπε γὰρ· προφθάσωμεν τοῦ εἰρήνην θεῖναι μετ' αὐτοῦ, πρὶν ἢ θεῖναι αὐτὸν μετὰ Ἀλεξάνδρου καθ' ἡμῶν· 5. μνησθήσεται γὰρ πάντων τῶν κακῶν ὧν συνετελέσαμεν πρὸς αὐτὸν καὶ εἰς τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ καὶ εἰς τὸ ἔθνος αὐτοῦ. 6. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ἐξουσίαν συναγαγεῖν δυνάμεις καὶ κατασκευάζειν ὅπλα καὶ εἶναι αὐτὸν σύμμαχον αὐτοῦ, καὶ τὰ ὅμηρα τὰ ἐν τῇ ἄκρᾳ εἶπε παραδοῦναι αὐτῷ.

7. Καὶ ἦλθεν Ἰωνάθαν εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ ἀνέγνω τὰς ἐπιστολὰς εἰς τὰ ὦτα παντὸς τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἐκ τῆς ἄκρας. 8. Καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν ὅτε ἤκουσαν ὅτι ἔδωκεν αὐτῷ ὁ βασιλεὺς ἐξουσίαν συναγαγεῖν δυνάμεις.

gregandi exercitum. 9. Et traditi sunt Ionathae obsides et reddidit eos parentibus suis. 10. Et habitavit Ionathas in Ierusalem et coepit aedificare et innovare civitatem; 11. et dixit facientibus opera, ut exstruerent muros et montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem; et ita fecerunt. 12. Et fugerunt alienigenae qui erant in munitionibus quas Bacchides aedificaverat; 13. et reliquit unusquisque locum suum et abiit in terram suam; 14. tantum in Bethsura remanserunt aliqui ex his qui reliquerant legem et praecepta Dei; erat enim haec eis ad refugium.

15. Et audivit Alexander rex promissa quae promisit Demetrius Ionathae; et narraverunt ei proelia et virtutes quas ipse fecit et fratres eius et labores quos laboraverunt; 16. et ait: numquid inveniemus aliquem virum talem? et nunc faciemus eum amicum et socium nostrum.

17. Et scripsit epistolam et misit ei secundum haec verba dicens: 18. Rex Alexander fratri Ionathae salutem. 19. Audivimus de te, quod vir potens sis viribus et aptus es ut sis amicus noster; 20. et nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuae et ut amicus voceris regis (et misit ei purpuram et coronam auream) et quae nostra sunt sentias nobiscum et conserves amicitias ad nos.

21. Et induit se Ionathas stola sancta septimo mense anno centesimo sexagesimo in die solemni scenopegiae, et congregavit exercitum et fecit arma copiosa.

9. Καὶ παρέδωκαν οἱ ἐκ τῆς ἄκρας Ἰωνάθαν τὰ ὅμηρα, καὶ ἀπέδωκεν αὐτοὺς τοῖς γονεῦσιν αὐτῶν. 10. Καὶ ᾤκησεν Ἰωνάθαν ἐν Ἱερουσαλὴμ καὶ ἤρξατο οἰκοδομεῖν καὶ καινίζειν τὴν πόλιν· 11. καὶ εἶπε πρὸς τοὺς ποιοῦντας τὰ ἔργα οἰκοδομεῖν τὰ τείχη καὶ τὸ ὄρος Σιὼν κυκλόθεν ἐκ λίθων τετραγώνων εἰς ὀχύρωσιν· καὶ ἐποίησαν οὕτως. 12. Καὶ ἔφυγον οἱ ἀλλογενεῖς οἱ ὄντες ἐν τοῖς ὀχυρώμασιν οἷς ᾠκοδόμησε Βακχίδης· 13. καὶ κατέλιπεν ἕκαστος τὸν τόπον αὐτοῦ καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ· 14. πλὴν ἐν Βαιθσούροις ὑπελείφθησάν τινες τῶν καταλιπόντων τὸν νόμον καὶ τὰ προστάγματα· ἦν γὰρ αὐτοῖς φυγαδευτήριον.

15. Καὶ ἤκουσεν Ἀλέξανδρος ὁ βασιλεὺς τὰς ἐπαγγελίας ὅσας ἀπέστειλε Δημήτριος τῷ Ἰωνάθαν καὶ διηγήσαντο αὐτῷ τοὺς πολέμους καὶ τὰς ἀνδραγαθίας ἃς ἐποίησεν αὐτὸς καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ τοὺς κόπους οὓς ἔσχον· 16. καὶ εἶπε· μὴ εὑρήσομεν ἄνδρα τοιοῦτον ἕνα; καὶ νῦν ποιήσομεν αὐτὸν φίλον καὶ σύμμαχον ἡμῶν.

17. Καὶ ἔγραψεν ἐπιστολὰς καὶ ἀπέστειλεν αὐτῷ κατὰ τοὺς λόγους τούτους λέγων· 18. Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος τῷ ἀδελφῷ Ἰωνάθαν χαίρειν. 19. Ἀκηκόαμεν περὶ σοῦ ὅτι ἀνὴρ δυνατὸς ἰσχύϊ καὶ ἐπιτήδειος εἶ τοῦ εἶναι ἡμῖν φίλος· 20. καὶ νῦν καθεστάκαμέν σε σήμερον ἀρχιερέα τοῦ ἔθνους σου καὶ φίλον βασιλέως καλεῖσθαι [καὶ ἀπέστειλεν αὐτῷ πορφύραν καὶ στέφανον χρυσοῦν,] καὶ φρονεῖν τὰ ἡμῶν καὶ συντηρεῖν φιλίαν πρὸς ἡμᾶς.

21. Καὶ ἐνεδύσατο Ἰωνάθαν τὴν ἁγίαν στολὴν τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ ἔτους ἑξηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἐν ἑορτῇ σκηνοπηγίας, καὶ συνήγαγε δυνάμεις καὶ κατεσκεύασεν ὅπλα πολλά.

Uti Diodorus siculus narrat, Smyrnae vixit puer quidam qui oris specie Antiocho Eupatori, priori regi Syriae simillimus et eiusdem fere aetatis fuit et propter hanc similitudinem a multis habebatur filius Antiochi Epiphanis (cf. *Müller*, Fragm. hist. gr. II p. XII n. 14). Erat is quidem Balas, sortis extremae iuvenis (Iustinus 35,1). Hunc Attalus II rex Pergami accersitum diademate ornavit et odio in Demetrium impulsus rumores per Syriam spargendos curavit, iuvenem illum in regnum paternum rediturum esse tempore opportuno. Ei in-

ditum est Alexandri nomen. Heraclides autem, qui ab Antiocho Epiphane aerario praefectus erat, sed eiectus fuerat a Demetrio (App. Syr. 45. 47), eum Romam adductum senatoribus romanis filium esse Antiochi affirmavit et aequum iustumque esse contendit, ut ei, proli legitimae Antiochi, reditus in patriam concederetur; « sed eorum omnium quae dicebat iste, nihil quidquam placebat sanae mentis hominibus, qui et fictam eam esse commentitiamque fabulam intelligebant et Heraclidem palam abominabantur; at senatores quos praestigiis suis Heraclides sibi conciliaverat, senatus consultum ediderunt, quo permissum est, ut in patrium regnum velut postliminio reverteretur, et ferre ei opem decernere placuit » (Polyb. 33,16). Idem Alexander (Balas) praeterea adiutores habebat praeter Attalum etiam Ptolemaeum VI Philometorem, Aegypti regem, et Ariarathen, Cappadociae regem, qui omnes Demetrium odio habebant (App. Syr. 67. Iustinus 35,1). Insuper Demetrius ob crudelitatem quam per tormenta in suos exercebat (Livius, Epit. 52), exosus erat; nam « tantum odium Demetrii apud omnes erat ut aemulo eius non vires regiae tantum, verum etiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur » (Iust. l. c.), vel ut Athenaeus scribit, erat Alexander supposititius Antiochi Epiphanis filius propter omnium hominum adversus Demetrium odium (Athen. 5,47 ; cf. *Müller*, Fragm. hist. gr. III p. 657). Igitur Alexander « admirabili rerum varietate pristinarum sordium oblitus, totius ferme Orientis viribus succinctus bellum Demetrio infert » (Iust. l. c.).

Anno 160 i. e. anno 153/152 a. Ch. contra Demetrium expeditionem suscepit Alexander; nominatur ab auctore filius Antiochi; ut talis enim habebatur et a senatu romano quoque agnitus erat; ipse quoque nomen gerebat Epiphanes; occupavit Ptolemaidam (cf. 5,15) et quidem, ut Iosephus dicit, proditione militum praesidiariorum. Id quod probabile est; nam, ut Diodorus sic. scribit, Syria aegre ferebat austeritatem Demetrii; quapropter mutationis cupidi et exspectatione rei optatae suspensi erant, quasi iamiam regia potestas in manus mansuetioris regis transitura esset (*Müller*, fragm. l. c.). Quare etiam dicitur *et receperunt eum et regnavit illic* v. 1. Contra aemulum Demetrius et copias plurimas praeparavit v. 2 — nec Demetrio animus in propulsando bello defuit (ita Iust. l. c.) et opem et auxilium Ionathae sibi comparare studuit v. 3; misit ei litteras verbis pacificis (1,31; 5, 47), *ut magnificaret eum*, scil. ipsis epistolis ei contulit maiorem dignitatem et potestatem, uti in v. 6 declaratur; cur ita egerit Demetrius, ratio redditur v. 4; agnoscit enim fortitudinem Ionathae; timet ne partes Alexandri tueatur; vult ergo praevenire eumque sibi lucrari, ne ad aemulum transeat memor iniuriarum; εἰς τοὺς ἀδελφοὺς

αὐτοῦ, idem S, s; melius quam quod vulg *in fratrem eius*. Ex v. 6 simul elucet, quam arcta et restricta fuerit illa iudicandi populi potestas (9,73) quam Ionathas sub imperio regis exercere potuit pace cum Bacchide facta. Nam tum tandem quaedam res libere administrandi species ei conceditur, scil. exercitum colligere, parare arma; socium belli eum vult rex; obsides (9,53) ut tandem liberentur ei concedit. Quamdiu obsides erant in arce, Ionathas nihil aggredi poterat ad opprimendos aut exterminandos apostatas; erant illi quasi pignora per quae zelus eius legis contineri deberet.

Potestatem sibi traditam Ionathas in urbem Ierusalem profectus et incolis et militibus in arce lecta regis epistola annuntiavit v. 7, εἰς τὰ ὦτα cf. Ex. 24,7 hebr, LXX. Qui a lege defecerant Iudaei et qui inter alienigenas animos gerebant hostiles in pios Dei cultores valde perterriti sunt audientes Ionathae concessum esse copias colligere v. 8. Ex regis mandato obsides, filii nobilium (9,53) parentibus redditi sunt. Ionathas autem prudenter usus potestate sibi tradita in ipsa urbe Ierusalem et sedem sibi fixit et urbem *coepit aedificare et innovare*, diruta instaurare, ruinosa reparare, novis aedificiis urbem ornare; atque praeprimis ei curae erat v. 11 urbem et montem Sion i. e. montem templi circumquaque munire moenibus ex lapidibus quadratis firmiter exstructis. Cum itaque Ionathas dominationi suae fortiter ac prudenter provideret, consultum videbatur alienigenis terrae Iudaeorum tergum vertere et in suam quemque patriam redire; unde factum est, ut munitiones quas aedificaverat Bacchides (9,50) ab incolis extraneis, alienigenis relinquerentur; solum in Bethsura remanebant aliqui apostatae (9,52), in qua arce se firmum habere refugium sperabant. Praesidia Syrorum in arce Ierusalem et in munitionibus pariter remanebant.

Fratres Machabaei quantam admirationem rebus fortiter gestis iniecerint adversariis quoque, documento sunt studia quibus et Demetrius et Alexander Ionathan ad suas quisque partes pertrahere conabantur. Nam postquam Alexander certior factus est de promissis quae Demetrius Ionathae dedit et a suis asseclis audivit narrari de facinoribus praeclaris fratrum Machabaeorum v. 15, admiratione de tali viro captus eum sibi socium et amicum facere decrevit v. 16 numquid inveniemus unum talem virum? scil. qui ei sit aequalis, iam non invenietur; quare eum nobis socium et amicum facere oportet! Scripsit itaque ei epistolam; ut benevolentiam Ionathae quam maxime capiat, eum tamquam sibi aequalem ac regiae dignitatis consortem in ipsa inscriptione salutat eum nominando fratrem; χαίρειν apud Graecos solita est in initio epistolarum salutatio; cf. v. 25; 11,30. 32; 12,6.

20; 13,36 etc. et vide Act. 15,23; 23,26. Iac. 1,1. Generatim in libris Mach. reges loqui inducuntur in epistolis plurali maiestatico qui dicitur; cf. 11,31; 12,22; 13,37; ita hic quoque : *audivimus*; laudat in Ionatha fortitudinem; inde regi qui bello sibi vindicare debet regnum, cumprimis est acceptus, φίλος titulus est honoris : familiaris regis, amicus ei carus; quem titulum ut publice gerat et quo ab omnibus honorifice salutetur, rex constituit. Porro ut eum suae causae addicat, eum statim constituit summum sacerdotem eique tamquam regis amico et principi ordinis sacerdotalis mittit insignia regia : purpuram et coronam auream. Per septem fere annos a morte Alcimi (9,54) non erat pontifex constitutus. Ex quo enim tempore Iason promissa pecunia ab Antiocho rege petebat ut sibi summum conferretur sacerdotium (2 Mach. 4,7 seq.), reges Syriae suae dominationis esse volebant constituere pontificem. Quare Alexander statim hoc sibi ius vindicans collatione dignitatis Ionathan sibi adiungere studet; καὶ φρονεῖν τὰ ἡμῶν; admonet eum, ut suam (regis) causam tueatur, a suis partibus stet, pro regis commodo et utilitate sollicitus sit.

Ionathas ornatum pontificalem — τὴν ἁγίαν στολήν — prima vice induit mense septimo i. e. tempore festi tabernaculorum, scenopegiae, die 15 eius mensis. Festis diebus peractis provide parare studuit copias easque omni armorum genere copiose instruere satagebat. Uti antea iam notatum est ex v. 1 et 21 colligitur indicium satis clarum anni initium non esse sumendum a mense tischri, mense septimo.

6. *Quae Demetrius promiserit* 10,22-45.

10,22. *Et audivit Demetrius verba ista et contristatus est nimis et ait :* 23. *Quid hoc fecimus, quod praeoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudaeorum ad munimen sui?* 24. *Scribam et ego illis verba deprecatoria et dignitates et dona, ut sint mecum in adiutorium.* 25. *Et scripsit eis in haec verba :*

Rex Demetrius genti Iudaeorum salutem. 26. *Quoniam servastis ad nos pactum, et mansistis in amicitia nostra et non accessistis ad inimicos nostros, audivimus et gavisi sumus.* 27. *Et nunc perseverate adhuc conservare ad nos fidem, et retribuemus vobis bona pro his quae fecistis nobiscum;* 28. *et remittemus vobis praestationes multas et da-*

10,22. Καὶ ἤκουσε Δημήτριος τοὺς λόγους τούτους καὶ ἐλυπήθη καὶ εἶπε· 23. τί τοῦτο ἐποιήσαμεν ὅτι προέφθακεν ἡμᾶς ὁ Ἀλέξανδρος τοῦ φιλίαν καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις εἰς στήριγμα; 24. γράψω αὐτοῖς κἀγὼ λόγους παρακλήσεως καὶ ὕψους καὶ δομάτων, ὅπως ὦσι σὺν ἐμοὶ εἰς βοήθειαν. 25. Καὶ ἀπέστειλεν αὐτοῖς κατὰ τοὺς λόγους τούτους.

Βασιλεὺς Δημήτριος τῷ ἔθνει τῶν Ἰουδαίων χαίρειν. 26. Ἐπεὶ συνετηρήσατε τὰς πρὸς ἡμᾶς συνθήκας καὶ ἐνεμείνατε τῇ φιλίᾳ ἡμῶν καὶ οὐ προσεχωρήσατε τοῖς ἐχθροῖς ἡμῶν, ἠκούσαμεν καὶ ἐχάρημεν. 27. Καὶ νῦν ἐμμείνατε ἔτι τοῦ συντηρῆσαι πρὸς ἡμᾶς πίστιν καὶ ἀνταποδώσομεν ὑμῖν ἀγαθὰ ἀνθ' ὧν ποιεῖτε μεθ' ἡμῶν. 28. Καὶ ἀφήσομεν ὑμῖν ἀφέματα πολλὰ καὶ δώσομεν ὑμῖν δόματα.

bimus vobis donationes. 29. Et nunc absolvo vos et omnes Iudaeos a tributis et pretia salis indulgeo et coronas remitto et tertias seminis 30. et dimidiam partem fructus ligni quod est portionis meae, relinquo vobis ex hodierno die et deinceps, ne accipiatur a terra Iuda et a tribus civitatibus, quae additae sunt illi ex Samaria et Galilaea, ex hodierna die et in totum tempus; 31. et Ierusalem sit sancta et libera cum finibus suis et decimae et tributa ipsius sint.

32. *Remitto etiam potestatem arcis quae est in Ierusalem et do eam summo sacerdoti, ut constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit qui custodiant eam. 33. Et omnem animam Iudaeorum quae captiva est a terra Iuda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, ut omnes a tributis solvantur etiam pecorum suorum. 34. Et omnes dies solemnes et sabbata et neomeniae et dies decreti et tres dies ante diem solemnem, et tres dies post diem solemnem sint omnes immunitatis et remissionis omnibus Iudaeis qui sunt in regno meo. 35. Et nemo habebit potestatem agere aliquid et movere negotia adversus aliquem illorum in omni causa. 36. Et ascribantur ex Iudaeis in exercitu regis ad triginta millia virorum, et dabuntur illis copiae ut oportet omnibus exercitibus regis et ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni; 37. et ex his constituentur super negotia regni, quae aguntur ex fide, et principes sint ex eis et ambulent in legibus suis sicut praecepit rex in terra Iuda.*

38. *Et tres civitates quae additae sunt Iudaeae ex regione Samariae cum Iudaea reputentur, ut sint sub uno et non obediant alii potestati, nisi summi sacerdotis. 39. Ptolemaida et confines eius quas dedi donum sanctis qui sunt in Ierusalem, ad necessarios sumptus sanctorum. 40. Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de*

29. Καὶ νῦν ἀπολύω ὑμᾶς καὶ ἀφίημι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ τῶν φόρων καὶ τῆς τιμῆς τοῦ ἁλὸς καὶ ἀπὸ τῶν στεφάνων καὶ ἀντὶ τοῦ τρίτου τῆς σπορᾶς, 30. καὶ ἀντὶ τοῦ ἡμίσους τοῦ καρποῦ τοῦ ξυλίνου τοῦ ἐπιβάλλοντός μοι λαβεῖν, ἀφίημι ἀπὸ τῆς σήμερον καὶ ἐπέκεινα τοῦ λαβεῖν ἀπὸ τῆς γῆς Ἰούδα καὶ ἀπὸ τῶν τριῶν νομῶν τῶν προστιθεμένων αὐτῇ ἀπὸ τῆς Σαμαρείτιδος (καὶ Γαλιλαίας) καὶ ἀπὸ τῆς σήμερον ἡμέρας καὶ εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον. 31. Καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔστω ἁγία καὶ ἀφειμένη καὶ τὰ ὅρια αὐτῆς, αἱ δεκάται καὶ τὰ τέλη.

32. Ἀφίημι καὶ τὴν ἐξουσίαν τῆς ἄκρας τῆς ἐν Ἱερουσαλὴμ καὶ δίδωμι τῷ ἀρχιερεῖ, ὅπως ἂν καταστήσῃ ἐν αὐτῇ ἄνδρας οὓς ἂν ἐκλέξηται αὐτὸς τοῦ φυλάσσειν αὐτήν. 33. Καὶ πᾶσαν ψυχὴν Ἰουδαίων τὴν αἰχμαλωτισθεῖσαν ἀπὸ γῆς Ἰούδα εἰς πᾶσαν βασιλείαν μου ἀφίημι ἐλευθέραν δωρεάν· καὶ πάντες ἀφιέτωσαν τοὺς φόρους καὶ τῶν κτηνῶν αὐτῶν. 34. Καὶ πᾶσαι αἱ ἑορταὶ καὶ τὰ σάββατα καὶ νουμηνίαι καὶ ἡμέραι ἀποδεδειγμέναι καὶ τρεῖς ἡμέραι πρὸ ἑορτῆς καὶ τρεῖς ἡμέραι μετὰ ἑορτὴν ἔστωσαν πᾶσαι αἱ ἡμέραι ἀτελείας καὶ ἀφέσεως πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις τοῖς οὖσιν ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. 35. Καὶ οὐχ ἕξει ἐξουσίαν οὐδεὶς πράσσειν καὶ παρενοχλεῖν τινὰ αὐτῶν περὶ παντὸς πράγματος. 36. Καὶ προγραφήτωσαν τῶν Ἰουδαίων εἰς τὰς δυνάμεις τοῦ βασιλέως εἰς τριάκοντα χιλιάδας ἀνδρῶν καὶ δοθήσεται αὐτοῖς ξένια ὡς καθήκει πάσαις ταῖς δυνάμεσι τοῦ βασιλέως, καὶ κατασταθήσεται ἐξ αὐτῶν ἐν τοῖς ὀχυρώμασι τοῦ βασιλέως τοῖς μεγάλοις· 37. καὶ ἐκ τούτων κατασταθήσεται ἐπὶ χρειῶν τῆς βασιλείας τῶν οὐσῶν εἰς πίστιν, καὶ οἱ ἐπ' αὐτῶν καὶ οἱ ἄρχοντες ἔστωσαν ἐξ αὐτῶν καὶ πορευέσθωσαν τοῖς νόμοις αὐτῶν, καθὰ καὶ προσέταξεν ὁ βασιλεὺς ἐν γῇ Ἰούδα.

38. Καὶ τοὺς τρεῖς νομοὺς τοὺς προστεθέντας τῇ Ἰουδαίᾳ ἀπὸ τῆς χώρας Σαμαρείας προστεθήτω τῇ Ἰουδαίᾳ πρὸς τὸ λογισθῆναι τοῦ γενέσθαι ὑφ' ἕνα, τοῦ μὴ ὑπακοῦσαι ἄλλης ἐξουσίας ἀλλ' ἢ τοῦ ἀρχιερέως. 39. Πτολεμαΐδα καὶ τὴν προσκυροῦσαν αὐτῇ δέδωκα δόμα τοῖς ἁγίοις τοῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ εἰς τὴν προσκαθήκουσαν δαπάνην τοῖς ἁγίοις. 40. Κἀγὼ δίδωμι κατ' ἐνιαυτὸν δε-

rationibus regis quae me contingunt; 41. *et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus ex hoc dabunt in opera domus.* 42. *Et super haec quinque millia siclorum argenti, quae accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos, et haec ad sacerdotes pertineant qui ministerio funguntur.* 43. *Et quicumque confugerint in templum quod est in Ierusalem et in omnibus finibus eius, obnoxii regi in omni negotio dimittantur et universa quae sunt eis in regno meo libera habeant.* 44. *Et ad aedificanda vel restauranda opera sanctorum sumptus dabuntur de ratione regis;* 45. *et ad exstruendos muros Ierusalem et communiendos in circuitu sumptus dabuntur de ratione regis et ad construendos muros in Iudaea.*

καπέντε χιλιάδας σίκλων ἀργυρίου ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ βασιλέως ἀπὸ τῶν τόπων τῶν ἀνηκόντων· 41. καὶ πᾶν τὸ πλεονάζον ὃ οὐκ ἀπεδίδοσαν οἱ ἀπὸ τῶν χρειῶν ὡς ἐν τοῖς πρώτοις ἔτεσιν, ἀπὸ τοῦ νῦν δώσουσιν εἰς τὰ ἔργα τοῦ οἴκου. 42. Καὶ ἐπὶ τούτοις πεντακισχιλίους σίκλους ἀργυρίου οὓς ἐλάμβανον ἀπὸ τῶν χρειῶν τοῦ ἁγίου ἀπὸ τοῦ λόγου κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ ταῦτα ἀφίεται διὰ τὸ ἀνήκειν αὐτὰ τοῖς ἱερεῦσι τοῖς λειτουργοῦσι. 43. Καὶ ὅσοι ἂν φύγωσιν εἰς τὸ ἱερὸν τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτοῦ, ὀφείλων βασιλικὰ καὶ πᾶν πρᾶγμα ἀπολελύσθωσαν καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν αὐτοῖς ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. 44. Καὶ τοῦ οἰκοδομηθῆναι καὶ τοῦ ἐπικαινισθῆναι τὰ ἔργα τῶν ἁγίων, καὶ ἡ δαπάνη δοθήσεται ἐκ τοῦ λόγου τοῦ βασιλέως· 45. καὶ τοῦ οἰκοδομηθῆναι τὰ τείχη Ἱερουσαλὴμ καὶ ὀχυρῶσαι κυκλόθεν, καὶ ἡ δαπάνη δοθήσεται ἐκ τοῦ λόγου τοῦ βασιλέως, καὶ τοῦ οἰκοδομηθῆναι τὰ τείχη τὰ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ.

Demetrius affectus est tristitia, cum audiret, quid Alexander cum Ionathan tractasset v. 22; se ipsum v. 23 desidiae accusat et negligentiae, quod Alexander *nos praeoccupavit* φιλίαν καταθέσθαι comparare sibi amicitiam Iudaeorum εἰς στήριγμα, id quod firmum fulcrum dominationis eius erit. Peritiae rei militaris et fortitudini Iudaeorum praeclarum redditur testimonium. Ideo ipse quoque repetito illis scribere vult λόγους παρακλήσεως verba exhortationis, quibus excitentur ut ad partes eius se adiungant, καὶ ὕψους bene vulg *dignitates*, scil. verba quibus illis elevatio prae aliis, honores, dignitates promittuntur, καὶ δομάτων, verba quibus dona eis conferuntur. Hisce simul singulae partes epistolae iam indicantur et distinguuntur. Priorem epistolam Ionathae inscripsit. Hanc alteram vero genti Iudaeorum. Ratio discriminis ex eo petenda erit quod Ionathas accepta ab Alexandro dignitate (v. 21) Demetrio iam quasi rebellis erat habendus; quare totus in eo est, ut Ionatha plane ignorato populum sibi conciliare studeat; insuper eum non latebat, Iudaeorum multos, morum Graecorum amantes, minime a partibus stare Ionathae; unde ea quoque consideratione adhibita consultum erat ipsa epistolae inscriptione favorem populi captare.

Epistola multa cum prudentia et arte composita est. A magna captatione benevolentiae incipit Demetrius laudans fidem quam Iudaei sibi servarint et suum de ea gaudium ostentans v. 26; ut in ea perseverent,

se bona iis largiturum promittit v. 27. Quae bona (ἀγαθά) in eo primum consistunt, ut eos a variis oneribus liberet, secundo ut iis dona conferat v. 28; et illa quidem proponuntur v. 29-35, haec v. 36 et deinceps.

Remittit itaque omnibus Iudaeis τοὺς φόρους, *tributa*, i. e. si reliqua quae enumerantur considerantur, dicendum erit intelligi tributum in singula capita impositum (cf. Iosephus, Ant. 12,3,3 ἃ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τελοῦσι); dein *pretium salis*; multum salis acquirebatur ex mari mortuo, quod merito vocabatur mare salis (Gen. 14,3. Ios. 3,16 hebr). Tamquam ius sibi proprium reges sibi vindicabant salem eiusque pretium pro arbitrio statuebant; unde in emptione salis tributum simul solvebatur; καὶ ἀπὸ τῶν στεφάνων, *coronas* remittit; solebant regibus mitti coronae aureae, quae dona antea honoris causa missa mox evaserunt debita vel numerata pecunia solvebantur; pretium coronarum quas nobis afferre soliti eratis vobis condono (Iosephus 13,2,3), erat στεφανίτης φόρος (Iosephus 12,3,3), aurum coronarium (*Calm.*) cf. Cicero in Rullum 2,4; in Pis. 37; porro ex iis quae sibi contingant, remittit quae antea solvere debebant: tertiam partem seminis, σπορᾶς segetis seu messis agrorum, et dimidiam partem fructuum arbo m. Quam gravia onera iis imposita erant, exinde collige. Haec ut sumat sibi contingere affirmat, verum ἀφίημι ἀπὸ τῆς σήμερον ab hodierno die et deinceps ea remitto, et quidem terrae iudaicae et tribus illis regionibus Samariae quae additae sunt Iudaeae. Tres illae regiones, νομοί, recensentur 11,34: Aphaerema, Lydda, Ramathem, quae additae sunt Iudaeae ex Samaria; ibi nulla mentio Galilaeae; pariter omittitur Galilaea in longe plerisque v. 38; vix credi potest regionem aliquam Galilaeae attributam esse Iudaeae, longo Samariae tractu a Galilaea separatae; quare in v. 30 Galilaeae nomen erit delendum. Cum magna emphasi asserit repetito haec remitti illis regionibus ex hodierna die εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον in aeternum quoad tempus; cf. LXX Ex. 14,13. Is. 13,20; 18,7; 33,20. Bar. 3,32 etc. Quod graece habetur v. 30 νομῶν τῶν προστιθεμένων, vulg vertit: quae additae sunt, eodemque modo S, s; idque congruit cum v. 38 (νομοὺς τοὺς προστεθέντας), quare participium graecum praesens notionem adiectivi induit temporis ratione neglecta. Ita Iosephus quoque intellexit (τῶν τριῶν τοπαρχιῶν τῶν τῇ Ἰουδαίᾳ προσκειμένων); nam admitti nequit quod *Gr.* vult eas regiones hoc ipso versu attribui prima vice Iudaeae; omnes quippe largitiones enucleate enumerantur et novum hunc favorem Demetrius clare et distincte protulisset.

Porro Ierusalem sit sancta, ἔστω, esto ἁγία, habeatur urbs Deo sacra. Ad hanc consecrationem spectat quod Iosepho referente in aliquo

decreto regis Antiochi Magni de urbe et templo statuitur : ne alienigena intra templi consaeptum ingrediatur, neve in urbem inferantur carnes vel pelles animalium immundorum (Ant. 12,3,4); esto urbs ἀφειμένη liberata a tributo et simul cum ea etiam τὰ ὅρια αὐτῆς, regio ad urbem pertinens; pariter liberantur a tributo αἱ δεκάται καὶ τὰ τέλη *decimae* quas scil. sacerdotes et levitae a populo accipiebant; τὰ τέλη *tributa* scil. ea quae variis occasionibus solvi debebant; ita quotannis ab unoquoque solvebatur sanctuario dimidius siclus; pecuniae quibus vota redimebantur, quibus primogeniti pueri solvebantur, animalia immunda primogenita aestimabantur (Lev. 27,27; Num. 18,15), primitiae quoque frugum offerendae erant sacerdotibus (Num. 18,11; Deut. 18,4). Ab hisce igitur reges etiam tributum sibi solvendum exigebant; verum Demetrius illud remittit. Etiam maioris momenti est, quod v. 32 summo sacerdoti — nomen non apponitur; non vult Ionathan agnoscere talem — tradatur potestas arcis in Ierusalem, cuius milites praesidiarios pontifex eligat. Porro gratis in libertatem dimittere vult *omnem animam Iudaeorum* (viros, mulieres, pueros, puellas) quae a regione iudaica in captivitatem abducta sit εἰς πᾶσαν βασιλείαν μου in quamcumque regni partem; καὶ πάντες ἀφιέτωσαν τοὺς φόρους καὶ τῶν κτηνῶν αὐτῶν et omnes remittunto eis vectigalia, etiam animalium eorum, id quod Iosephus explicat : κελεύω δὲ μηδὲ ἀγγαρεύεσθαι τὰ Ἰουδαίων ὑποζύγια — alii verba referunt ad portitores, ne scil. Iudaeis portorium imponant. Prior acceptio eo commendari potest quod apud LXX מֵס redditur φόρος (Iud. 1,33. 3 Reg. 4,6; 9,21. 2 Par. 8,8); sed *omnes remittunto*, iste modus loquendi magis congruit portitoribus qui vectigalia a transeuntibus exigunt; si de angaria esset sermo, potius dicendum erat : Iudaei liberi sunto ab angaria, vel nemo ius habeto eos cogendi. Accedit quod in sequenti versu 34 liberatio quaedam a muneribus seu praestationibus indicatur. Dies enim festi omnes (sabbata, novilunia, dies ad vacandum Deo designati) et tres dies ante festum et tres dies post festum sunto omnes ἡμέραι ἀτελείας καὶ ἀφέσεως dies immunitatis ab operibus praestandis, dies remissionis, in quibus igitur Iudaeis neque opus seu angaria quaedam nec solutio vectigalis imponatur. Tres dies assignari videntur pro itinere ad festa illa tria (cf. Ex. 23,17; 34,23. 2 Par. 8,13) et pro reditu. Et haec conceduntur omnibus Iudaeis *qui sunt in regno meo*, ergo etiam extra Palaestinam. Iisdem diebus nemo habebit potestatem quemquam in ius vocandi vel ab eo exigendi solutionem vel ei molestiam creandi ob quamcumque causam v. 35. Haec itaque sunt, quae designantur in v. 28 : ἀφήσομεν ὑμῖν ἀφέματα πολλά. Iam sequuntur quaenam dona largiri velit : δώσομεν ὑμῖν δόματα.

Iudaeis in suo exercitu insignem honorem tribuere vult ratione numeri, munerum, dignitatum; ad 30 millia copiis regis adscribantur, scil. ex Iudaeis qui in universo eius regno incolunt; non ex sola Iudaea (ceterum cf. 12,41); iis cuncta donabuntur ξένια, sicut solent dari militibus regis, stipendia scil. militaria, quae copiis conductitiis, mercenariis, ξενίοις dari solent : vestimenta, victus, pecunia. Verum patet, si tantum numerum militum Iudaeorum sibi postulat, minime regem spectare solum honorem Iudaeorum, sed potissimum suam ipsius utilitatem, quam a tali exercitu in suam causam derivare poterit; nam quanta fortitudine Iudaei pugnarent, iam satis eum docuit experientia. Insuper si suo exercitui tot insereret Iudaeos, quomodo iam alii Iudaei suae dominationi se subtraherent? Milites Iudaeos etiam collocare vult in munitionibus regis magnis (graece, S, s); ergo firma praesidia eorum fidelitati committet, quod simul eis honorem confert et suam erga eos fiduciam testatur. Porro ex hisce militibus etiam assumere vult ad negotia regni tractanda gravissima, quae summam fidem requirunt, summum silentium, secretum summum (*Lap.*); ex iis quoque sunto ἄρχοντες, principes, magistratus in summis honoribus; καὶ οἱ ἐπ' αὐτῶν ipsis Iudaeis non praeficientur nisi Iudaei, et servanto leges suas, sicut rex etiam ordinavit in terra Iuda. Ut Iudaeos ad suas partes pertrahat, profitetur se tutorem legis; affirmat se praecepisse ut in regione iudaica lex servaretur. In pace illa cum Bacchide conclusa (9,70 seq.) tenuis quaedam eiusmodi praecepti umbra adverti potest. Iudaei etiam in exercitu Alexandri magni, Seleuci Nicatoris, Antiochi magni militabant (cf. Iosephus, Ant. 11,8,5; 12,3, 1. 3); ergo militarem vitam cum legis observatione aliquo modo consociari posse existimatum est; sabbato utique tum solum pugnabant, quando ipsi ab hostibus impugnabantur. Si itaque Demetrius scribit : ambulanto legibus suis, non rem impossibilem enuntiavit neque ea concessio documentum est maximae inconsiderantiae aut anxiae sollicitudinis Iudaeos omni modo ad se pertrahendi (id quod *Gr.* colligere vult).

Tres illae regiones Samariae (v. 30) attributae Iudaeae ita ei attribuuntur, ut immediate subsint ac regantur ab uno, scil. a summo sacerdote, qui solus potestatem in eas exerceat; plane itaque Iudaeis regiones illae subiiciuntur directe et immediate, non iis licet habere magistratum proprium. Ptolemaida simul cum regione ad eam pertinente dono dat τοῖς ἁγίοις, sanctuario quod est in Ierusalem in impensas quae sanctuario necessariae sunt; pro *sanctis qui* in vulg lege *quae* v. 39. Hoc itaque est primum donum pro templo *ad necessarios sumptus sanctorum* i. e. sanctuarii. Alterum donum rex ex suo adiun-

git aerario : 15 000 siclorum argenti se quotannis daturum promittit, ἀπὸ τῶν τόπων τῶν ἀνηκόντων ex locis convenientibus i. e. ex iis locis ex quibus commode fieri potest haec pecunia collecta solvetur; ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ βασιλέως *ex rationibus regis* i. e. ex redditibus regis, Iosephus ἐκ τῶν ἐμῶν, S ex domo gazae regis, s ex tributis apud nos (?). Illud ἀπὸ τῶν τόπων non habetur vulg. S, s. Iosephus numerum auget : μυριάδας πεντεκαίδεκα (δίδωμι εἰς τὴν δαπάνην τῶν θυσιῶν).

Reges priores Persarum, reges Ptolemaei quoque et Syri usque ad Antiochum Epiphanem certas quasdam largitiones pro cultu templi faciebant; has iterum datum iri promittit v. 41 οἱ ἀπὸ τῶν χρειῶν ministri regis, hoc loco qui redditibus erant praefecti; designatio harum largitionum fuisse videtur, uti ex hoc versu colligitur τὸ πλεονάζον. Hoc itaque *omne* πᾶν, i. e. plenum ac integrum iterum solutum iri spondet *in opera domus* i. e. ad aedificia templi instauranda, ad ea comparanda quae pro cultu requiruntur et ministerio templi. Hoc erit hic intelligendum, quia pro aedificiis postea v. 44 providetur. Insuper etiam donare vult et abolere tributum 5 millium siclorum, quae quotannis acceperunt (ministri regis) ἀπὸ τῶν χρειῶν τοῦ ἁγίου ab iis rebus quae pro templo necessariae sunt, ἀπὸ τοῦ λόγου κατ᾽ ἐνιαυτόν ab eo quod singulis annis in rationes referebatur. Tale tributum ex redditibus templi postulabatur. Id iam remittitur et sacerdotibus qui ministerio templi operam dant conceditur. Porro ius asyli templo attribuitur et locis templo proxime adiacentibus ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτοῦ scil. qui fuga arrepta ibi versatur; intellige regionem circa templum. Hoc asylum conceditur debitori regis (vet. lat.), ὀφείλων (ℵ, A, 62. 64. 106, s; c cp 23; vulgo ὀφείλοντες; etiam S) βασιλικά, qui tributa, vectigalia regia debet, καὶ πᾶν πρᾶγμα et rem quamcumque, ipse, si ad templum confugerit, sit liber et nihil eorum quae in regno meo possidet retineatur aut occupetur; omnes eius possessiones pariter sunto liberae. Ius asyli igitur valde amplum largitur. In lege mosaica ne altare quidem ei dabat securitatem qui sciens ac volens alium occidisset : si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari meo avelles eum, ut moriatur (Ex. 21,14; cf. 3 Reg. 1,50; 2,28-34). Demum promittitur v. 44 sumptus datum iri ad aedificanda et restauranda aedificia sacra ex pecunia regis, ex aerario seu fisco regio; item v. 45 ad exstruendos muros Ierusalem et ad munitiones in circuitu, et ad muros construendos in Iudaea, i. e. ad arces et castella erigenda, ad urbes moenibus munienda. Hac ultima promissione si in opus deducta fuisset, Iudaea quam maxime regi fuisset subiecta et ob castella illa quasi in servitutem redacta. De his litteris et tot promissis vide quae dicta sunt in Prolegomenis p. 25.

7. *Dominatio Alexandri firmatur* 10,46-58.

10,46. *Ut audivit autem Ionathas et populus sermones istos, non crediderunt eis nec receperunt eos, quia recordati sunt malitiae magnae, quam fecerat in Israel et tribulaverat eos valde.* 47. *Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, et ipsi auxilium ferebant omnibus diebus.* 48. *Et congregavit rex Alexander exercitum magnum et admovit castra contra Demetrium.* 49. *Et commiserunt proelium duo reges et fugit exercitus Demetrii et insecutus est eum Alexander et incubuit super eos;* 50. *et invaluit proelium nimis, donec occidit sol; et cecidit Demetrius in die illa.*

51. *Et misit Alexander ad Ptolemaeum regem Aegypti legatos secundum haec verba dicens :* 52. *Quoniam regressus sum in regnum meum et sedi in sede patrum meorum et obtinui principatum et contrivi Demetrium et possedi regionem nostram,* 53. *et commisi pugnam cum eo et contritus est ipse et castra eius a nobis, et sedimus in sede regni eius,* 54. *et nunc statuamus ad invicem amicitiam et da mihi filiam tuam uxorem et ego ero gener tuus et dabo tibi dona et ipsi digna te.*

55. *Et respondit rex Ptolemaeus dicens : Felix dies in qua reversus es ad terram patrum tuorum et sedisti in sede regni eorum.* 56. *Et nunc faciam tibi quod scripsisti; sed occurre mihi Ptolemaidam, ut videamus invicem nos et spondeam tibi sicut dixisti.*

57. *Et exivit Ptolemaeus de Aegypto ipse et Cleopatra filia eius et venit Ptolemaidam anno centesimo sexagesimo secundo;* 58. *et occurrit ei Alexander rex et dedit ei Cleopatram filiam suam et fecit nuptias eius Ptolemaidae, sicut reges, in magna gloria.*

10,46. Ὡς δὲ ἤκουσεν Ἰωνάθαν καὶ ὁ λαὸς τοὺς λόγους τούτους, οὐκ ἐπίστευσαν αὐτοῖς, οὐδὲ ἐπεδέξαντο, ὅτι ἐπεμνήσθησαν τῆς κακίας τῆς μεγάλης ἧς ἐποίησεν ἐν Ἰσραὴλ καὶ ἔθλιψεν αὐτοὺς σφόδρα. 47. Καὶ εὐδόκησαν ἐν Ἀλεξάνδρῳ, ὅτι αὐτὸς ἐγένετο αὐτοῖς ἀρχηγὸς λόγων εἰρηνικῶν, καὶ συνεμάχουν αὐτῷ πάσας τὰς ἡμέρας. 48. Καὶ συνήγαγεν Ἀλέξανδρος ὁ βασιλεὺς δυνάμεις μεγάλας καὶ παρενέβαλεν ἐξεναντίας Δημητρίου. 49. Καὶ συνῆψαν πόλεμον οἱ δύο βασιλεῖς καὶ ἔφυγεν ἡ παρεμβολὴ Δημητρίου καὶ ἐδίωξεν αὐτὸν ὁ Ἀλέξανδρος καὶ ἴσχυσεν ἐπ' αὐτούς. 50. Καὶ ἐστερέωσε τὸν πόλεμον σφόδρα ἕως ἔδυ ὁ ἥλιος, καὶ ἔπεσεν ὁ Δημήτριος ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ.

51. Καὶ ἀπέστειλεν Ἀλέξανδρος πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα Αἰγύπτου πρέσβεις κατὰ τοὺς λόγους τούτους λέγων· 52. Ἐπεὶ ἀνέστρεψα εἰς γῆν βασιλείας μου, καὶ ἐκάθισα ἐπὶ θρόνου πατέρων μου καὶ ἐκράτησα τῆς ἀρχῆς, καὶ συνέτριψα τὸν Δημήτριον καὶ ἐπεκράτησα τῆς χώρας ἡμῶν, 53. καὶ συνῆψα πρὸς αὐτὸν μάχην, καὶ συνετρίβη αὐτὸς καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ ὑφ' ἡμῶν, καὶ ἐκαθίσαμεν ἐπὶ θρόνου βασιλείας αὐτοῦ, 54. καὶ νῦν στήσωμεν πρὸς ἑαυτοὺς φιλίαν, καὶ νῦν δός μοι τὴν θυγατέρα σου εἰς γυναῖκα καὶ ἐπιγαμβρεύσω σοι καὶ δώσω σοι δόματα καὶ αὐτῇ ἄξιά σοι.

55. Καὶ ἀπεκρίθη Πτολεμαῖος ὁ βασιλεὺς λέγων· Ἀγαθὴ ἡμέρα ἐν ᾗ ἀνέστρεψας εἰς γῆν πατέρων σου καὶ ἐκάθισας ἐπὶ θρόνου βασιλείας αὐτῶν· 56. καὶ νῦν ποιήσω σοι ἃ ἔγραψας, ἀλλ' ἀπάντησον εἰς Πτολεμαΐδα, ὅπως ἴδωμεν ἀλλήλους, καὶ ἐπιγαμβρεύσω σοι καθὼς εἴρηκας.

57. Καὶ ἐξῆλθε Πτολεμαῖος ἐξ Αἰγύπτου, αὐτὸς καὶ Κλεοπάτρα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ καὶ ἦλθεν εἰς Πτολεμαΐδα ἔτους δευτέρου καὶ ἑξηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ· 58. καὶ ἀπήντησεν αὐτῷ Ἀλέξανδρος ὁ βασιλεὺς καὶ ἐξέδοτο αὐτῷ Κλεοπάτραν τὴν θυγατέρα αὐτοῦ καὶ ἐποίησε τὸν γάμον αὐτῆς ἐν Πτολεμαΐδι καθὼς οἱ βασιλεῖς ἐν δόξῃ μεγάλῃ.

« Duodecim ingentia beneficia Demetrius promisit Iudaeis, si suas partes contra Alexandrum sequi ac tueri velint; unde colligas, quanta fuerit fortitudo et fama Ionathae. Primum est immunitas tributorum; 2. libertas Ierosolymae, ut sit immunis a praesidio militum Demetrii, 3. restitutio captivorum, 4. permissio festivae quietis, 5. ius honoratae militiae, 6. ius gubernandi, 7. ius servandi fidem legemque patriam, 8. amplificatio dominii pontificii, 9. donatio Ptolemaidis. 10. annuus pro templo census 15 millium siclorum, 11. ius asyli in templo, 12. aedificatio murorum Ierusalem » (*Lap.*). Verum num sincere promisit Demetrius? Prudenter non ei crediderunt Ionathas et populus; nam nimis etiamtum conscii erant damnorum magnorum et vexationum pessimarum quae Demetrius intulerat (v. 5 et cap. 7-9). Libenter autem adstipulati sunt Alexandro v. 47; ipse enim *fuerat eis princeps sermonum pacis*, simulac potestatem nactus est, pacem et amicitiam exhibuit; statim Ionathan constituit summum sacerdotem, titulo amici regis eum honoravit, insignia regia ei misit; insuper Alexander iam a Romanis agnitus erat rex, cui opem ferre decreverunt (cf. Polyb. 33, 16).

De duobus proeliis inter Alexandrum et Demetrium commissis refert Iustinus (35,1), in quorum priore Demetrius hostem fugavit; in altero autem Alexander victum Demetrium vita pariter et regno spoliavit, i. e. (uti statim addit), Demetrius invicto animo inter confertissimos fortissime dimicans cecidit. In v. 49 praebent ℵ, A et plures minusculi : ἔφυγεν ἡ παρεμβολὴ Ἀλεξάνδρου, καὶ ἐδίωξεν αὐτὸν ὁ Δημήτριος, at lectio quam praebent vulg, S, s genuina est; id patet ex v. 50 καὶ ἐστερέωσε τὸν πόλεμον, in qua sententia non de Demetrio sermo fit, quia alias repetitio nominis in eadem sententia omitteretur. Insuper in illa lectione Demetrius describeretur victor; at ex sequentibus et ex Iustino refertur eum fuisse victum. Cecidit Demetrius anno regni sui undecimo (cf. 7,1 et 10,57; item Iosephus 13,2,4); Polybius (3,5,3) ei assignat annos duodecim.

Devicto Demetrio et mortuo Alexander dominationem suam et thronum Syriae occupatum nuptiis regiis et amicitia Ptolemaei, regis Aegypti, confirmare et exornare studet. Scribit itaque ad Ptolemaeum VI Philometorem (qui regnavit 180-145 a. Ch.) v. 51 atque ab eo postulat Cleopatram, filiam eius, uxorem; in ipsa epistola data opera se regem esse legitimum saepius affirmat, et victoriam de Demetrio reportatam ostentatione praedicat. Annuit Ptolemaeus postulationi eum regem agnoscens legitimum; ἀπάντησον εἰς Πτολεμαΐδα. Alexander victoria parta Antiochiam, in caput regni reversus erat, ibique scil. « sedimus in sede regni eius » (v. 53. 55). Dicitur ἐπιγαμβρεύσω σοι

v. 54 et v. 56; priore loco a genero ratione soceri; altero a socero ratione generi habita. Ceterum Ptolemaeus iam antea odio Demetrii cedens Alexandrum foverat; imo Appianus scribit : καὶ Δημήτριος μὲν διὰ Πτολεμαίου ἐξέπεσε τῆς ἀρχῆς καὶ ἐτελεύτησε (Syr. 67). Harum nuptiarum Appianus quoque mentionem infert (68). Venit Ptolemaeus Ptolemaidam anno 162 aer. Seleuc. i. e. 150 a. Ch. Nuptiae splendore regio ibidem celebratae sunt. In s non leguntur v. 51-66.

8. *Ionathas honoratur* 10,59-66.

10,59. *Et scripsit rex Alexander Ionathae, ut veniret obviam sibi.* 60. *Et abiit cum gloria Ptolemaidam et occurrit ibi duobus regibus et dedit illis argentum multum et aurum et dona, et invenit gratiam in conspectu eorum.* 61. *Et convenerunt adversus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes adversus eum; et non intendit ad eos rex.* 62. *Et iussit spoliari Ionathan vestibus suis et indui eum purpura; et ita fecerunt; et collocavit eum rex sedere secum;* 63. *dixitque principibus suis : exite cum eo in medium civitatis, et praedicate, ut nemo adversus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione.* 64. *Et factum est, ut viderunt, qui interpellabant gloriam eius quae praedicabatur et opertum eum purpura, fugerunt omnes;* 65. *et magnificabat eum rex et scripsit eum inter primos amicos et posuit eum ducem et participem principatus.* 66. *Et reversus est Ionathas in Ierusalem cum pace et laetitia.*

10,59. Καὶ ἔγραψεν Ἀλέξανδρος ὁ βασιλεὺς τῷ Ἰωνάθαν ἐλθεῖν εἰς συνάντησιν αὐτῷ. 60. Καὶ ἐπορεύθη μετὰ δόξης εἰς Πτολεμαΐδα καὶ ἀπήντησε τοῖς δυσὶ βασιλεῦσι, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἀργύριον καὶ χρυσίον καὶ τοῖς φίλοις αὐτῶν καὶ δόματα πολλὰ καὶ εὗρε χάριν ἐναντίον αὐτῶν. 61. Καὶ ἐπισυνήχθησαν ἐπ' αὐτὸν ἄνδρες λοιμοὶ ἐξ Ἰσραὴλ, ἄνδρες παράνομοι, ἐντυχεῖν κατ' αὐτοῦ, καὶ οὐ προςέσχεν αὐτοῖς ὁ βασιλεύς. 62. Καὶ προςέταξεν ὁ βασιλεὺς καὶ ἐξέδυσαν Ἰωνάθαν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἐνέδυσαν αὐτὸν πορφύραν, καὶ ὅτε ἐποίησαν οὕτως, ἐκάθισεν αὐτὸν ὁ βασιλεὺς μετ' αὐτοῦ· 63. καὶ εἶπε τοῖς ἄρχουσι αὐτοῦ· ἐξέλθετε μετ' αὐτοῦ εἰς μέσον τῆς πόλεως, καὶ κηρύξατε τοῦ μηδένα ἐντυγχάνειν κατ' αὐτοῦ περὶ μηδένος πράγματος καὶ μηδεὶς αὐτῷ παρενοχλείτω περὶ παντὸς λόγου. 64. Καὶ ἐγένετο ὡς ἴδον οἱ ἐντυγχάνοντες τὴν δόξαν αὐτοῦ καθὼς ἐκήρυξεν καὶ περιβεβλημένον αὐτὸν πορφύραν, καὶ ἔφυγον πάντες· 65. καὶ ἐδόξασεν αὐτὸν ὁ βασιλεὺς καὶ ἔγραψεν αὐτὸν τῶν πρώτων φίλων, καὶ ἔθετο αὐτὸν στρατηγὸν καὶ μεριδάρχην. 66. Καὶ ἐπέστρεψεν Ἰωνάθαν εἰς Ἱερουσαλὴμ μετ' εἰρήνης καὶ εὐφροσύνης.

In v. 62 καὶ ἐποίησαν οὕτως καὶ ἐκάθισεν illud καί ἐποίησαν eo loco non quadrat post verba finita vel est valde supervacaneum. Rectum textum praebent 19,64,93 et S καὶ ὅτε, sicuti supra scripsi pro textu alias recepto. Rite sensum expressit vulg.

Alexander magnopere studet Ionathan sibi reddere devotum. Quare occasione nuptiarum novum ei exhibet documentum et testimonium honoris eum per litteras invitando, ut celebritati intersit v. 59. Ionathas memor suae dignitatis *cum gloria*, sicut decet summum Dei sacerdotem, cum quadam magnificentia et pompa profectus est Ptole-

maidam, et duobus regibus, uti moris est apud orientales, munera obtulit aurum, argentum aliaque dona multa (multa omittit S), simulque amicis eorum (gr. S; om vulg) i. e. nobilibus aulicis familiaribusque munera largitus est, per quos regibus commendetur. Atque revera cum gratia et honore receptus est. Verum ex ipso Israel triste nobis spectaculum offertur v. 61: viri Belial, λοιμοί (ita LXX 1 Sam. 2,12 hebr filii Belial reddunt; item 10,27; 25,17; 30,22 etc.), viri nequissimi ex Israel, viri apostatae a lege, παράνομοι (legi contrarii) congregati sunt contra eum (ἐπ' αὐτόν A; communiter πρός — sed illud requiritur sensu), ut eum accusarent apud regem (cf. 7,25); at rex eos plene neglexit. A contrario autem cum industria studium ostentat eximio modo honorandi Ionathan v. 62; iubet enim indui Ionathan purpura eumque iuxta se sedere vult et per principes eum per urbem mediam circumduci iubet et praedicari, ne quis ullam accusationem de quacumque re contra illum proferat, neve quis ei molestiam creet propter ullam causam v. 63: per mediam urbem praecone clamante circumducitur, uti Ioseph (Gen. 41,43), Mardochaeus (Esth. 6,11); quid a contrario in ignominiam fiat, vide 2 Mach. 4,38. Calumniatores et accusatores Ionathae hac honoris exhibitione confusi *fugerunt omnes* v. 64.

Porro ampliorem honorem ei contulit rex v. 65; quem iam φίλον nominavit et declaravit (v. 20), eum nunc accenset inter primos amicos; eum in primo ordine nobilium ac familiarium regis constituit; ei titulum et dignitatem ducis confert, qui summum habet imperium militiae, στρατηγός, idque nomine regis exercet; talem potestatem ei iam dedit Demetrius (v. 6), Alexander eum publice coram omnibus in tali dignitate constitutum agnosci vult; itemque eum facit μεριδάρχην, qui alicuius partis seu provinciae regni gubernationi et administrationi praepositus est. Ionathas itaque iam in se coniungit summam potestatem sacram, summum imperium militare et summam gubernationem civilem in ea regni provincia, in Iudaea scil. et ut in ordine τῶν πρώτων φίλων regis adscriptus magno quoque favore regis et gratia fruitur. His honoribus itaque insignitus et tali potestate et auctoritate praeditus *cum pace et laetitia*, tutus et securus ab inimicis et gaudens de bono et prospero successu reversus est Ierusalem v. 66.

9. *Ionathan feliciter pugnasse contra Apollonium* 10,67-89.

10,67. *In anno centesimo sexagesimo quinto venit Demetrius filius Demetrii a Creta in terram patrum suorum.* 68.

10,67. Καὶ ἐν ἔτει πέμπτῳ καὶ ἑξακοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἦλθε Δημήτριος υἱὸς Δημητρίου ἐκ Κρήτης εἰς τὴν γῆν τῶν πατέρων αὐ-

Et audivit Alexander rex et contristatus est valde et reversus est Antiochiam.
69. Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem qui praeerat Coelesyriae et congregavit exercitum magnum et accessit ad Iamniam et misit ad Ionathan summum sacerdotem, 70. dicens : tu solus resistis nobis; ego autem factus sum in derisum et in opprobrium, propterea quia tu potestatem adversum nos exerces in montibus. 71. Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum et comparemus illic invicem, quia mecum est virtus bellorum. 72. Interroga, et disce quis sum ego, et ceteri qui auxilio sunt mihi, quia et dicunt quia non potest stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conversi sunt patres tui in terra sua; 73. et nunc quomodo poteris sustinere equitatum et exercitum tantum in campo, ubi non est lapis neque saxum neque locus fugiendi?

74. Ut audivit autem Ionathas sermones Apollonii, motus est animo, et elegit decem millia virorum, et exiit ab Ierusalem et occurrit ei Simon frater eius in adiutorium; 75. et applicuerunt castra in Ioppen, et exclusit eum a civitate, quia custodia Apollonii Ioppe erat, et oppugnavit eam. 76. Et exterriti qui erant in civitate, aperuerunt ei et obtinuit Ionathas Ioppen. 77. Et audivit Apollonius et admovit tria millia equitum et exercitum multum, 78. et abiit Azotum tamquam iter faciens, et statim exiit in campum, eo quod haberet multitudinem equitum et confideret in eis. Et insecutus est eum Ionathas in Azotum et commiserunt proelium. 79. Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occulte. 80. Et cognovit Ionathas quoniam insidiae sunt post se, et circuierunt castra eius et iecerunt iacula in populum a mane usque ad vesperam; 81. populus autem stabat, sicut praeceperat Ionathas; et laboraverunt equi eorum. 82. Et eiecit Simon exercitum suum et commisit

τοῦ. 68. Καὶ ἤκουσεν Ἀλέξανδρος ὁ βασιλεὺς καὶ ἐλυπήθη σφόδρα καὶ ἀπέστρεψεν εἰς Ἀντιόχειαν. 69. Καὶ κατέστησε Δημήτριος Ἀπολλώνιον τὸν ὄντα ἐπὶ Κοίλης Συρίας καὶ συνήγαγε δύναμιν μεγάλην καὶ παρενέβαλεν ἐν Ἰαμνείᾳ, καὶ ἀπέστειλε πρὸς Ἰωνάθαν τὸν ἀρχιερέα, 70. λέγων· σὺ μονώτατος ἐπαίρῃ ἐφ' ἡμᾶς, ἐγὼ δὲ ἐγενήθην εἰς καταγέλωτα καὶ εἰς ὀνειδισμὸν διὰ σέ· καὶ διὰ τί σὺ ἐξουσιάζῃ ἐφ' ἡμᾶς ἐν τοῖς ὄρεσι; 71. νῦν οὖν εἰ πέποιθας ἐπὶ ταῖς δυνάμεσί σου, κατάβηθι πρὸς ἡμᾶς εἰς τὸ πεδίον καὶ συγκριθῶμεν ἑαυτοῖς ἐκεῖ, ὅτι μετ' ἐμοῦ ἐστὶ δύναμις τῶν πόλεων. 72. Ἐρώτησον καὶ μάθε, τίς εἰμι καὶ οἱ λοιποὶ οἱ βοηθοῦντες ἡμῖν, καὶ λέγουσιν· οὐκ ἔστιν ὑμῖν στάσις ποδὸς κατὰ πρόσωπον ἡμῶν, ὅτι δὶς ἐτροπώθησαν οἱ πατέρες σου ἐν τῇ γῇ αὐτῶν· 73. καὶ νῦν οὐ δυνήσῃ ὑποστῆναι τὴν ἵππον καὶ δύναμιν τοιαύτην ἐν τῷ πεδίῳ, ὅπου οὐκ ἔστι λίθος οὐδὲ κόχλαξ οὐδὲ τόπος τοῦ φυγεῖν.

74. Ὡς δὲ ἤκουσεν Ἰωνάθαν τῶν λόγων Ἀπολλωνίου, ἐκινήθη τῇ διανοίᾳ, καὶ ἐπέλεξε δέκα χιλιάδας ἀνδρῶν καὶ ἐξῆλθεν ἐξ Ἱερουσαλὴμ, καὶ συνήντησεν αὐτῷ Σίμων ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐπὶ βοήθειαν αὐτοῦ· 75. καὶ παρενέβαλεν ἐπὶ Ἰόππην, καὶ ἀπέκλεισαν αὐτὸν οἱ ἐκ τῆς πόλεως, ὅτι φρουρὰ Ἀπολλωνίου ἐν Ἰόππῃ, καὶ ἐπολέμησαν αὐτήν. 76. Καὶ φοβηθέντες ἤνοιξαν οἱ ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἐκυρίευσεν Ἰωνάθαν Ἰόππης. 77. Καὶ ἤκουσεν Ἀπολλώνιος καὶ παρενέβαλε τρισχιλίαν ἵππον καὶ δύναμιν πολλήν, 78. καὶ ἐπορεύθη εἰς Ἄζωτον ὡς διοδεύων καὶ ἅμα προῆγεν εἰς τὸ πεδίον, διὰ τὸ ἔχειν αὐτὸν πλῆθος ἵππου καὶ πεποιθέναι ἐπ' αὐτῇ. Καὶ κατεδίωξεν ὀπίσω αὐτοῦ εἰς Ἄζωτον καὶ συνῆψαν αἱ παρεμβολαὶ εἰς πόλεμον. 79. Καὶ ἀπέλιπεν Ἀπολλώνιος χιλίαν ἵππον κρυπτῶς κατόπισθεν αὐτῶν. 80. Καὶ ἔγνω Ἰωνάθαν ὅτι ἐστὶν ἔνεδρον κατόπισθεν αὐτοῦ, καὶ ἐκύκλωσαν αὐτοῦ τὴν παρεμβολὴν καὶ ἐξετίναξαν τὰς σχίζας εἰς τὸν λαὸν ἐκ πρωΐθεν ἕως δείλης· 81. ὁ δὲ λαὸς εἱστήκει καθὼς ἐπέταξεν Ἰωνάθαν καὶ ἐκοπίασαν οἱ ἵπποι αὐτῶν. 82. Καὶ εἵλκυσε Σίμων τὴν δύναμιν αὐτοῦ καὶ συνῆψε πρὸς τὴν φάλαγγα· ἡ γὰρ ἵππος ἐξελύθη, καὶ συνετρίβησαν ὑπ' αὐτοῦ

contra legionem; equites enim fatigati erant; et contriti sunt ab eo et fugerunt. 83. *Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, et intraverunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent.* 84. *Et succendit Ionathas Azotum, et civitates quae erant in circuitu eius et accepit spolia eorum, et templum Dagon et omnes qui fugerunt in illud succendit igni.* 85. *Et fuerunt qui ceciderunt gladio cum his qui succensi sunt, fere octo millia virorum.*

86. *Et movit inde Ionathas castra et applicuit ea Ascalonem; et exierunt de civitate obviam illi in magna gloria.* 87. *Et reversus est Ionathas in Ierusalem cum suis habentibus spolia multa.* 88. *Et factum est, cum audivit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Ionathan;* 89. *et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum; et dedit ei Accaron et omnes fines eius in possessionem.*

καὶ ἔφυγον. 83. Καὶ ἡ ἵππος ἐσκορπίσθη ἐν τῷ πεδίῳ καὶ ἔφυγον εἰς Ἄζωτον καὶ εἰςῆλθον εἰς Βηθδαγὼν τὸ εἰδωλεῖον αὐτῶν τοῦ σωθῆναι. 84. Καὶ ἐνεπύρισεν Ἰωνάθαν τὴν Ἄζωτον καὶ τὰς πόλεις τὰς κύκλῳ αὐτῆς, καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῶν, καὶ τὸ ἱερὸν Δαγὼν καὶ τοὺς συμφυγόντας εἰς αὐτὸ ἐνεπύρισε πυρί. 85. Καὶ ἐγένοντο οἱ πεπτωκότες μαχαίρᾳ σὺν τοῖς ἐμπυρισθεῖσιν εἰς ἄνδρας ὀκτακισχιλίους.

86. Καὶ ἀπῆρεν ἐκεῖθεν Ἰωνάθαν καὶ παρενέβαλεν ἐπὶ Ἀσκάλωνα καὶ ἐξῆλθον οἱ ἐκ τῆς πόλεως εἰς συνάντησιν αὐτῷ ἐν δόξῃ μεγάλῃ. 87. Καὶ ἐπέστρεψεν Ἰωνάθαν εἰς Ἱερουσαλὴμ σὺν τοῖς παρ' αὐτοῦ, ἔχοντες σκῦλα πολλά. 88. Καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν Ἀλέξανδρος ὁ βασιλεὺς τοὺς λόγους τούτους καὶ προςέθετο δοξάσαι τὸν Ἰωνάθαν· 89. καὶ ἀπέστειλεν αὐτῷ πόρπην χρυσῆν, ὡς ἔθος ἐστὶ δίδοσθαι τοῖς συγγενέσι τῶν βασιλέων, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ τὴν Ἀκκαρὼν καὶ πάντα τὰ ὅρια αὐτῆς εἰς κληροδοσίαν.

Uti Iustinus refert (35,2; cf. Livius, Epit. 52), initio belli cum Alexandro Demetrius Soter (cf. 10,48 seq.) duos filios suos miserat ad amicum quendam seu hospitem suum in Knidum Cariae provinciae cum magno auri pondere, ut belli periculis eximerentur et, si ita fors tulisset, paternae ultioni servarentur. « Ex his maior Demetrius, annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatae opes et alienae felicitatis ornamenta velut captum inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus securum ac nihil hostile metuentem aggreditur » (Iust. l. c.). Tribus igitur annis post nuptias Alexandri cum Cleopatra celebratas (cf. v. 57) i. e. anno 165 sel. i. e. 147 a. Ch. venit Demetrius Nicator qui appellatur seu Demetrius II filius Demetrii a Creta insula in terram patrum suorum, in Syriam v. 67. Cum Alexander vitae molliori et luxuriei deditus esset, illo nuntio *contristatus est*, ἐλυπήθη, doluit quia ex inertia et voluptatibus ad bellum gerendum et curas evocabatur. Ptolemaide nuptiis celebratis remansisse videtur, quia nunc dicitur Antiochiam esse reversus v. 68. Demetrius enim cum multis mercenariis militibus, quos Lasthenes Cretensis ei tradiderat, ex Creta in Ciliciam traiecit (Iosephus, 13,4. 3).

Eo tempore Apollonius erat praefectus Coelesyriae, quae proprie

est vallis inter Libanum et Antilibanum, sed ratione administrationis eo nomine intelligitur quoque Phoenice et Palaestina usque Raphiam (cf. *Stark*, Gaza p. 364. 426). Is statim partes Demetrii sibi elegit; quare censetur idem esse Apollonius, qui σύντροφος erat et familiaris Demetrii I Romae versantis (cf. Polyb. 31,19,6 et 21,2), qui itaque propter amicitiam patris statim relicto Alexandro provinciam sibi concreditam filio tradidit et ab eo (explica : στρατηγός) est constitutus, qui scil. asseclis Alexandri bellum inferret. Id praestitit magno exercitu congregato et castra posuit ἐν Ἰαμνείᾳ, Iabne (cf. 4,15), in urbe et regione Philisthaeorum, qui igitur iam partes Demetrii amplexi sunt. At Ionathas a partibus stetit Alexandri; quare Apollonius cum arrogantia et contemptu eum monet, ut recedat ab eo; nam fieri non posse ut armis suam regisque rem tueatur atque defendat v. 70; scribit ei : σὺ cum emphasi primo loco ponitur, μονώτατος unus es et unicus solus qui resistis nobis; ratio est indignationis; altera ratio indignationis eaque maior : propter te factus sum in derisum et opprobrium, scil. quod tu audes resistere, mihi exprobratur meaeque auctoritati et dignitati apud alios maxime detrahitur v. 70; διὰ τί σὺ, cur tu (vir scil. nullius momenti) potestatem tibi arrogas adversum nos in montibus, in regione montana, in qua scil. tuto lates absconsus? Quare v. 71 : si quid habes fiduciae in tuis copiis, in tuo exercitu, relinque montes, descende in planitiem, συγκριθῶμεν ἑαυτοῖς ἐκεῖ, conferamus vires nostras inter nos, uter praevaleat; nam *mecum est* δύναμις τῶν πόλεων (S, s; πολεμων 64, vulg) i. e. « scito e singulis urbibus fortissimos quosque mecum militare» (Iosephus 13,4,3). Maiore quoque fastu pergit v. 72; provocat insuper ad testimonium aliorum, qui sibi auxilium ferant, omnibus esse persuasum, vos minime posse stare nobis oppositos; iam enim bis fusi fugatique sunt patres tui in terra sua; οἱ πατέρες σου maiores tui (οἱ πρόγονοι, Ios.); quando bis? 1 Mach. 2,28 et 9,18 (*Lap.*); 1 Mach. 5,10; 9,6. 18 (*Calm.*); alii : 6,47 et 9,18; sed cum dicatur οἱ πατέρες clades designantur non recentes, sed priscae. Verum quales? de duabus cladibus insignibus a Philisthaeis inflictis 1 Sam. 4,10 et 1 Sam. 31 verba accipiunt *Gr. K. Ks.*; sed num Apollonius adeo peritus est historiae Israelitarum, ut ex antiquissimo tempore exempla depromat? et cur ex antiquissimo tempore? malim explicare vel Apollonium in universum dicere Iudaeos saepius ab aliis devictos esse eorumque dominationem ab extraneis esse ablatam, vel alludi ad clades a Nechao et Nabuchodonosor regibus Iudaeae illatas. Demum cum irrisione concludit Apollonius v. 73 : in campo seu planitie nullatenus potes mihi resistere; ibi enim nullus est ne minimus quidem locus ad sese abscon-

dendum et tutandum; tu quippe in solis latebris tuto latere poteris.

Tali irrisione Ionathas iratus et commotus est (S), indignatus est v. 74; cum decem millibus exiit a Ierusalem; ei se adiungit Simon; ἐπὶ βοήθειαν, i. e. cum aliis copiis auxiliariis. Ne a tergo, a Philisthaeis sibi periculum crearetur, παρενέβαλεν ἐπὶ Ἰόππην, movit contra Ioppen (Iaffa), urbem Philisthaeorum ad mare mediterraneum; incolae urbis, οἱ ἐκ τῆς πόλεως (5,47), item S; non intromittebant eum, quia in Ioppe erat φρουρά, praesidium, milites praesidiarii Apollonii. Quare Iudaei urbem aggressi sunt, quae tamen mox eis ab incolis terrore perculsis tradita est v. 76. Quo nuntio accepto Apollonius παρενέβαλε, S, s duxit; apud Polybium παρεμβάλλειν est in aciem constituere; aciem instruere; recentiores hoc loco vocem accipiunt notione copias instructas paratasque reddere; ergo expeditos reddidit equites et milites pedestres quam plurimos et abiit Azotum v. 78 ὡς διοδεύων quasi per istam urbem profecturus; meridiem versus ducit exercitum ac si vellet declinare a copiis Ionathae; et simul progrediebatur in planitiem, in qua utique optimus erat locus pro equitibus. At celeriter eum insecutus est Ionathas εἰς Ἄζωτον, ibique proelium commissum est; antea collocaverat Apollonius mille equites in insidiis occultis, qui a tergo in Iudaeos insilirent; sed Ionathas illarum insidiarum haud ignarus eas reddidit inefficaces. Equites autem Apollonii *circuierunt* exercitum Ionathae, ἐκύκλωσαν circumvolitarunt, et iecerunt iacula τὰς σχίζας, sagittas. Rem bene describit Iosephus : Ionathas exercitu in quadrum ordinato hortatus est suos, ut utrimque hostem propulsarent, acie ex adverso ita instructa, ut tam a tergo quam a fronte adorituris resisterent; simul imperavit ut obiectis scutis se muniendo tela hostium exciperent; atque illi quidem mandato obsecuti sunt; *populus stabat* v. 81; hostium vero equites, iaculati in eos tela nihil eos laeserunt; nam missilia in corpora non pervadebant, sed in clypeos proiecta in unum coactos interque se densissime iunctos facile superata erant et in irritum cadebant. Equites quoque aciem illam quadratam et scutis undique quasi muro septam perrumpere non poterant, verum per totum diem circumvolitantes tandem defatigati sunt : *et laboraverunt* ἐκοπίασαν defatigati sunt *equi eorum*. Tum Simon celeriter advenire iussit exercitum suum, εἵλκυσε, v. 82, et congredi cum acie, phalange, peditum; equites viribus fatigatione iam exhaustis iam non valebant pedites tueri neque propulsare aggredientes; unde pedites ab exercitu Simonis contriti in fugam se dederunt. Equites dispersi sunt per campum v. 83 (graece, S) et copiae victae fugerunt in Azotum et perfugium quaesierunt in fano Dagon, in templo Dagon, Βηθδαγών i. e. בית דגון 1 Sam. 5,2, οἶκος Δαγών

(LXX), εἰς τὸ εἰδωλεῖον αὐτῶν, in templum eorum, scil. incolarum Azoti; quare lege in vulg. *idolium* (uti 1 Cor. 8,10). Erat Dagon idolum Philisthaeorum, eius simulacrum in parte superiore hominem exhibebat, piscem (דג) in inferiore.

Ionathas urbem et templum succendit v. 84; qui in fano asylum sibi quaesierunt, flammis interempti sunt. Ipso certamine et incendio perierunt circa octo millia v. 85. Parta victoria multisque spoliis acceptis Ionathas cum suis reversus est in Ierusalem v. 87. Alexander autem rebus istis auditis Ionathan maioribus quoque honoribus donavit; misit enim ei πόρπην χρυσῆν, fibulam auream, qua vestes in pectore seu humeris connectebantur; cf. 11,58 et 14,44 eiusmodi fibula aurea uti licebat solum viris nobilissimis; uti hic quoque innuitur : *sicut consuetudo est dari cognatis regum*; isti *cognati* regum non sunt consanguinitate propinqui et cognati (cf. 3,32), sed solum familiaritate et titulo honoris et nobilitate. Hic mos erat apud Persas; ita discimus v. g. Dario adstitisse equites mille συγγενεῖς, cognatos (Diod. sic. 17,59,2) et Curtius refert decem legatos cognatorum (regis) principes ad Alexandrum esse missos (4,11,1 cf. 3,3,13; Arrianus 3,11,5) quam appellationem Alexander Magnus quoque pro familiaribus usurpavit (cf. Arrianus 7,11,1). Eodem modo cognati regis i. e. nobilissimi etiam hoc loco intelligantur oportebit; nam, uti hoc exemplo patet et 11,58 et 14,44, fibula aurea in signum honoris non dabatur solis sanguine propinquis.

Insuper Alexander dedit Ionathae *Accaron et omnes fines eius*, regionem ad urbem pertinentem, territorium eius, oppida minora, quorum quasi metropolis erat Accaron (Ekron) εἰς κληροδοσίαν in possessionem, ut scil. inde redditus perciperet (*Gr.*) et plenam haberet eius dominationem, εἰς κληρουχίαν ἐπιτρέπει (Iosephus, *K.*).

10. *Alexander regno privatur; restituitur Demetrius* 11,1-19.

11,1. *Et rex Aegypti congregavit exercitum, sicut arena quae est circa oram maris et naves multas, et quaerebat obtinere regnum Alexandri dolo et addere illud regno suo.* 2. *Et exiit in Syriam verbis pacificis et aperiebant ei civitates et occurrebant ei, quia mandaverat Alexander rex exire ei obviam, eo quod socer suus esset.* 3. *Cum autem introiret civitatem Ptolemaeus, ponebat custodias militum in singulis civitatibus.*

11,1. Καὶ ὁ βασιλεὺς Αἰγύπτου ἤθροισε δυνάμεις πολλὰς ὡς ἡ ἄμμος ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης καὶ πλοῖα πολλὰ καὶ ἐζήτησε κατακρατῆσαι τῆς βασιλείας Ἀλεξάνδρου δόλῳ καὶ προσθεῖναι αὐτὴν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. 2. Καὶ ἐξῆλθεν εἰς Συρίαν λόγοις εἰρηνικοῖς καὶ ἤνοιγον αὐτῷ οἱ ἀπὸ τῶν πόλεων καὶ συνήντων αὐτῷ, ὅτι ἐντολὴ ἦν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως συναντᾶν αὐτῷ διὰ τὸ πενθερὸν αὐτοῦ εἶναι. 3. Ὡς δὲ εἰσεπορεύετο εἰς τὰς πόλεις ὁ Πτολεμαῖος, ἀπέτασσε τὰς δυνάμεις φρουρὰν ἐν ἑκάστῃ πόλει.

4. *Et ut appropiavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, et Azotum et cetera eius demolita et corpora proiecta et eorum qui caesi erant in bello tumulos, quos fecerant secus viam;* 5. *et narraverunt regi quia haec fecit Ionathas, ut invidiam facerent ei; et tacuit rex.* 6. *Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum gloria, et invicem se salutaverunt et dormierunt illic.* 7. *Et abiit Ionathas cum rege usque ad fluvium qui vocatur Eleutherus, et reversus est in Ierusalem.*

8. *Rex autem Ptolemaeus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam maritimam et cogitabat in Alexandrum consilia mala;* 9. *et misit legatos ad Demetrium dicens : veni, componamus inter nos pactum et dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, et regnabis in regno patris tui;* 10. *poenitet enim me, quod dederim illi filiam meam; quaesivit enim me occidere.* 11. *Et vituperavit eum, propterea quod concupierat regnum eius;* 12. *et abstulit filiam suam et dedit eam Demetrio et alienavit se ab Alexandro et manifestatae sunt inimicitiae eius.* 13. *Et intravit Ptolemaeus Antiochiam et imposuit duo diademata capiti suo, Aegypti et Asiae.*

14. *Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus, quia rebellabant qui erant in locis illis;* 15. *et audivit Alexander et venit ad eum in bellum; et produxit Ptolemaeus rex exercitum et occurrit ei in manu valida et fugavit eum.* 16. *Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur; rex autem Ptolemaeus exaltatus est.* 17. *Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri et misit Ptolemaeo.* 18. *Et rex Ptolemaeus mortuus est in die tertia; et qui erant in munitionibus perierunt ab his qui erant intra castra.* 19. *Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo.*

4. Ὡς δὲ ἤγγισεν Ἀζώτου, ἔδειξαν αὐτῷ τὸ ἱερὸν Δαγὼν ἐμπεπυρισμένον καὶ Ἄζωτον καὶ τὰ περιπόλια αὐτῆς καθῃρημένα καὶ τὰ σώματα ἐρριμμένα καὶ τοὺς ἐμπεπυρισμένους οὓς ἐνεπύρισεν ἐν τῷ πολέμῳ, ἐποίησαν γὰρ θημωνίας αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ αὐτοῦ. 5. Καὶ διηγήσαντο τῷ βασιλεῖ ἃ ἐποίησεν Ἰωνάθαν εἰς τὸ ψογῆσαι αὐτόν· καὶ ἐσίγησεν ὁ βασιλεύς. 6. Καὶ συνήντησεν Ἰωνάθαν τῷ βασιλεῖ εἰς Ἰόππην μετὰ δόξης, καὶ ἠσπάσαντο ἀλλήλους καὶ ἐκοιμήθησαν ἐκεῖ. 7. Καὶ ἐπορεύθη Ἰωνάθαν μετὰ τοῦ βασιλέως ἕως τοῦ ποταμοῦ τοῦ καλουμένου Ἐλευθέρου, καὶ ἐπέστρεψεν εἰς Ἱερουσαλήμ.

8. Ὁ δὲ βασιλεὺς Πτολεμαῖος ἐκυρίευσε τῶν πόλεων τῆς παραλίας ἕως Σελευκείας τῆς παραθαλασσίας καὶ διελογίζετο περὶ Ἀλεξάνδρου λογισμοὺς πονηρούς. 9. Καὶ ἀπέστειλε πρέσβεις πρὸς Δημήτριον τὸν βασιλέα λέγων· δεῦρο συνθώμεθα πρὸς ἑαυτοὺς διαθήκην, καὶ δώσω σοι τὴν θυγατέρα μου ἣν ἔχει Ἀλέξανδρος καὶ βασιλεύσεις τῆς βασιλείας τοῦ πατρός σου· 10. μεταμεμέλημαι γὰρ δοὺς αὐτῷ τὴν θυγατέρα μου, ἐζήτησε γὰρ ἀποκτεῖναί με. 11. Καὶ ἐψόγησεν αὐτὸν χάριν τοῦ ἐπιθυμῆσαι αὐτὸν τῆς βασιλείας αὐτοῦ· 12. καὶ ἀφελόμενος αὐτοῦ τὴν θυγατέρα ἔδωκεν αὐτὴν τῷ Δημητρίῳ καὶ ἠλλοιώθη τοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ ἐφάνη ἡ ἔχθρα αὐτῶν. 13. Καὶ εἰσῆλθε Πτολεμαῖος εἰς Ἀντιόχειαν καὶ περιέθετο τὸ διάδημα τῆς Ἀσίας καὶ περιέθετο δύο διαδήματα περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, τὸ τῆς Αἰγύπτου καὶ Ἀσίας.

14. Ἀλέξανδρος δὲ ὁ βασιλεὺς ἦν ἐν Κιλικίᾳ κατὰ τοὺς καιροὺς ἐκείνους, ὅτι ἐπεστάτουν οἱ ἀπὸ τῶν τόπων ἐκείνων· 15. καὶ ἤκουσεν Ἀλέξανδρος καὶ ἦλθεν ἐπ' αὐτὸν πολέμῳ· καὶ ἐξήγαγε Πτολεμαῖος τὴν δύναμιν, καὶ ἀπήντησεν αὐτῷ ἐν χειρὶ ἰσχυρᾷ καὶ ἐτροπώσατο αὐτόν. 16. Καὶ ἔφυγεν Ἀλ[illegible]ανδρος εἰς τὴν Ἀραβίαν τοῦ σκεπασθῆναι [illegible] ἐκεῖ· ὁ δὲ βασιλεὺς Πτολεμαῖος ὑψώθ[illegible] 17. Καὶ ἀφεῖλε Ζαβδιὴλ ὁ Ἄραψ τὴν κε[illegible]λὴν Ἀλεξάνδρου καὶ ἀπέστειλε τῷ Πτολε[illegible]αίῳ. 18. Καὶ ὁ βασιλεὺς Πτολεμαῖος ἀπέθ[illegible] ἐν ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ· καὶ οἱ ὄντες ἐν [illegible] ὀχυρώμασιν αὐτοῦ ἀπώλοντο ὑπὸ τῶν ἐν [illegible] ὀχυρώμασι. 19. Καὶ ἐβασίλευσε Δημήτρ[illegible] ἔτους ἑβδόμου καὶ ἑξηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ

Uti auctor noster indicat, Ptolemaeus VI Philometor iam ab initio expeditionis regnum Alexandro ereptum suum facere intendebat. Hunc eius animum fuisse probat rerum eventus, probat quoque numerus militum adeo magnus, quo iam satis arguitur eum minime velle solum Alexandro opem ferre contra Demetrium; *sicut arena* etc. ad designandam ingentem multitudinem; cf. Ios. 11,4. Iud. 7,12. 1 Sam. 13,5; 2 Sam. 17,11; 3 Reg. 4,20 etc. Dolum eo exhibet, quod *verbis pacificis* utitur, scil., uti Diodorus sic. scribit: ἧκεν εἰς Συρίαν συμμαχήσων Ἀλεξάνδρῳ διὰ οἰκειότητα, ut opem ferret Alexandro cognato suo (Müller, fragm. hist. t. II p. XVI; item Iosephus 13,4,5). Hoc protendens expeditionem suscepit. Propter summam animi Alexandri imbecillitatem eum voluisse regnum illi adimere Diodorus l. c. affirmat. Regi Ptolemaeo portae urbium aperiebantur eumque cum significatione honoris excipiebant; ita enim Alexander nihil mali de socero suspicatus mandaverat. Ptolemaeus autem in singulis civitatibus milites praesidiarios collocabat; eo modo civitates iam in suam redegit potestatem et tamen omnem poterat avertere suspicionem, quia tali praesidio urbes contra Apollonium, ducem Demetrii, firmatae in tuto collocabantur.

Simili prudentia egit, cum incolae Azoti ei exponerent, quales ruinas et caedes Ionathas effecisset; τὰ περιπόλια αὐτῆς 10,84 quae circa urbem posita ad eius ditionem pertinebant; ostendunt templum incendio dirutum, totam regionem vastatam, cadavera proiecta occisorum et combustorum, quos incendio delevit in templo Dagon transfugas; ea enim secus viam acervatim in tumulos collegerant v. 4. Quae omnia regi exponunt a Ionatha esse patrata, ut ei invidiam apud ipsum crearent, ut ei detrectarent. Rex vero *tacuit*, idque prudenter. Cum enim censeri vellet se venire ad opem ferendam Alexandro, Ionathan, qui a partibus Alexandri stans in eius utilitatem pugnaverat, reprehendere non potuit; noluit autem eum laudare neque excusare, ne animos incolarum sibi redderet valde alienos.

Ionathas regi obviam ivit Ioppen *cum gloria*, magna cum significatione honoris qualis exigebatur pro socero Alexandri regis et qualem rex Aegypti merito postulare poterat. Amice inter se salutarunt ibique pernoctarunt v. 6. Cum Ionathas partes generi fortiter tuitus esset, a socero qui easdem partes adiuvare praetendebat, benigne suscipi debuit; et Ionathas regem honoris et officii causa prosecutus est usque ad Eleutherum fluvium v. 7, qui inter Phoenicen Syriamque interfluit (Nahr el Kebir?). Ptolemaeus autem, uti inceperat v. 3, ita pergebat; occupabat scil. urbes regionis maritimae usque ad Seleuciam maritimam quae vocatur, ut distinguatur ab aliis urbibus eiusdem nominis

quas Seleucus Nicator condiderat vel exornaverat; erat Seleucia quadraginta stadia ab ostio Orontis fluminis distans atque etiam Seleucia Pieria appellata. Itaque urbibus maritimis occupatis Ptolemaeus iam aperte contra Alexandrum agere incepit; legatis enim ad Demetrium missis foedus ei proponit spondens filiam suam se ei daturum, *et regnabis in regno patris tui* v. 9. Cur ab Alexandro recedat, accusationem in eum fingit — προσποιηθεὶς ἐπιβουλεύεσθαι, simulans insidias sibi structas (Diod. l. c.) — *quaesivit enim me occidere* v. 10; hanc autem calumniam in eum profert, ἐψόγησεν αὐτόν, ei detraxit (addit auctor noster suam de eius mente sententiam prodens), *quia concupierat regnum eius* v. 11. Quod Ptolemaeus animo proposuerat, exsequitur v. 12 : filiam suam dat Demetrio; eius in Alexandrum inimicitiae manifestae evadunt; ingreditur Antiochiam, caput regni, et imposito sibi diademate se regem Asiae declarat, ita ut duobus diadematis ornatus Asiae et Aegypti rex exstiterit v. 13.

Cum hac narratione satis congruit quod refert Diodorus (l. c.) : « Cleopatram filiam ad Demetrium abducit et iuncta amicitia huic filiam suam despondet. Interea Hierax et Diodotus de rebus Alexandri desperantes simulque Demetrium metuentes propter ea quae in patrem eius prava commiserant, Antiochenses ad defectionem excitant et Ptolemaeo in urbem recepto diadema imponunt regnumque ei offerunt. At Ptolemaeus regnum minime appetens, verum Coelesyriam suae ditioni adiungere cupiens ita cum Demetrio depactus est, ut ipse Coelesyriam obtineret, Demetrius autem regno paterno potiretur ». Ita verum est quod in v. 9 dicitur : et regnabis in regno patris tui; et in v. 13 diadema Asiae dicit dominium Coelesyriae.

Aliter autem rem enarrat Iosephus : cum Ptolemaeus Ptolemaida pervenisset, parum abfuit quin periret ab Alexandro insidiis petitus per Ammonium qui ipsi amicus erat. Quibus detectis Ptolemaeus litteras mittit ad Alexandrum, ut Ammonium ad supplicium deposceret. Cum vero Alexander eum dedere recusaret, ipsum Alexandrum insidiarum esse auctorem coniectans Ptolemaeus vehementer ei iratus est; Antiochenos autem iam ante sibi infensos habuit Alexander propter Ammonium, a quo illi plurimis malis afflicti fuerant (13,4,6). Ubi autem Ptolemaeus ad Antiochenses se contulit, ab illis rex declaratur et ab exercitu, coactusque duo sibi diademata imposuit, Asiae et Aegypti. Sed cum natura esset bonus iustusque et alieni non appetens sciensque praeterea de futuris bene coniectare, ab Asiae regno, ne Romanis sibi invidendi occasionem daret, abstinere decrevit, et eo perduxit Antiochenses, ut Demetrium reciperent (13,4,7). Prima eius narrationis pars contradicit auctori nostro et Diodoro. Quod in altera parte

dicit de invidia Romanorum evitanda, omnino probabile est. Videtur itaque Ptolemaeus tum ex v. 9, tum ex narratione Diodori et Iosephi non integrum regnum Alexandri appetiisse, sed solum eius partem, Coelesyriam, ad quam pertinebant quoque Palaestina et Phoenice; Syriae dominationem recuperare voluit. — De Ammonio legitur apud Livium, Epit. c. 50 : « iacente rege in ganea et lustris Ammonius regnabat per quem et amici omnes regis et Laodice regina et Antigonus Demetrii filius occisi ».

Dum haec agerentur (v. 8-13), Alexander in Cilicia occupatus erat in domanda rebellione quae, cum Demetrius ibi appelleret, contra eum exorta est. Auditis machinationibus Ptolemaei contra se ipse bellum movit; verum Ptolemaeus maiore numero militum eum oppressit et fugavit v. 15. Alexander in Arabia refugium et tutelam quaesivit; sed frustra; Zabdiel Arabs *abstulit caput Alexandri et misit Ptolemaeo*. Is tamen haud diu de victoria et caede Alexandri laetatus est; nam tertia die post caput eius acceptum ipse diem obiit v. 18; neque regiones urbesque quas occupaverat, regno Aegypti relinquebantur; milites enim praesidiarii quos in munitionibus collocaverat, ab incolis arcium trucidabantur v. 18. Duobus itaque aemulis e medio sublatis Demetrius II regnum Syriae obtinuit anno 167 i. e. 146-145 a. Ch.

Uti Diodorus narrat, Alexander proelio victus cum quingentis suorum fugam intendit urbem Arabiae versus quam Abas vocant ad principem Dioclem, apud quem etiam filiolum suum Antiochum deposuerat. Sed aliqui ex eius ducibus et comitibus clam legatione ad Demetrium de sua securitate missa dolo se Alexandrum interempturos promiserunt. Demetrius eis spondet securitatem, et ita facti sunt interfectores regis, qui amicorum manu e medio sublatus est. — Haec facile cum narratione auctoris nostri conciliantur. Nam Demetrius, etsi caput Alexandri primum ipsi missum fuit, illud Ptolemaeo transmisit.

De Ptolemaeo narrat Iosephus : in proelio contigit, ut equus Ptolemaei barritu elephanti audito, metu exterreretur et Ptolemaeum dorso excussum humi prosterneret, adeo ut hostes multis capiti vulneribus inflictis in mortis periculum eum adduxerint. Nam ereptus tandem a suis tam male habebat, ut per quatuor dies nec quidquam intelligere nec loqui potuerit; die quinto ad se reversus cum gaudio audit et videt caput Alexandri esse amputatum et non multo post ipse vitam finivit (13,4,8). De eo proelio et morte eius etiam refertur in Epit. c. 52 apud Livium : « Ptolemaeus in caput graviter vulneratus, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit ». Narrationem de Alexandro Iustinus (35,2) breviter expedivit : « Alexander non minori im-

petu fortunae destructus quam elatus, primo proelio victus interficitur, deditque poenas et Demetrio quem occiderat, et Antiocho, cuius mentitus originem fuerat ».

11. *Quae Demetrius II Iudaeis concesserit* 11,20-37.

11,20. *In diebus illis congregavit Ionathas eos qui erant in Iudaea, ut expugnarent arcem quae est in Ierusalem et fecerunt contra eam machinas multas.* 21. *Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem Demetrium et renuntiaverunt ei quod Ionathas obsideret arcem.* 22. *Et ut audivit, iratus est, et statim venit ad Ptolemaidam et scripsit Ionathae ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinato.* 23. *Ut audivit autem Ionathas, iussit obsidere, et elegit de senioribus Israel et de sacerdotibus et dedit se periculo;* 24. *et accepit aurum et argentum et vestem et alia xenia multa, et abiit ad regem Ptolemaidam et invenit gratiam in conspectu eius.*

25. *Et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua.* 26. *Et fecit ei rex sicut fecerant ei qui ante eum fuerant, et exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum;* 27. *et statuit ei principatum sacerdotii et quaecumque alia habuit prius pretiosa, et fecit eum principem amicorum.* 28. *Et postulavit Ionathas a rege, ut immunem faceret Iudaeam et tres toparchias et Samariam et confines eius, et promisit ei talenta trecenta.* 29. *Et consensit rex et scripsit Ionathae epistolas de his omnibus hunc modum continentes :*

30. *Rex Demetrius fratri Ionathae salutem et genti Iudaeorum.*

31. *Exemplum epistolae quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis misimus ad vos ut sciretis.*

32. *Rex Demetrius Lastheni parenti salutem.*

11,20. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις συνήγαγεν Ἰωνάθαν τοὺς ἐκ τῆς Ἰουδαίας τοῦ ἐκπολεμῆσαι τὴν ἄκραν τὴν ἐν Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐποίησεν ἐπ' αὐτὴν μηχανὰς πολλάς. 21. Καὶ ἐπορεύθησάν τινες μισοῦντες τὸ ἔθνος αὐτῶν ἄνδρες παράνομοι πρὸς τὸν βασιλέα καὶ ἀπήγγειλαν αὐτῷ ὅτι Ἰωνάθαν περικάθηται τὴν ἄκραν. 22. Καὶ ἀκούσας ὠργίσθη, ὡς δὲ ἤκουσεν, εὐθέως ἀναζεύξας ἦλθεν εἰς Πτολεμαΐδα καὶ ἔγραψεν Ἰωνάθαν τοῦ μὴ περικαθῆσθαι καὶ τοῦ ἀπαντῆσαι αὐτὸν αὐτῷ συμμίσγειν εἰς Πτολεμαΐδα τὴν ταχίστην. 23. Ὡς δὲ ἤκουσεν Ἰωνάθαν, ἐκέλευσε περικαθῆσθαι, καὶ ἐπέλεξε τῶν πρεσβυτέρων Ἰσραὴλ καὶ τῶν ἱερέων καὶ ἔδωκεν ἑαυτὸν τῷ κινδύνῳ, 24. καὶ λαβὼν ἀργύριον καὶ χρυσίον καὶ ἱματισμὸν καὶ ἕτερα ξένια πλείονα ἐπορεύθη πρὸς τὸν βασιλέα εἰς Πτολεμαΐδα καὶ εὗρε χάριν ἐναντίον αὐτοῦ.

25. Καὶ ἐνετύγχανον κατ' αὐτοῦ τινὲς ἄνομοι τῶν ἐκ τοῦ ἔθνους. 26. Καὶ ἐποίησεν αὐτῷ ὁ βασιλεὺς καθὼς ἐποίησαν αὐτῷ οἱ πρὸ αὐτοῦ, καὶ ὕψωσεν αὐτὸν ἐναντίον πάντων τῶν φίλων αὐτοῦ. 27. Καὶ ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἀρχιερωσύνην καὶ ὅσα ἄλλα εἶχε τίμια τὸ πρότερον καὶ ἐποίησεν αὐτὸν τῶν πρώτων φίλων ἡγεῖσθαι. 28. Καὶ ἠξίωσεν Ἰωνάθαν τὸν βασιλέα ποιῆσαι τὴν Ἰουδαίαν ἀφορολόγητον καὶ τὰς τρεῖς τοπαρχίας καὶ τὴν Σαμαρεῖτιν καὶ ἐπηγγείλατο αὐτῷ τάλαντα τριακόσια. 29. Καὶ εὐδόκησεν ὁ βασιλεὺς καὶ ἔγραψε τῷ Ἰωνάθαν ἐπιστολὰς περὶ πάντων τούτων ἐχούσας τὸν τρόπον τοῦτον.

30. Βασιλεὺς Δημήτριος Ἰωνάθαν τῷ ἀδελφῷ χαίρειν καὶ ἔθνει Ἰουδαίων·

31. Τὸ ἀντίγραφον τῆς ἐπιστολῆς ἧς ἐγράψαμεν Λασθένει τῷ συγγενεῖ ἡμῶν περὶ ὑμῶν, γεγράφαμεν καὶ πρὸς ὑμᾶς ὅπως εἰδῆτε.

32. Βασιλεὺς Δημήτριος Λασθένει τῷ πατρὶ χαίρειν.

33. *Genti Iudaeorum amicis nostris et conservantibus quae iusta sunt apud nos, decrevimus benefacere propter benignitatem ipsorum quam erga nos habent.* 34. *Statuimus ergo illis omnes fines Iudaeae et tres civitates, Lydan et Ramathan quae additae sunt Iudaeae ex Samaria, et omnes confines earum sequestrari omnibus sacrificantibus in Ierosolymis, pro his quae ab eis prius accipiebat rex per singulos annos et pro fructibus terrae et pomorum.* 35. *Et alia quae ad nos pertinebant decimarum et tributorum ex hoc tempore remittimus eis et areas salinarum et coronas quae nobis deferebantur;* 36. *omnia ipsis concedimus; et nihil horum irritum erit ex hoc et in omne tempus.*

37. *Nunc ergo curate facere horum exemplum et detur Ionathae et ponatur in monte sancto, in loco celebri.*

33. Τῷ ἔθνει τῶν Ἰουδαίων φίλοις ἡμῶν καὶ συντηροῦσι τὰ πρὸς ἡμᾶς δίκαια ἐκρίναμεν ἀγαθοποιῆσαι χάριν τῆς ἐξ αὐτῶν εὐνοίας πρὸς ἡμᾶς. 34. Ἑστάκαμεν οὖν αὐτοῖς τά τε ὅρια τῆς Ἰουδαίας καὶ τοὺς τρεῖς νομοὺς Ἀφαίρεμα καὶ Λύδδα καὶ Ῥαμαθέμ, αἵτινες προσετέθησαν τῇ Ἰουδαίᾳ ἀπὸ τῆς Σαμαρείτιδος καὶ πάντα τὰ συγκυροῦντα αὐτοῖς· πᾶσι τοῖς θυσιάζουσιν εἰς Ἱεροσόλυμα ἀντὶ τῶν βασιλικῶν ὧν ἐλάμβανεν ὁ βασιλεὺς παρ' αὐτῶν τὸ πρότερον κατ' ἐνιαυτὸν ἀπὸ τῶν γεννημάτων τῆς γῆς καὶ τῶν ἀκροδρύων, 35. καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἀνήκοντα ἡμῖν ἀπὸ τοῦ νῦν τῶν δεκατῶν καὶ τῶν τελῶν τῶν ἀνηκόντων ἡμῖν, καὶ τὰς τοῦ ἁλὸς λίμνας καὶ τοὺς ἀνήκοντας ἡμῖν στεφάνους, πάντα ἐπαρκέσομεν αὐτοῖς· 36. καὶ οὐκ ἀθετηθήσεται οὐδὲ ἓν τούτων ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον.

37. Νῦν οὖν ἐπιμέλεσθε τοῦ ποιῆσαι τούτων ἀντίγραφον καὶ δοθήτω Ἰωνάθαν καὶ τεθήτω ἐν τῷ ὄρει ἁγίῳ ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ.

Arx in Ierusalem a Syris continuo erat occupata — gravamen quoque continuum pro Israel (cf. 1,36; 3,45; 4,41; 6,18; 9,53); Iudas frustra tentaverat arcem obsidione expugnare (6,19 seq.); Demetrius I Soter, pater Nicatoris pollicitus quidem fuerat se arcem reductis inde copiis relicturum (10,32); at quia Iudaei eius partes sequi renuerunt, promissio caruit effectu. Ionathas autem usus opportunitate temporis, quo Ptolemaeus et Demetrius bello contra Alexandrum occupati erant, populum suum ab ea molestia liberare statuit; quare copiis ex Iudaea collectis arcem bello infestare et obsidere coepit, quem in finem multas machinas admovit. Verum mox Iudaei quidam apostatae, παράνομοι a lege alieni, ei contrarii, qui populum suum odio habebant, eo scil. quod illum non solum libertate privatum, alienigenis subiectum volebant, verum etiam vera eius apud Deum dignitate et consecratione spoliatum, regi denuntiant Ionathan arcem obsidere v. 21. Demetrius, quo propius res iudaicas spectaret et invigilaret, ἀναζεύξας statim profectus (ab Antiochia?) venit Ptolemaidam et scripsit Ionathae mandans, ut ab obsidione desisteret et ad se veniret quam citissime; συμμίσγειν convenire cum eo, colloqui. Ionathas autem obsidionem continuari iussit v. 23; quosdam de senioribus Israel et de sacerdotibus (s omittit sacerdotes) sibi comites elegit *et dedit se periculo*, erat scil. periculum, ne rex male exciperet Ionathan eo quod suo mandato de solvenda obsidione non paruisset; sed Ionathas Deo confisus hoc periculum per magna dona quae regi detulit discussit

(*Lap.*). Praeterea Demetrii regno recentissime occupato intererat multum non sibi hostes creare; quanta fortitudine et quo successu Ionathas pugnasset, ei notum erat; unde quam maxime consultum erat Ionathan habere amicum. Cum itaque Ionathas ipse prompte veniret ad regem et dona multa et pretiosa ei offerret, benigne a rege exceptus est v. 24, neque rex obtrectatoribus quibusdam Iudaeis aures praebuit v. 25.

Verum rex ei fecit sicut fecerunt οἱ πρὸ αὐτοῦ, Alexander scil. et Ptolemaeus (cf. 10,60 seq.) et exaltavit eum coram omnibus amicis suis, coram nobilibus aulae regiae v. 26. Et quibus honorum significationibus eum exaltaverit, declaratur v. 27 : confirmavit ei dignitatem summi sacerdotii (cf. 10,20); pariter rata habuit illa honorum insignia et documenta ei antea collata (10,20. 62,65.89), et mandavit, ut unus ex primis amicis regis ab omnibus haberetur. Tali favore regio Ionathas prudenter usus petiit ab eo, ut Iudaeam et tres toparchias (quae Iudaeae ex Samaria additae erant, 10,30) faceret immunes a tributis. Lectio graeca καὶ τὴν Σαμαρεῖτιν certe mendosa est; pro Samaria talem favorem petiisse Ionathan improbabile reputandum est; quare ex 10,30 et 11,34 legi oportebit τὰς τρεῖς τοπαρχίας (ἀπὸ) τῆς Σαμαρείτιδος. (cf. v. 34), quamvis omnes testes (etiam s) exhibeant et Samariam. Pro hac immunitate promisit Ionathas regi trecenta talenta v. 28. Quaerunt, semelne ista pendantur, an quotannis. Ex v. 35 iure concluseris minime ea singulis annis esse soluta : alia tributorum remittimus ex hoc tempore. Eam immunitatem iam promiserat Demetrius I pater regis (10,29); qua patris promissione simul cum 300 talentis a Ionatha oblatis Demetrius II postulationi ut consentiret permotus est.

Ea de re epistolam dedit Ionathae, quae epistola est ἀντίγραφον, exemplar transscriptum epistolae illius quam rex scripsit Lastheni cognato suo; (cf. 10,89) in epistolae inscriptione eum vocat patrem v. 32 i. e. primum suum et maxime familiarem consiliarium; cf. Gen. 45,8 Ioseph se vocat patrem Pharaonis. Uti Iosephus refert, Lasthenes Cretensis multos mercenarios milites Demetrio adduxit, quando is ex Creta in Ciliciam traiecit (13,4,3; cf. 10,67). Demetrius vocat in epistolae inscriptione Ionathan *fratrem*; vide 10,18.

In epistola v. 33-36 declarat rex se velle Iudaeis beneficia conferre propter benevolentiam quam erga ipsum exhibuerint; illos scil. amice in ipsum sensisse et servasse quae erga ipsum iusta essent—φίλοις ἡμῶν καὶ συντηροῦσι τὰ πρὸς ἡμᾶς δίκαια. Quaenam beneficia tribuat, explicatur v. 34; confirmat illis ditionem regionis Iudaeae et tres νομοὺς toparchias : Ἀφαίρεμα, Ephraim, Ephron (2 Chr. 13,19; qeri עפרין; Ioan. 11,54) S. Ephraim (אפרים, s vero vertit : transtuli ab eis), Λύδδα, Lod

(1 Par. 8,12; Esdr. 2,33. Neh. 11,35), postea Diospolis, hodie Lud; Ῥαμαθέμ (Ῥαμαθαίμ) cf. 1 Sam. 1,1, Arimathia (Matth. 27,15. Ioan. 19,33), hodie er Ram — quae toparchiae additae sunt Iudaeae ex Samaria; cf. 10,30. In vulg. primum nomen desideratur; legitur ibi *sequestrari*, quod videtur esse versio Ἀφαίρεμα; ex margine adscriptum alieno loco positum est.

Uti iam *Calm.* recte vidit, nova incipit sententia a voce *omnibus sacrificantibus*, ad quam sententiam pertinet verbum in v. 35 *remittimus*, ἐπαρκέσομεν αὐτοῖς (A, 23,55 al.) vel ἐπαρκῶς παρίεμεν liberaliter remittimus; quae remittantur sunt ἀντὶ τῶν βασιλικῶν, quo loco tamen aliquid deest; facillime suppletur τὰ (*Gr. K.*) et sensum (qui etiam ex 10,30 colligitur) bene eruit *Calm.* : omnibus sacrificantibus in Ierusalem regalia iura quae rex prius exigebat e fructu telluris et arborum, e decimis tributisque ad nos spectantibus liberaliter remittimus. Quae itaque antea solvere debebant ἀντὶ τῶν βασιλικῶν, quae rex antea ab iis accepit quotannis ex frugibus terrae et arborum, haec remittuntur non omnibus Iudaeis, sed solum omnibus sacrificantibus in Ierusalem; unde solum iis qui pie Deum more paterno secundum legem colunt, minime apostatis. Pariter eis remittuntur v. 35 alia quae regi solvenda erant ex decimis et vectigalibus ἀπὸ τοῦ νῦν *ex hoc tempore* quae debentur; ab eo die in posterum remittuntur; et simul eis remittit, tribuit *areas salinarum*, τὰς τοῦ ἁλὸς λίμνας lacus salis ad mare mortuum, ubi scil. ex inundationibus multum salis relinquitur; cf. 10,29 pretia salis indulgeo; poterunt itaque ex mari mortuo salem sibi acquirere sine ulteriore tributo; pariter iis remittit *coronas* quas iure exigere posset tamquam sibi debitas; pretium earum iis donat (10,29). Haec omnia iis concedit rex et confirmationis gratia addit : ne unum quidem ex his abrogabitur ullo tempore v. 36; cuncta ergo beneficia haec illis permaneant integra et inviolata in omne tempus.

Demum in v. 37 praecipit Iudaeis, ut exemplar huius epistolae transscribendum curent et ut detur Ionathae exemplar transsumptum et reponatur in monte sacro, in templo, in loco ἐπισήμῳ conspicuo, ut scil. omnibus innotescat.

Acceperunt itaque Iudaei immunitatem a tributis aliisque praestationibus. Ionathae confirmatur summum sacerdotium, dignitas ducis (στρατηγοῦ) et praefecti regionis (μεριδάρχου; cf. 10,65); confirmatur possessio trium regionum e Samaria adiunctarum Iudaeae; item possessio Accaron (10,89; 11,27). Vita secundum legem et cultus exercitiumque religionis Iudaeis omnino conceditur; immunitas explicite iis tribuitur qui in Ierusalem sacrificant. Praeterea Ionathae cum potestate sacra conceditur potestas quaedam militaris (στρατηγὸς) et civilis (μεριδάρχης).

Plenam quidem libertatem nondum consecuti sunt : arx in Ierusalem ab alienigenis occupatur; rex Syriae retinet summum quoddam imperium in Iudaea. At id pro quo Iudas praeprimis pugnavit obtinetur; libertas religiosa.

12. *Demetrius a Iudaeis protegitur* 11,38-53.

11,38. *Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo et nihil ei resistit, dimisit totum exercitum suum unumquemque in locum suum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab insulis gentium; et inimici erant ei omnes exercitus patrum eius.* 39. *Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius; et vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, et ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri;* 40. *et assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui, et enuntiavit ei quanta fecit Demetrius et inimicitias exercituum eius adversus illum. Et mansit ibi diebus multis.*

41. *Et misit Ionathas ad Demetrium regem ut eiiceret eos qui in arce erant in Ierusalem et qui in praesidiis erant, quia impugnabant Israel.* 42. *Et misit Demetrius ad Ionathan dicens : non haec tantum faciam tibi et genti tuae, sed gloria illustrabo te et gentem tuam, cum fuerit opportunum.* 43. *Nunc ergo recte feceris, si miseris in auxilium mihi viros, quia discessit omnis exercitus meus.* 44. *Et misit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam, et venerunt ad regem et delectatus est rex in adventu eorum.*

45. *Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia virorum, et volebant interficere regem.* 46. *Et fugit rex in aulam; et occupaverunt qui erant de civitate itinera civitatis et coeperunt pugnare.* 47. *Et vocavit rex Iudaeos in auxilium et convenerunt omnes simul ad eum et dispersi sunt*

11,38. Καὶ εἶδε Δημήτριος ὁ βασιλεὺς ὅτι ἡσύχασεν ἡ γῆ ἐνώπιον αὐτοῦ καὶ οὐδὲν αὐτῷ ἀνθειστήκει, καὶ ἀπέλυσε πάσας τὰς δυνάμεις αὐτοῦ ἕκαστον εἰς τὸν ἴδιον τόπον, πλὴν τῶν ξένων δυνάμεων ὧν ἐξενολόγησεν ἀπὸ τῶν νήσων τῶν ἐθνῶν· καὶ ἤχθραναν αὐτῷ πᾶσαι αἱ δυνάμεις αἱ ἀπὸ τῶν πατέρων αὐτοῦ. 39. Τρύφων δὲ ἦν τῶν παρὰ Ἀλεξάνδρου τὸ πρότερον· καὶ εἶδεν ὅτι πᾶσαι αἱ δυνάμεις καταγογγύζουσι τοῦ Δημητρίου καὶ ἐπορεύθη πρὸς Εἰμαλκουαὶ τὸν Ἄραβα, ὃς ἔτρεφε τὸν Ἀντίοχον τὸ παιδάριον τὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου. 40. Καὶ προσήδρευεν αὐτῷ ὅπως παραδοῖ αὐτὸν αὐτῷ, ὅπως βασιλεύσῃ ἀντὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ· καὶ ἀπήγγειλεν αὐτῷ ὅσα συνετέλεσε Δημήτριος καὶ τὴν ἔχθραν ἣν ἐχθραίνουσιν αὐτῷ αἱ δυνάμεις αὐτοῦ· καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ ἡμέρας πολλάς.

41. Καὶ ἀπέστειλεν Ἰωνάθαν πρὸς Δημήτριον τὸν βασιλέα ἵνα ἐκβάλῃ τοὺς ἐκ τῆς ἄκρας ἐξ Ἱερουσαλὴμ καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὀχυρώμασιν· ἦσαν γὰρ πολεμοῦντες τὸν Ἰσραήλ. 42. Καὶ ἀπέστειλε Δημήτριος πρὸς Ἰωνάθαν λέγων· οὐ μόνον ταῦτα ποιήσω σοι καὶ τῷ ἔθνει σου, ἀλλὰ δόξῃ δοξάσω σε καὶ τὸ ἔθνος σου, ἐὰν εὐκαιρίας τύχω. 43. Νῦν οὖν ὀρθῶς ποιήσεις ἀποστείλας μοι ἄνδρας οἱ συμμαχήσουσί μοι, ὅτι ἀπέστησαν πᾶσαι αἱ δυνάμεις μου. 44. Καὶ ἀπέστειλεν Ἰωνάθαν ἄνδρας τρισχιλίους δυνατοὺς ἰσχύϊ αὐτῷ εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ ἦλθοσαν πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ηὐφράνθη ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τῇ ἐφόδῳ αὐτῶν.

45. Καὶ ἐπισυνήχθησαν οἱ ἐκ τῆς πόλεως εἰς μέσον τῆς πόλεως εἰς ἀνδρῶν δώδεκα μυριάδας καὶ ἠβούλοντο ἀνελεῖν τὸν βασιλέα. 46. Καὶ ἔφυγεν ὁ βασιλεὺς εἰς τὴν αὐλὴν καὶ κατελάβοντο οἱ ἐκ τῆς πόλεως τὰς διόδους τῆς πόλεως καὶ ἤρξαντο πολεμεῖν· 47. καὶ ἐκάλεσεν ὁ βασιλεὺς τοὺς Ἰουδαίους ἐπὶ βοήθειαν καὶ ἐπισυνήχθησαν πρὸς

omnes per civitatem, 48. et occiderunt in illa die centum millia hominum, et succenderunt civitatem et ceperunt spolia multa in die illa et liberaverunt regem. 49. Et viderunt qui erant de civitate, quod obtinuissent Iudaei civitatem, sicut volebant, et infirmati sunt mente sua et clamaverunt ad regem cum precibus dicentes : 50. Da nobis dextras, et cessent Iudaei oppugnare nos et civitatem. 51. Et proiecerunt arma sua et fecerunt pacem et glorificati sunt Iudaei in conspectu regis et in conspectu omnium qui erant in regno eius et nominati sunt in regno; et regressi sunt in Ierusalem habentes spolia multa.

52. Et sedit Demetrius rex in sede regni sui et siluit terra in conspectu eius. 53. Et mentitus est omnia quaecumque dixit, et abalienavit se a Ionatha et non retribuit ei secundum beneficia quae sibi tribuerat, et vexabat eum valde.

αὐτὸν πάντες ἅμα καὶ διεσπάρησαν ἐν τῇ πόλει, 48. καὶ ἀπέκτειναν ἐν τῇ πόλει ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ εἰς μυριάδας δέκα, καὶ ἐνεπύρισαν τὴν πόλιν καὶ ἐλάβοσαν σκῦλα πολλὰ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ ἔσωσαν τὸν βασιλέα. 49. Καὶ ἴδον οἱ ἀπὸ τῆς πόλεως ὅτι κατεκράτησαν οἱ Ἰουδαῖοι τῆς πόλεως ὡς ἠβούλοντο καὶ ἠσθένησαν ταῖς διανοίαις αὐτῶν, καὶ ἐκέκραξαν πρὸς τὸν βασιλέα μετὰ δεήσεως λέγοντες· 50. δὸς ἡμῖν δεξιὰς καὶ παυσάσθωσαν οἱ Ἰουδαῖοι πολεμοῦντες ἡμᾶς καὶ τὴν πόλιν. 51. Καὶ ἔρριψαν τὰ ὅπλα καὶ ἐποίησαν εἰρήνην, καὶ ἐδοξάσθησαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐναντίον τοῦ βασιλέως καὶ ἐνώπιον πάντων τῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, καὶ ἐπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ ἔχοντες σκῦλα πολλά.

52. Καὶ ἐκάθισε Δημήτριος ὁ βασιλεὺς ἐπὶ θρόνου τῆς βασιλείας αὐτοῦ καὶ ἡσύχασεν ἡ γῆ ἐνώπιον αὐτοῦ. 53. Καὶ ἐψεύσατο πάντα ὅσα εἶπε, καὶ ἠλλοτριώθη τῷ Ἰωνάθαν καὶ οὐκ ἀνταπέδωκε κατὰ τὰς εὐνοίας ἃς ἀνταπέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἔθλιβεν αὐτὸν σφόδρα.

Demetrius, cum bello exstincto et Ptolemaeo et Alexandro mortuis sese sine ullo adversario videret in pacifica regni possessione, non dubitavit dimittere totum exercitum retentis solum militibus mercenariis quos ex insulis maris mediterranei, ex Creta praeprimis, mercede conduxerat. Siluit terra, vide 1,3; 9,57. Verum milites illi veterani, qui iam sub regibus prioribus, Demetrio I, Ptolemaeo, forte etiam sub Seleuco Philopatore, Antiocho IV arma tulerant, id aegre ferentes inimici regis effecti sunt. Insuper Demetrius ob crudelitatem quam per tormenta exercebat, odium provocabat (Livius, Epit. 52) et vitiis adolescentiae deditus et in segnitiam lapsus tantum contemptum apud omnes inertiae, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit; ita Iustinus (36,1). Hoc omnium, praesertim militum dimissorum in Demetrium fremitu uti decrevit Tryphon, ut in filiolo Alexandri aemulum regni statuens ipse rerum potiretur. Uti Diodorus sic narrat, Alexander filiolum suum apud Dioclem principem deposuerat (*Müller*, frag. II p. XVI n. XX). Diodotus autem cognomento Tryphon, qui plurimum auctoritate inter familiares regis valebat, ubi vidit quo impetu et quanto in principem odio multitudo ferretur, a Demetrio defecit et societatem iniit cum Arabiae principe Iamblicho; qui fidei suae commissum habebat Antiochum Epiphanem quem

vocant, Alexandri filium, παῖδα τὴν ἡλικίαν. Ita Diodorus (l. c. n. XXI). Nomen illius principis varie effertur; S בילכי, Iosephus Μάλχος, Ἰμαλκουε 23. (ימלכי Iamlik, ita *Wellhausen*) Σιμαλκουή etc. Tryphon v. 40 προσήδρευεν αὐτῷ incumbebat apud eum, assidue instigabat eum, ut traderet filiolum sibi, quem scil. loco patris in regni throno constitueret. Apud Livium (Epit. 52) iste filiolus vocatur bimulus admodum. Cum itaque adeo tenerae esset aetatis, noluit princeps postulationi Tryphonis acquiescere, sane perspiciens Tryphonem potius se quam puerulum velle regem constituere. Ut principem in suas pertraheret partes, multis ei exposuit quam male ageret Demetrius et quantum esset odium militum dimissorum in eum. At diu Tryphon non successit; nam v. 40 *et mansit ibi diebus multis.*

Ionathas quidem iusserat obsidionem arcis continuari (v. 23); verum vi et armis Iudaei arcem non expugnarunt. Id iam alio modo obtinere Ionathae curae fuit. In illa rerum difficultate in quam Demetrius dimisso exercitu venerat, eius quam maxime intererat habere amicos potentes et fideles; eodem modo cavendum sibi erat, ne numerum hostium augeret. Utrumque probe sciens prudenter utitur Ionathas ea regis conditione, ut per legatos ab eo peteret id quod vi obtinere antea non potuerat, scil. ut rex milites syros praesidiarios ex arce et aliis Iudaeae munitionibus revocaret et removeret; nam ista praesidia erant continua quaedam molestia et vexatio pro populo v. 41. Demetrius opem et auxilium Iudaeorum valde exoptans non solum libenter annuit, verum magnifica promissione animos eorum demulcere studet v. 42, ἐὰν εὐκαιρίας τύχω si opportunitatem nactus fuero. Atque statim ei ostendit qualem opportunitatem exspectet, ut officio praestito Ionathae et populo praemia largiatur munificentissima. Nam v. 43 νῦν οὖν ὀρθῶς ποιήσεις cf. 12,18. 22; est modus postulandi elegans, urbanus (καλῶς, 3 Ioan. 6), *si miseris in auxilium mihi viros*, ὅτι ἀπέστησαν quia defecerunt; ille eos dimiserat; sed dimissi facti sunt rebelles, inimici regis (v. 38. 40); S declinavit enim a me omnis exercitus; s: quia rebellarunt contra me omnes copiae.

Ionathas verbo regis confisus et libertatem et commodum populi sui exoptans postulationi regis consensit. Mittit ei tria millia virorum fortium Antiochiam, quos rex cum gaudio excepit v. 44. Quam opportune isti milites advenerint, statim panditur v. 45. Nam incolae urbis congregati in media urbe, circa centum viginti millia virorum, apertam movebant rebellionem quaerentes regem interficere. Fugit rex εἰς τὴν αὐλήν in palatium, arcem; rebelles autem occupaverant τὰς διόδους τῆς πόλεως vias, transitus, plateas urbis et coeperunt pugnare, oppugnare palatium regis. Rex in auxilium vocat Iudaeos v. 47; isti

simul congregantur ad eum; rebelles vero videntes aciem ordinatam militum mox dispersi sunt per civitatem. Iudaei autem impetum facientes in tumultuantes plurimos trucidarunt, civitatem accenderunt, spolia plurima acceperunt et regem ab omni periculo liberarunt v. 48. Oppidani autem v. 49 videntes civitatem esse a Iudaeis occupatam et eorum quasi arbitrio traditam, mente consternati supplices ad regem clamaverunt, petentes pacem et postulantes, ut Iudaeorum insultibus finis imponeretur v. 50. Proiectis itaque armis pacem fecerunt; ope Iudaeorum rebellio erat oppressa et exstincta; quare Iudaei magnam gloriam adepti sunt coram rege et in universo regno v. 51; magnaque praeda onerati reversi sunt in Ierusalem.

Quiete ope Iudaeorum restituta Demetrius per aliquod tempus in pace regnavit v. 52. Verum indolem patris imitatus eiusque quasi heres *mentitus est,* negavit *quaecumque dixit*, quaecumque promiserat; hostilem in Ionathan gerebat animum; ἔθλιβεν αὐτόν, bellum ei minatus est, nisi tributa omnia ei redderet, quae Iudaeorum gens debuit a primis Syriae regibus (Iosephus 13,5. 3).

Numeri qui referuntur v. 45 et v. 48 centum millia occisorum ex populari aestimatione et traditione secundum opinionem vulgi, qua ingens multitudo designari solet, recensentur. Simili modo postea apud Iudaeos invaluit consuetudo maximam multitudinem designare numero eorum qui ex Aegypto egressi sunt scil. 600 000 vel etiam duplici numero eorum qui ex Aegypto egressi sunt (cf. *Chwolson*, Das letzte Passamahl Christi p. 49).

13. *Ionathas ab Antiocho rege honoratus feliciter pugnat* 11,54-74.

11,54. *Post haec autem reversus est Tryphon et Antiochus cum eo puer adolescens, et regnavit et imposuit sibi diadema.* 55. *Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos disperserat Demetrius, et pugnaverunt contra eum, et fugit et terga vertit.* 56. *Et accepit Tryphon bestias et obtinuit Antiochiam.* 57. *Et scripsit Antiochus adolescens Ionathae dicens: Constituo tibi sacerdotium et constituo te super quattuor civitates, ut sis de amicis regis.* 58. *Et misit illi vasa aurea in ministerium et dedit ei potestatem bibendi in auro et esse in purpura et habere fibulam auream.* 59. *Et Simonem fratrem eius constituit ducem a terminis Tyri usque ad fines Aegypti.*

11,54. Μετὰ δὲ ταῦτα ἀπέστρεψε Τρύφων καὶ Ἀντίοχος μετ' αὐτοῦ παιδάριον νεώτερον, καὶ ἐβασίλευσε καὶ ἐπέθετο διάδημα. 55. Καὶ ἐπισυνήχθησαν πρὸς αὐτὸν πᾶσαι αἱ δυνάμεις ἃς ἀπεσκόρπισε Δημήτριος, καὶ ἐπολέμησαν πρὸς αὐτὸν, καὶ ἔφυγε καὶ ἐτροπώθη. 56. Καὶ ἔλαβε Τρύφων τὰ θηρία καὶ κατεκράτησεν Ἀντιοχείας. 57. Καὶ ἔγραψεν Ἀντίοχος ὁ νεώτερος τῷ Ἰωνάθαν λέγων. ἵστημί σοι τὴν ἀρχιερωσύνην καὶ καθίστημί σε ἐπὶ τῶν τεσσάρων νομῶν καὶ εἶναί σε τῶν φίλων τοῦ βασιλέως. 58. Καὶ ἀπέστειλεν αὐτῷ χρυσώματα καὶ διακονίαν, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ἐξουσίαν πίνειν ἐν χρυσώμασι καὶ εἶναι ἐν πορφύρᾳ καὶ ἔχειν πόρπην χρυσῆν. 59. Καὶ Σίμωνα τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ κατέστησε στρατηγὸν ἀπὸ τῆς κλίμακος Τύρου ἕως τῶν ὁρίων Αἰγύπτου.

60. *Et exiit Ionathas et perambulabat trans flumen civitates; et congregatus est ad eum omnis exercitus Syriae in auxilium et venit Ascalonem et occurrerunt ei honorifice de civitate.* 61. *Et abiit inde Gazam; et concluserunt se qui erant Gazae; et obsedit eam et succendit quae erant in circuitu civitatis et praedatus est ea.* 62. *Et rogaverunt Gazenses Ionathan, et dedit illis dextram et accepit filios eorum obsides et misit illos in Ierusalem, et perambulavit regionem usque Damascum.*

63. *Et audivit Ionathas quod praevaricati sunt principes Demetrii in Cades quae est in Galilaea, cum exercitu multo, volentes eum removere a negotio regni;* 64. *et occurrit illis; fratrem autem suum Simonem reliquit intra provinciam.* 65. *Et applicuit Simon ad Bethsuram et expugnabat eam diebus multis et conclusit eos.* 66. *Et postulaverunt ab eo dextras accipere, et dedit illis, et eiecit eos inde et cepit civitatem et posuit in ea praesidium.* 67. *Et Ionathas et castra eius applicuerunt ad aquam Genesar, et ante lucem vigilaverunt in campo Asor.* 68. *Et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo, et tendebant ei insidias in montibus; ipse autem occurrit ex adverso.* 69. *Insidiae vero exsurrexerunt de locis suis et commiserunt proelium.* 70. *Et fugerunt qui erant ex parte Ionathae omnes et nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absolomi et Iudas filius Calphi, princeps militiae exercitus.* 71. *Et scidit Ionathas vestimenta sua et posuit terram in capite suo et oravit.* 72. *Et reversus est Ionathas ad eos in proelium et convertit eos in fugam, et pugnaverunt.* 73. *Et viderunt qui fugiebant partis illius et reversi sunt ad eum et insequebantur cum eo omnes usque Cades ad castra sua et pervenerunt usque illuc;* 74. *et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum; et reversus est Ionathas in Ierusalem.*

60. Καὶ ἐξῆλθεν Ἰωνάθαν καὶ διεπορεύετο πέραν τοῦ ποταμοῦ καὶ ἐν ταῖς πόλεσι καὶ ἠθροίσθησαν πρὸς αὐτὸν πᾶσαι αἱ δυνάμεις Συρίας εἰς συμμαχίαν καὶ ἦλθεν εἰς Ἀσκάλωνα καὶ ἀπήντησαν αὐτῷ οἱ ἐκ τῆς πόλεως ἐνδόξως. 61. Καὶ ἀπῆλθεν ἐκεῖθεν εἰς Γάζαν, καὶ ἀπέκλεισαν οἱ ἀπὸ Γάζης, καὶ περιεκάθισε περὶ αὐτὴν καὶ ἐνεπύρισε τὰ περιπόλια αὐτῆς πυρὶ καὶ ἐσκύλευσεν αὐτά. 62. Καὶ ἠξίωσαν οἱ ἀπὸ Γάζης τὸν Ἰωνάθαν, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς δεξιὰς, καὶ ἔλαβε τοὺς υἱοὺς τῶν ἀρχόντων αὐτῶν εἰς ὄμηρα καὶ ἐξαπέστειλεν αὐτοὺς εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ διῆλθε τὴν χώραν ἕως Δαμασκοῦ.

63. Καὶ ἤκουσεν Ἰωνάθαν ὅτι παρῆσαν οἱ ἄρχοντες Δημητρίου εἰς Κάδης τὴν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ μετὰ δυνάμεως πολλῆς, βουλόμενοι μεταστῆσαι αὐτὸν τῆς χρείας. 64. Καὶ συνήντησεν αὐτοῖς, τὸν δὲ ἀδελφὸν αὐτοῦ Σίμωνα κατέλιπεν ἐν τῇ χώρᾳ. 65. Καὶ παρενέβαλε Σίμων ἐπὶ Βαιθσούρᾳ καὶ ἐπολέμει αὐτὴν ἡμέρας πόλλὰς καὶ συνέκλεισεν αὐτήν. 66. Καὶ ἠξίωσαν αὐτὸν τοῦ δεξιὰς λαβεῖν, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ ἐξέβαλεν αὐτοὺς ἐκεῖθεν καὶ κατελάβετο τὴν πόλιν καὶ ἔθετο ἐπ' αὐτὴν φρουράν. 67. Καὶ Ἰωνάθαν καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ παρενέβαλον ἐπὶ τὸ ὕδωρ Γεννησὰρ καὶ ὤρθρισαν τὸ πρωὶ εἰς τὸ πεδίον Ἀσώρ. 68. Καὶ ἰδοὺ παρεμβολὴ ἀλλοφύλων ἀπήντα αὐτῷ ἐν τῷ πεδίῳ καὶ ἐξέβαλον ἔνεδρον ἐπ' αὐτὸν ἐν τοῖς ὄρεσιν· αὐτοὶ δὲ ἀπήντησαν ἐξεναντίας. 69. Τὰ δὲ ἔνεδρα ἐξανέστησαν ἐκ τῶν τόπων αὐτῶν καὶ συνῆψαν πόλεμον. 70. Καὶ ἔφυγον οἱ παρὰ Ἰωνάθαν πάντες, οὐδὲ εἷς κατελείφθη ἀπ' αὐτῶν, πλὴν Ματταθίας ὁ τοῦ Ἀψαλώμου καὶ Ἰούδας ὁ τοῦ Χαλφὶ ἄρχοντες τῆς στρατιᾶς τῶν δυνάμεων. 71. Καὶ διέρρηξεν Ἰωνάθαν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἐπέθηκε γῆν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ καὶ προσηύξατο. 72. Καὶ ὑπέστρεψε πρὸς αὐτοὺς πολέμῳ, καὶ ἐτροπώσατο αὐτοὺς καὶ ἔφυγον. 73. Καὶ ἴδον οἱ φεύγοντες οἱ παρ' αὐτοῦ καὶ ἐπέστρεψαν πρὸς αὐτὸν καὶ ἐδίωκον μετ' αὐτοῦ ἕως Κάδης ἕως τῆς παρεμβολῆς αὐτῶν καὶ παρενέβαλον ἐκεῖ. 74. Καὶ ἔπεσον ἐκ τῶν ἀλλοφύλων ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ εἰς ἄνδρας τρισχιλίους· καὶ ἐπέστρεψεν Ἰωνάθαν εἰς Ἱερουσαλήμ.

Per Iudaeos quos Ionathas Demetrio in auxilium miserat, rebellio contra regem fuit suppressa et Demetrius denuo securc regnavit (11, 45-52). At mox aliud ei imminebat periculum. Tryphon enim tandem obtinuit quod volebat; vide ad 11,39.40. Reversus est ex Arabia cum Antiocho, filio Alexandri, puerulo, quem regem declaravit et cui imposuit diadema; ἐβασίλευσε (cf. 7,1) scil. Antiochus (v. 54). Ei statim se adiunxerunt milites illi veterani quos Demetrius dimiserat; cf. 11,38 ἀπεσκόρπισε, dissipaverat, abire permiserat, vel proprie iusserat abire; S, s disperserat; fertur altera lectio (ℵ, A, minusc. alq) ἀπεσκοράκισεν (i. e. εἰς κόρακας ἀποπέμπειν), ad corvos miserat i. e. magna cum ignominia dimiserat. Cum istis igitur Tryphon contra Demetrium pugnavit eo successu, ut Demetrius fugam caperet et fugiens cum mercenariis suis proelio vinceretur; ἔφυγε fugit videns exercitum contra se collectum, ἐτροπώθη et cum sese reciperet, oppugnatus et fugatus est v. 55; S et pugnavit cum eo et victus est et fugit Demetrius (s et pugnavit cum eo et fugit et contritus est). Demetrius, ut Iosephus refert (13,5,4), se recepit in Ciliciam; Seleuciam confugit, scribit Livius (Epit.52). De expeditione Tryphonis plura leguntur ex historia Diodori siculi in fragm. l. c. II p. XVII n. XXI. Tryphon fugato Demetrio *accepit bestias* i. e. elephantos scil. ad proeliandum edoctos, quos Demetrius celeriter fuga capta reliquerat et quos probabiliter (Ptolemaeo Philometore defuncto v. 18) ex exercitu aegyptiaco acquisierat; ceterum cf. 6,30; simul regni caput, *Antiochiam obtinuit.*

Ut regnum firmaret, socios sibi adsciscere curavit Iudaeos. Quare nomine regis epistolam scripsit ad Ionathan v. 58, cui itaque Antiochus rex confirmat ἀρχιερωσύνην summum sacerdotium, eumque facit praefectum quattuor regionibus praepositum; de tribus regionibus, seu toparchiis, mentio fit v. 28. 34; quae fuerit quarta toparchia, incertum est; fortasse Accaron (10,89). Aliqui, uti *Gr. Ks.*, Iudaeam designari censent; verum Iudaeam designari νομόν, sicut illae partes ad Iudaeam adiectae appellantur, nimis est improbabile; insuper cum Ionathae non solum sacerdotium asseratur, sed ei tamquam dominatori et amico regis concedantur insignia et ornamenta aurea, agnoscitur tamquam habens potestatem in Iudaea. Ptolemaidem esse intelligendam aliquibus visum est (*Calm.*); cf. 10,39? Praeterea ei misit χρυσώματα καὶ διακονίαν vasa aurea et quidem vasa escaria et potatoria; est enim διακονία suppellex in graecitate seriore (cf. Athen. 5,11); unde vulg. vasa aurea in ministerium, scil. mensae; lat. auramenta et famulitium (item S; verum s: aurum et iaculum; aurea arma!); σκεύη χρυσᾶ καὶ ἐκπώματα (Iosephus). Bene *Calm.* : « auream supellectilem, in eius usum; *ministerium* proprie sunt vasa aurea et argentea quae

abacis imponuntur; aureae suppellectilis usus uni regi vel iis, quibus per regem licebat, concedebatur»; exempla varia affert *Lap.* De purpura vide 10,20; de fibula aurea 10,89. Insuper Antiochus rex Simonem constituit στρατηγὸν, ducem *a scala* Tyriorum i. e. a monte alto, qui septemtrionem versus centum stadiis distat a Ptolemaide (Iosephus, Bell. iud. 2,10,2, hodie Ras en-Nakûrah (K.), S a finibus Tyri; *usque ad fines Aegypti* i. e. usque ad fluvium Aegypti, Wady el Arish, prope Rhinokoruram.

Ionathas autem perambulabat *trans flumen* i. e. Iordanem; in Peraea et in civitatibus commoratus id agebat, ut omnes copias Syrias quas Demetrius dimiserat sibi in societatem belli adiungeret v. 60. Iis collectis ex universa Palaestina expeditionem suscepit adversus Philisthaeos, qui olim quoque a partibus Demetrii steterant (cf. 10,75. 78). Ascalonitae quidem non resistebant, sed, uti antea 10,86, eum honorifice susceperunt. At Gazenses ἀπέκλειταν excluserunt, scil. eum, non intromittebant Ionatham; s clauserunt portas filii urbis; S clauserunt ante eum. Quare urbem obsidione cinxit et eius suburbana igne incendit et militibus ad praedam capiendam permisit. Hisce Gazenses ad pacem petendam inducti sunt, quam eis data dextra concessit simul postulatis pacis obsidibus, filiis scil. nobilium (graece; item S, s), quos in Ierusalem misit. Dein regionem usque Damascum peragrabat, ut scil. eam constantem fidamque Antiocho faceret et si qui milites (a Demetrio dimissi) ibi reperirentur eos sibi adiungeret (cf. *Calm. Lap.*). Interea ei affertur nuntius duces Demetrii perrexisse in Cades Galilaeae, ibique adesse cum magnis copiis — est Cades illa olim urbs levitarum in tribu Nephthali, in monte, versus septemtrionem et occasum a Merom — illosque id machinari, ut se a negotio removerent, scil. ne Ionathas pergeret regionem Antiocho regi subiugare. Ionathas cum illis signa conferre statuit. Sed dum ad eos iter direxit, Simonem fratrem reliquit in Iudaea; v. 64.

Simon autem, dum Ionathas bellum movit contra duces Demetrii, Bethsuram arcem obsedit et satis diu contra eam undique cinctam et conclusam pugnavit. Hanc enim arcem Antiochus Eupator expugnaverat (6,50), eamque muniverat Demetrius I (9,52) eamque Syri occupabant asseclae Demetrii. Simon tandem eos adegit ut peterent pacem v. 66; iussit Syros recedere ab arce, in qua ipse posuit praesidium. Ita arx fortis in meridionali parte Iudaeae in potestatem venit Iudaeorum.

In sequentibus v. 67 seq. narratur id quod v. 63. 64 inceptum erat, scil. quomodo Ionathas occurrerit ducibus Demetrii. Dum adversus illos proficisceretur, ipse et exercitus eius castra posuerunt *ad aquam*

Genesar i. e. lacum Genesareth, et summo mane progressi sunt in campum Asor; ὤρθρισαν εἰς τὸ πεδίον Ἀσώρ, apud LXX pro חצור (Ios. 11, 1; 3 Reg. 9,15). Ibi ei obviam venit turma alienigenarum, cohors quaedam mercenariorum quos Demetrius conduxerat; isti contra Ionathan alios milites in insidiis collocaverant in montibus; ipsi vero progressi sunt ex adverso contra Ionathan (graece); secundum vulg. ipse Ionathas iis occurrit ex adverso. Eodem tempore *insidiae*, milites in insidiis positi ex latibulis erumpentes in proelium prorumpebant v. 69. Hac subita tot militum ex varia parte irruptione perterriti milites Ionathae in fugam se coniecerunt omnes v. 70; duo solum militiae duces cum Ionatha substiterunt, Mathathias et Iudas, ἄρχοντες τῆς στρατιᾶς similiter S, s). Ionathas suorum cernens fugam maximo correptus dolore scidit vestimenta, id quod in acerbo luctu mos ac consuetudo ferebat; pulverem quoque capiti inspersit — alterum summi luctus ac tristitiae documentum — et Dei opem imploravit. Hac precatione novum hausit vigorem *et reversus est ad eos in proelium* v. 72; sese hostibus obviam iecit, quo suo fortitudinis exemplo fugientes quoque ad ineundum proelium animavit, qui videntes Ionatham cum iis qui remanserant in certamen sese proripientes ipsi quoque animos resumpserunt; sistunt fugam, redeunt, hostes aggrediuntur, eos in fugam coniiciunt, eos fugatos persequuntur usque Cades, usque in sua castra.

Num revera omnes duobus exceptis Ionatham reliquerunt? Iosephus fere quinquaginta cum eo remansisse scribit; S cum duobus illis nobiles ducum exercitus remansisse ait (s sequitur graecum). Cum duobus illis ducibus partem militum vel omnes quibus praeerant remansisse probabile est; nam profecto sine insigni miraculo, cuius tamen nulla ingeritur mentio, fieri nequit, ut tres viri contra integrum exercitum audeant pugnare v. 72. Quare et plures remansisse cum ducibus existimandum est et qui fugam arripuerint statim revertisse, simulac viderint Ionatham aliosque audacter in hostes irruentes. Id clare enuntiatur in v. 73 καὶ ἴδον οἱ φεύγοντες οἱ παρ' αὐτοῦ καὶ ἐπέστρεψαν etc.; quare ex ipsa narratione minime colligitur, quod *Wernsdorff* et *Niese* (p. 47) obiiciunt, illud nimium nobis exhiberi, quod scil. Ionathas cum duobus sociis exercitum victorem fugasset. Ad summum concedi potest in ea narratione non valde apte in v. 72 et 73 efferri seriem eventuum, sed potius quoddam ὕστερον πρότερον committi. Usque in Cades ad castra hostium eos persecuti sunt; ibique παρενέβαλον castra posuerunt ipsi quoque. Ipsa hostium castra aggredi et expugnare non videntur valuisse; forte nimis bene munita erant ac defensa. Vires enim asseclarum Demetrii minime fractas fuisse, collige

quoque ex 12,24 seq. Circa tria millia ex alienis mercenariis eo die occiderunt; et Ionathas reversus est in Ierusalem re pro Antiocho rege praeclare gesta.

14. *Legatio ad Romanos et ad Spartiatas* 12,1-18.

12,1. *Et vidit Ionathas quia tempus eum iuvat, elegit viros et misit eos Romam statuere et renovare cum eis amicitiam.* 2. *Et ad Spartiatas et ad alia loca misit epistolas secundum eandem formam.* 3. *Et abierunt Romam et intraverunt curiam et dixerunt: Ionathas summus sacerdos et gens Iudaeorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam et societatem secundum pristinum.* 4. *Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Iuda cum pace.*

5. *Et hoc est exemplum epistolarum quas scripsit Ionathas Spartiatis:* 6. *Ionathas summus sacerdos et seniores gentis et sacerdotes et reliquus populus Iudaeorum Spartiatis fratribus salutem.* 7. *Iampridem missae erant epistolae ad Oniam summum sacerdotem ab Ario qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet quod subiectum est.* 8. *Et suscepit Onias virum qui missus fuerat cum honore et accepit epistolas in quibus significabatur de societate et amicitia.* 9. *Nos, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris,* 10, *maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem et amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis; multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos.* 11. *Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus et ceteris quibus oportet memores sumus vestri in sacrificiis quae offerimus et in observationibus, sicut fas est et decet meminisse fratrum.* 12. *Laetamur itaque de gloria vestra.* 13. *Nos autem circumdederunt multae tribulationes et multa proelia et impugnaverunt nos reges qui sunt in circuitu nos-*

12,1. Καὶ εἶδεν Ἰωνάθαν ὅτι ὁ καιρὸς αὐτῷ συνεργεῖ, καὶ ἐπέλεξεν ἄνδρας καὶ ἀπέστειλεν εἰς Ῥώμην στῆσαι καὶ ἀνανεώσασθαι τὴν πρὸς αὐτοὺς φιλίαν. 2. Καὶ πρὸς Σπαρτιάτας καὶ τόπους ἑτέρους ἀπέστειλεν ἐπιστολὰς κατὰ τὰ αὐτά. 3. Καὶ ἐπορεύθησαν εἰς Ῥώμην καὶ εἰσῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ εἶπον· Ἰωνάθαν ὁ ἀρχιερεὺς καὶ τὸ ἔθνος τῶν Ἰουδαίων ἀπέστειλεν ἡμᾶς ἀνανεώσασθαι τὴν φιλίαν αὐτοῖς καὶ τὴν συμμαχίαν κατὰ τὸ πρότερον. 4. Καὶ ἔδωκαν ἐπιστολὰς αὐτοῖς πρὸς αὐτοὺς κατὰ τόπον, ὅπως προπέμπωσιν αὐτοὺς εἰς γῆν Ἰούδα μετ' εἰρήνης.

5. Καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον τῶν ἐπιστολῶν ὧν ἔγραψεν Ἰωνάθαν τοῖς Σπαρτιάταις. 6. Ἰωνάθαν ἀρχιερεὺς καὶ ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους καὶ οἱ ἱερεῖς καὶ ὁ λοιπὸς δῆμος τῶν Ἰουδαίων Σπαρτιάταις τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν. 7. Ἔτι πρότερον ἀπεστάλησαν ἐπιστολαὶ πρὸς Ὀνίαν τὸν ἀρχιερέα παρὰ Ἀρείου τοῦ βασιλεύοντος ἐν ὑμῖν ὅτι ἐστὲ ἀδελφοὶ ἡμῶν ὡς τὸ ἀντίγραφον ὑπόκειται. 8. Καὶ ἐπεδέξατο Ὀνίας τὸν ἄνδρα τὸν ἀπεσταλμένον ἐνδόξως καὶ ἔλαβε τὰς ἐπιστολὰς ἐν αἷς διεσαφεῖτο περὶ συμμαχίας καὶ φιλίας. 9. Καὶ ἡμεῖς οὖν ἀπροσδεεῖς τούτων ὄντες, παράκλησιν ἔχοντες τὰ βιβλία τὰ ἅγια τὰ ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν, 10. ἐπειράθημεν ἀποστεῖλαι τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀδελφότητα καὶ φιλίαν ἀνανεώσασθαι πρὸς τὸ μὴ ἐξαλλοτριωθῆναι ὑμῶν· πολλοὶ γὰρ καιροὶ διῆλθον ἀφ' οὗ ἀπεστείλατε πρὸς ἡμᾶς. 11. Ἡμεῖς οὖν ἐν παντὶ καιρῷ ἀδιαλείπτως ἔν τε ταῖς ἑορταῖς καὶ ταῖς λοιπαῖς καθηκούσαις ἡμέραις μιμνησκόμεθα ὑμῶν ἐφ' ὧν προσφέρομεν θυσιῶν καὶ ἐν ταῖς προσευχαῖς ὡς δέον ἐστὶ καὶ πρέπον μνημονεύειν ἀδελφῶν. 12. Εὐφραινόμεθα δὲ ἐπὶ τῇ δόξῃ ὑμῶν. 13. Ἡμᾶς δὲ ἐκύκλωσαν πολλαὶ θλίψεις καὶ πόλεμοι πολλοὶ καὶ ἐπολέμησαν ἡμᾶς οἱ βασιλεῖς οἱ κύκλῳ ἡμῶν. 14. Οὐκ ἠβουλόμεθα οὖν παρενοχλεῖν ὑμῖν καὶ τοῖς λοιποῖς συμμάχοις καὶ φίλοις ἡμῶν ἐν τοῖς πολέμοις τούτοις. 15. Ἔχομεν γὰρ τὴν ἐξ

tro. 14. *Noluimus ergo vobis molesti esse, neque ceteris sociis et amicis nostris in his proeliis.* 15. *Habuimus enim de coelo auxilium et liberati sumus nos et humiliati sunt inimici nostri.* 16. *Elegimus itaque Numenium Antiochi filium et Antipatrem Iasonis filium et misimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam et societatem pristinam.* 17. *Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos et salutent vos et reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostrae.* 18. *Et nunc benefacietis respondentes nobis ad haec.*

οὐρανοῦ βοήθειαν βοηθοῦσαν ἡμῖν καὶ ἐρρύσθημεν ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν καὶ ἐταπεινώθησαν οἱ ἐχθροὶ ἡμῶν. 16. Ἐπελέξαμεν οὖν Νουμήνιον Ἀντιόχου καὶ Ἀντίπατρον Ἰάσωνος καὶ ἀπεστάλκαμεν πρὸς Ῥωμαίους ἀνανεώσασθαι τὴν πρὸς αὐτοὺς φιλίαν καὶ συμμαχίαν τὴν προτέραν. 17. Ἐνετειλάμεθα οὖν αὐτοῖς καὶ πρὸς ὑμᾶς πορευθῆναι καὶ ἀσπάσασθαι ὑμᾶς καὶ ἀποδοῦναι ὑμῖν τὰς παρ' ἡμῶν ἐπιστολὰς περὶ τῆς ἀνανεώσεως καὶ τῆς ἀδελφότητος ἡμῶν. 18. Καὶ νῦν καλῶς ποιήσετε ἀντιφωνήσοντες ἡμῖν πρὸς ταῦτα.

Emolumenta quae eousque populo Israel acquisita erant, unice debebantur variis illis in regno syriaco disceptationibus regibusque inter se de dominatione litigantibus. Quae rerum conditio incerta per se minime placere poterat viro sapienti. Quare Ionathas firmum quoddam prosperitatis ac libertatis fundamentum ponere desiderabat. Id vero se consequi sperabat eo modo quo Iudas populo suo libertatem vindicare non sine prospero successu tentabat (8,31), scil. foederibus cum aliis initis, quibus respublica Iudaeorum tuta redderetur et ab arbitrio ac tyrannide regum Syrorum vindicaretur.

Rebus eousque gestis et victoriis reportatis Ionathas suam potestatem firmavit et auxit. Unde tali rerum conditione tempus esse opportunum ratus est ad foedera concludenda. Cum enim natio Iudaeorum bellis feliciter gestis nomen sibi famamque fecisset, facile eius amicitiam societatemque aliae nationes appetere seu recipere velle censeri poterant. Id Ionathas probe intellexit, scil. ὅτι ὁ καιρὸς αὐτῷ συνεργεῖ v. 1. tempus ei favet, cum eo quasi cooperatur, ei utile est. Quos elegerit Romam mittendos, discimus v. 16; mittit eos ut firmarent, i. e. renovarent foedus antea conclusum, ut amicitiam Romanorum populo conciliarent. Insuper v. 2 ad Spartiatas quoque et ad alia loca misit Ionathas epistolas eiusdem argumenti, eiusdem formae, κατὰ τὰ αὐτά. scil. uti per legatos Romanis misit epistolam, qua renovationem foederis expetebat, ita idem ab aliis quoque nationibus postulabat.

Legati in senatu Romae excepti sunt et quod petebant consecuti sunt; insuper v. 4 eis traditae sunt epistolae ad magistratus variarum regionum πρὸς αὐτοὺς κατὰ τόπον, ad eos qui praeerant singulis locis ad quae iter facientes perventuri essent, ut legatis opem praeberent, eos protegerent iter facientes in Iudaeam, ut secure et cum pace proficiscerentur.

Sequitur τὸ ἀντίγραφον, exemplar epistolae Spartiatis missae. Inscrip-

tio v. 6 more consueto effertur; ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους senatus, summus populi magistratus nominatur 2 Mach. 1,10; 4,44; 11,27 (iam tempore Antiochi IV et V); sed de eius constitutione, numero senatorum nihil constat. Notant δῆμος fere solum adhiberi in documentis publicis vel ad alias nationes missis (8,29; 14,20; 15,17); forte ea voce designari populum Iudaeorum esse liberum atque sui iuris (*Gr.*). Dicuntur Spartiatae *fratres* per hebraismum i. e. contribules, qui ex communi quadem stirpe originem ducunt, vel progenitores habent cognatos et nationem suam ad eundem populi auctorem referunt (cf. אח Ex. 2,11. Num. 8,26. Deut. 15,2 etc.); vide v. 21. Tres noti sunt summi sacerdotes nomine Onias: cui pater erat Iaddus pontifex (Iosephus 11,8,7), Onias I tempore Ptolemaei Lagi et Seleuci Nicatoris, qui gessit pontificatum 323-300 a. Ch.; Onias II, filius Simonis II pontificis (Iosephus 12,4,10), pontifex tempore Seleuci Philopatoris; Onias III 2 Mach. 3-5 tempore Antiochi Epiphanis. Rex Spartiatarum in codicibus graecis vocatur Δαρειος (similiter S, s); at vulgata et Iosephus efferunt nomen Arius, Ἄρειος. Areios vel Ἀρεύς rex eius nomine I regnavit 309-265 a. Ch.; alter Areios nepos prioris mortem obiit puer annorum octo 257. Unde hoc loco v. 7 solum intelligi possunt Onias I et Areios I, utpote eiusdem temporis viri. Areus commemoratur a Diodoro sic. 20,29,1; cf. fragm. hist. gr. I p. 346; vide *Wissowa*, Realencykl. d. class. Alt. II p. 682. Illud ἀντίγραφον, rescriptum legitur v. 20-23. Legatum Arei regis quem ad Oniam misit nominat Iosephus Demotelem (13,5, 8). In ea epistola clare sermo erat de societate belli περὶ συμμαχίας et amicitia (cf. 23). Sed Ionathas scribit se hisce non opus habere, scil. hac sua epistola et legatione non id se intendere et spectare, ut Spartiatae populo Iudaeorum in bellis opem ferant milites et pecunias mittendo; nam Iudaeis esse solatio sacros libros; scil. in iis continentur divinae promissiones, quibus certi reddantur de auxilio divino et de victoriis et de cladibus hostium, dummodo sese fideles exhibeant in observatione legis et in cultu divino. Aliter verba concipit Iosephus: Iudaeos non egere eiusmodi demonstratione (τῆς τοιαύτης ἀποδείξεως) de cognatione, quia de ea ipsis persuasum sit ex sacris libris. Ita quoque verba explicant *Serarius*, *Calm.*; sed prior explicatio cum *Lap. K. Gr.* retinenda est; ad eam vide v. 14. 15.

Legationem autem mitti ait v. 10 ut memoria cognationis et amicitiae renovetur; ἐπειράθημεν conati sumus, operam dedimus; quo loquendi modo animi prompti ad renovandam amicitiam declarantur, id quod alia sententia quoque enuntiatur, *ne forte alieni efficiamur a vobis*; etenim a tempore Oniae et regis multum effluxit temporis. At quam fideliter Iudaei illorum memores sint exponitur v. 11; festis

diebus ἐν ταῖς ἑορταῖς sollemnitatibus (pascha, pentecoste, festum tabernaculorum) aliisque diebus convenientibus, in quibus scil. sacrificia coetusque sacri celebrantur, sabbatis, noviluniis, pro iis quoque preces fundunt, memores eorum in oblatione sacrificiorum et ἐν ταῖς προσευχαῖς, in obsecrationibus; vulg. *in observationibus*, in sacris ritibus (*Lap. Calm.*); verum legendum erit in obsecrationibus. Si enim pro regibus gentilibus sacrificia et preces offerunt (cf. Ier. 29,7. Esdr. 6,10; Iosephus, Bell. iud. 2,17,2; c. Ap. 2,6), id multo magis praestare decet pro fratribus i. e. popularibus, cognatis. Exhibetur animus verae amicitiae v. 12: *laetamur de gloria vestra,* de prospero statu, fama celebri, opibus.

Diversa plane est conditio Iudaeorum v. 13; reges Aegypti, Syriae, duces eorum, duces gentium variarum cp. 5; cf. 1.2; adhibetur quippe βασιλεύς sensu quoque latiore (apud Homerum; apud Athenienses eo nomine vocabatur archon alter). Quibus in rerum angustiis Iudaei tamen auxilium sociorum non implorarunt v. 14; nam ἔχομεν. nobis praesto est coelitus auxilium, auxilium a Deo v. 15. Legati Romam missi sunt Numenius et Antipater, viri ceteroquin ignoti, eos fuisse ex ordine senatorio, ex gerusia, viros honoratos, Iosephus de suo addit; Iasonem eundem esse, de quo 8,17, coniici potest. Hisce legatis mandatum est, ut Roma reversi adirent Spartiatas et litteras traderent v. 17, ad quas ut illi respondeant optatur v. 18.

15. *Exemplar epistolae ad Oniam missae* 12,19-23.

12,19. *Et hoc est rescriptum epistolarum quod miserat Oniae:*

20. *Arius rex Spartiatarum Oniae sacerdoti magno salutem.*

21. *Inventum est in scriptura de Spartiatis et Iudaeis, quoniam sunt fratres et quod sunt de genere Abraham.* 22. *Et nunc ex quo haec cognovimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra.* 23. *Sed et nos rescripsimus vobis: pecora nostra et possessiones nostrae vestrae sunt, et vestrae nostrae; mandavimus itaque haec nuntiari vobis.*

12,19. Καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον τῶν ἐπιστολῶν ὧν ἀπέστειλαν Ονίᾳ.

20. Ἄρειος βασιλεὺς Σπαρτιατῶν Ὀνίᾳ ἱερεῖ μεγάλῳ χαίρειν.

21. Εὑρέθη ἐν γραφῇ περί τε τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ἰουδαίων ὅτι εἰσὶν ἀδελφοὶ καὶ ὅτι εἰσὶν ἐκ γένους Ἀβραάμ. 22. Καὶ νῦν ἀφ' οὗ ἔγνωμεν ταῦτα, καλῶς ποιήσετε γράφοντες ἡμῖν περὶ τῆς εἰρήνης ὑμῶν. 23. Καὶ ἡμεῖς δὲ ἀντιγράφομεν ὑμῖν, τὰ κτήνη ὑμῶν καὶ ἡ ὕπαρξις ὑμῶν ἡμῖν ἐστὶ καὶ τὰ ἡμῶν ὑμῖν ἐστίν· ἐντελλόμεθα οὖν ὅπως ἀπαγγείλωσιν ὑμῖν κατὰ ταῦτα.

Traditur itaque exemplum descriptum epistolae quam misit (S) scil. Arius, ἀπέστειλαν (ℵ, A, 23. 62 al.; s quae missa est) miserunt, Spartiatae; S effert lectionem Ονιαρης, dum s hoc loco prope ad nomen Αρειος accedit. Etiam ex 2 Mach. 5,9 patet eo tempore pervulgatam

fuisse opinionem exstare cognationem quandam inter Iudaeos et Lacedaemonios. Hanc cognationem Arius rex asserit in scripto quodam documento affirmari eo quod utrique essent ex genere Abraham. Plurima tentamina facta sunt ad deprehendendum, ex quonam fonte haec opinio orta esset. At vera eius origo neutiquam reperiri potuit. Veterum opiniones referunt *Serarius*, *Lap.* *Winer* (Realwoerterbuch); sed cum nulla rei probabilitas ab ullo statuatur, inutile esset innumeras illas referre coniecturas. Simile quid refertur in decreto Pergamenorum (Iosephus, Antiq. 14,10. 22), in quo Pergameni dicunt iam temporibus Abraham maiores suos fuisse amicos Iudaeorum, « prout in acta publica relatum invenimus », καθὼς ἐν τοῖς δημοσίοις εὑρίσκομεν γράμμασιν. Hac itaque cognatione exposita exoptat rex eosque invitat, ut scribant quomodo valeant, *de pace*, de salute, de sua suarumque rerum conditione; καλῶς ποιήσετε est modus elegans postulandi, hortandi. Commercium litterarum rex promittit καὶ ἡμεῖς δὲ ἀντιγράφομεν ὑμῖν et nos iterum vobis scribimus; firmum enuntiari propositum iterum scribendi indicatur per illud praesens ἀντιγράφομεν. Inter se auxilium praestare mutuamque fovere amicitiam velle indicatur : *pecora nostra*, κτήνη generatim possessiones, praecipue greges; cum sequatur ὕπαρξις, notio de pecoribus seu gregibus erit retinenda. S : omne quod vobis est nobis est et omne nostrum est vestrum; s accuratius exprimit graecum. Estne haec proverbialis formula, qua in omnibus inter se opem ferre spondent? Ita multi concipiunt, quamvis id certo probari nequeat. Ad belli societatem verba haud aptari videntur; ad exprimendam amicitiam utique non sunt inepta. Qui has litteras reddunt, illi iussi sunt — *mandavimus* — haec quae in epistola brevibus dicta sunt pluribus explicare.

Iosephus huius epistolae mentionem facit Antiq. 12,4,10, ubi de Onia scribit. Additur in fine : « Demoteles qui litteras affert διαπέμπει τὰς ἐπιστολάς. Scriptura est quadrata, sigillum est aquila draconem tenens ». Quasi haec in epistola ipsa fuissent scripta, pergit Iosephus : « et epistola quidem a Lacedaemoniorum rege missa haec continebat ». Illud διαπέμπει etc. sensum exhibet ultimae sententiae epistolae. Quod addit de scriptura et sigillo, inepte exhibet in ipsa epistola esse scriptum. Voluitne hisce insinuare se vidisse ipsum exemplum epistolae?

Adnotat *Rabanus* : Iosephus non videtur tamen cognationem Spartiatarum cum Iudaeis veram, sed aliquam societatem velle exprimere.

16. *Ionathas pugnat, munit urbem* 12,24-38.

12,24. *Et audivit Ionathas quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius pugnare adversus eum.* 25. *Et exiit ab Ierusalem et occurrit eis in Amathite regione; non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem eius.* 26. *Et misit speculatores in castra eorum, et reversi renuntiaverunt quod constituunt supervenire illis nocte.* 27. *Cum occidisset autem sol, praecepit Ionathas suis vigilare et esse in armis paratos ad pugnam tota nocte, et posuit custodes per circuitum castrorum.* 28. *Et audierunt adversarii quod paratus est Ionathas cum suis in bello, et timuerunt et formidaverunt in corde suo et accenderunt focos in castris suis.* 29. *Ionathas autem et qui cum eo erunt non cognoverunt usque mane; videbant autem luminaria ardentia.* 30. *Et secutus est eos Ionathas et non comprehendit eos; transierant enim flumen Eleutherum.*

31. *Et divertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Zabadaei et percussit eos et accepit spolia eorum.* 32. *Et iunxit et venit Damascum et perambulabat omnem regionem illam.* 33. *Simon autem exiit et venit usque ad Ascalonem et ad proxima praesidia, et declinavit in Ioppen, et occupavit eam;* 34. *(audivit enim quod vellent praesidium tradere partibus Demetrii), et posuit ibi custodes, ut custodirent eam.*

35. *Et reversus est Ionathas et convocavit seniores populi et cogitavit cum eis aedificare praesidia in Iudaea,* 36. *et aedificare muros in Ierusalem et exaltare altitudinem magnam inter medium arcis et civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa singulariter et neque emant neque vendant.* 37. *Et convenerunt ut aedificarent civitatem; et cecidit murus qui erat super torrentem ab ortu solis et reparavit eum qui vocatur Caphetetha.* 38. *Et*

12,24. Καὶ ἤκουσεν Ἰωνάθαν ὅτι ἐπέστρεψαν οἱ ἄρχοντες Δημητρίου μετὰ δυνάμεως πολλῆς ὑπὲρ τὸ πρότερον τοῦ πολεμῆσαι πρὸς αὐτόν. 25. Καὶ ἀπῆρεν ἐξ Ἱερουσαλὴμ καὶ ἀπήντησεν αὐτοῖς εἰς τὴν Ἀμαθῖτιν χώραν· οὐ γὰρ ἔδωκεν αὐτοῖς ἀνοχὴν τοῦ ἐμβατεῦσαι εἰς τὴν χώραν αὐτοῦ. 26. Καὶ ἀπέστειλε κατασκόπους εἰς τὴν παρεμβολὴν αὐτῶν, καὶ ἀπέστρεψαν καὶ ἀπήγγειλαν αὐτῷ ὅτι οὕτως τάσσονται ἐπιπεσεῖν ἐπ' αὐτοὺς τὴν νύκτα. 27. Ὡς δὲ ἔδυ ὁ ἥλιος, ἐπέταξεν Ἰωνάθαν τοῖς παρ' αὐτοῦ γρηγορεῖν καὶ εἶναι ἐπὶ τοῖς ὅπλοις ἑτοιμάζεσθαι εἰς πόλεμον δι' ὅλης τῆς νυκτὸς, καὶ ἐξέβαλε προφύλακας κύκλῳ τῆς παρεμβολῆς. 28. Καὶ ἤκουσαν οἱ ὑπεναντίοι ὅτι ἡτοίμασται Ἰωνάθαν καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ εἰς πόλεμον, καὶ ἐφοβήθησαν καὶ ἔπτηξαν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, καὶ ἀνέκαυσαν πυρὰς ἐν τῇ παρεμβολῇ αὐτῶν καὶ ἀνεχώρησαν. 29. Ἰωνάθαν δὲ καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ οὐκ ἔγνωσαν ἕως πρωΐ, ἔβλεπον γὰρ τὰ φῶτα καιόμενα. 30. Καὶ κατεδίωξεν Ἰωνάθαν ὀπίσω αὐτῶν καὶ οὐ κατέλαβεν αὐτοὺς, διέβησαν γὰρ τὸν Ἐλεύθερον ποταμόν.

31. Καὶ ἐξέκλινεν Ἰωνάθαν ἐπὶ τοὺς Ἄραβας τοὺς καλουμένους Ζαβαδαίους καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα αὐτῶν. 32. Καὶ ἀναζεύξας ἦλθεν εἰς Δαμασκὸν καὶ διώδευσεν ἐν πάσῃ τῇ χώρᾳ. 33. Καὶ Σίμων ἐξῆλθε καὶ διώδευσεν ἕως Ἀσκάλωνος καὶ τὰ πλησίον ὀχυρώματα καὶ ἐξέκλινεν εἰς Ἰόππην καὶ προκατελάβετο αὐτήν· 34. ἤκουσε γὰρ ὅτι βούλονται τὸ ὀχύρωμα παραδοῦναι τοῖς παρὰ Δημητρίου, καὶ ἔθετο ἐκεῖ φρουρὰν ὅπως φυλάσσωσιν αὐτήν.

35. Καὶ ἐπέστρεψεν Ἰωνάθαν καὶ ἐξεκλησίασε τοὺς πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ καὶ ἐβουλεύσατο μετ' αὐτῶν τοῦ οἰκοδομῆσαι ὀχυρώματα ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, 36. καὶ προςυψῶσαι τὰ τείχη Ἱερουσαλὴμ καὶ ὑψῶσαι ὕψος μέγα ἀναμέσον τῆς ἄκρας καὶ τῆς πόλεως εἰς τὸ διαχωρίζειν αὐτὴν τῆς πόλεως, ἵνα ᾖ αὕτη κατὰ μόνας ὅπως μήτε ἀγοράζωσι μήτε πωλῶσι. 37. Καὶ συνήχθησαν τοῦ οἰκοδομεῖν τὴν πόλιν, καὶ ἔπεσεν τοῦ τείχους τοῦ χειμάρρου τοῦ ἐξ ἀπηλιώτου, καὶ ἐπεσκεύασεν τὸ καλούμενον Χαφεναθά. 38. Καὶ Σίμων ᾠκοδόμησε τὴν

Simon aedificavit Adiada in Sephela et munivit eam et imposuit portas et seras.	Ἀδιὰ ἐν τῇ Σεφήλᾳ καὶ ὠχύρωσε θύρας καὶ μοχλούς.

Narratione de legatione absoluta reducimur in v. 24 ad bellum Ionathae contra Demetrium (cf. 11,74). Simulac innotuit duces Demetrii denuo reverti multo maiore numero militum quam antea, ut pugnarent contra Ionathan, ipse statuit urbe relicta bellum transferre in regionem hostium v. 25; quare exercitui hostili obviam ivit in terram Hamath, εἰς τὴν Ἀμαθῖτιν χώραν, חמת apud LXX Num. 13,21; 34,8; 4 Reg. 14,25; 25,21 Αἰμάθ, etiam Ἡμάθ 2 Reg. 8,9; 3 Reg. 8,65 vel Ἀμάθ etc. in vulg. Emath, quae est urbs ad Orontem fluvium ad radices Libani montis in septemtrione. Celeriter Ionathas exercitum suum instruxit et iter paravit; *non enim dederat eis spatium* ἀνοχήν moram, otium, ut in ipsam Iudaeam pervenire possent. Ceterum rumor de numero hostium valde exaggeratus fuisse videtur — *audivit Ionathas* v. 24 — nam duces Demetrii non ausi sunt in aperta acie Iudaeos aggredi et mox sese receperunt tecti noctis tenebris v. 28. Ionathas missis exploratoribus certior factus est hostes noctu inopinato castra aggredi velle v. 26. Quare suos vigilare armatosque ad pugnam esse paratos expeditosque iussit et undique circa castra custodes posuit, qui statim hostes appropinquantes nuntiarent v. 27. Unum omisit quod hostes non omiserunt : nocte ingruente hostes per exploratores audierunt Iudaeos in castris paratos esse ad bellum εἰς πόλεμον, non itaque cum iis congredi ausi, verum arte quadam belli usi *accenderunt focos in castris suis* et silentio et quiete noctis ἀνεχώρησαν clam terga dederunt, se receperunt. Ionathas autem, cum castra ignibus fulgentia videret, nihil de fuga eorum suspicatus est. Attamen ducis prudentis fuit facere quod hostes fecerunt, qui per exploratores didicerunt Iudaeos in castris vigiles esse ad pugnam; quare non ipse quoque exploravit quid in castris hostium ageretur? Quod auctor scribit : *timuerunt* etc. merito infert ex fuga hostium. Illud in v. 28 καὶ ἀνεχώρησαν, quod praebent Iosephus (Ant. 13,5,10) et aliqui codices minusculi 19. 64. 93,62 et S, s (fugerunt) plane necessario etiam textui vulg. inseri debet, ut quae dicuntur in v. 29 intelligantur : *non cognoverunt usque mane* scil. hostes abiisse; *videbant enim luminaria ardentia* in castris, unde hostes ibi consistere putabant per totam noctem. Frustra iussit Ionathas celerrime suos insequi; hostes enim per noctem longiore spatio praecepto minime comprehendi poterant; iam transierant Eleutherum fluvium v. 30, qui est medius inter Phoenicen et Syriam, hodie Nahr el Kebir? cf. 11,7. Cur Ionathas non consultum esse existimaverit fluvio traiecto hostes persequi, vix in difficultate traiiciendi

positum est. Si enim illi transire poterant, cur non et alii? fluvium interea nimis intumuisse, coniectura est satis improbabilis. Probabilius est Ionathan prudenter perpendisse periculum cui suos exponeret in regione hostili undique circumdatos et conclusos ab adversariis.

Aciem suam Ionathas divertit in tribum quandam Arabum, in Zabadaeos; quae causa fuerit oppugnationis, nescimus, nisi unam illam assumamus, eos a partibus stetisse Demetrii. Nomen videtur servari in hodierno Zebedani, quod est nomen montis, planitiei, oppidi in itinere a Damasco Baalbek versus. Ab his devictis praedam acceperunt milites Ionathan, praemium expeditionis susceptae laborumque v. 31. Inde profectus, ἀναζεύξας (cf. 11,22. 2 Mach. 5,11; 12,29), *venit Damascum*, vulg. *et iunxit*, et reversus est? (equos iungere currui ad reditum?) *et perambulabat omnem regionem illam*, in securitate; incolae igitur favebant Iudaeis vel certe non audebant iis creare molestias. Commemorat Iosephus non Zabadaeos, sed Nabataeos v. 31; probabiliter posuit pro suo arbitrio nomen notum pro ignoto, cum alias de Zabadaeis non occurrat mentio apud veteres — apud Plinium 6,33 meliores editiones praebent Gebadei, non Zebadei; ceterum hi arabes sunt in terra orientali Nili prope fines Aethiopiae; cf. Zeitschrift der d. morgenl. Gesellschaft, t. 25 p. 531 — insuper quod iam *Calm.* monet, Nabataei sunt amici Iudaeorum (5,25; 9,35) neque ea in regione sedes habebant.

Quae in v. 33. 34 de Simone narrantur, ὑπὸ τὸν αὐτὸν καιρὸν (Iosephus), sub idem tempus gesta sunt. Dum Ionathan in septemtrionali parte versaretur, Simon in regione Philisthaeorum arces et praesidia tutatus est, ne asseclis Demetrii traderentur; de Ascalone cf. 10,68; 11,60; Ioppen προκατελάβετο praevenit scil. eos qui eam asseclis Demetrii tradere tentabant, eam pro se occupavit; de Ioppe cf. 10,75; et militare praesidium in ea collocavit, ut urbs Iudaeis servaretur. Num Ionathas (10,75. 76) nullum ibi praesidium reliquerat? Vix probabile. Illud erat aut nimis tenue aut ex ipsis urbis militibus constans, qui nunc tentabant a Iudaeis deficere et arcem τὸ ἐχύρωμα prodere. Eorum conatus efficaciter frustravit Simon celeri adventu et praesidio collocato.

Ionathas reversus in urbem concilio seniorum convocato cum iis deliberavit de arcibus in Iudaea aedificandis; οἰκοδομῆσαι exstruere, et etiam in melius restituere, resarcire, alia aedificare munimenta (cf. 1,35). Pariter deliberatum est προσυψῶσαι altiora reddere, altius extollere moenia Ierusalem; « moenia instaurare, templi septum quod dirutum erat reficere, loca circumcirca turribus praealtis munire » (Iosephus 13,5,11); praeterea erigere murum altum eumque ducere inter arcem et urbem, ut arx plane separaretur ab urbe, ut esset

ipsa arx κατὰ μόνας seorsim, separata, ab omni commercio cum urbe exclusa et prohibita, ne qui in arce essent emere possent aut vendere. Hoc modo commeatuum copia prohibiti mox fame cogerentur arcem relinquere milites syri praesidiarii; cf. 13,49. Iam bis conatus erat Ionathas Syros ex arce expellere; 11,20 arcem oppugnabat; 11,41 postulavit eiectionem a Demetrio, qui quamvis promisisset, tamen promissis minime stetit 11,42. 53.

Seniores, ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους (12,6) consenserunt iis quae Ionathas proposuit; συνήχθησαν *convenerunt;* in dictione τοῦ οἰκοδομεῖν τὴν πόλιν propter notionem verbi singula possunt contineri, de quibus in v. 36 deliberatum est. Sed de illo muro inter urbem et arcem abhinc altum est silentium; nunquam eius infertur mentio; moxne iterum dirutus est? an non exstructus? sed ob 13,49 tamen exstitisse murum illum suadetur. Dum autem moenia urbis superaedificatione altiora redderent, ἔπεσεν τοῦ τείχους concidit pars muri ad torrentem (Cedron) τοῦ ἐξ ἀπηλιώτου ad plagam orientalem; fundamenta illius muri non satis firma fuisse putari potest, ita ut superstructionem illam ferre nequirent. Damnum repararunt; et reparavit (Ionathas) — ἐπεσκεύασεν ℵ, Al. 62. 106 S, vulg, s? — alii ἐπεσκεύασαν τὸ καλούμενον nomine Caphetetha pars illa muri collapsi erit intelligenda; verum de notione nominis nihil certi dici potest, S praebet : et obruit collem qui vocatur Cesphonito.

Dum Ionathas operibus in urbe praeesset, Simon aedificavit Ἀδιδὰ in planitie, in Sephela שפלה, in loco demisso, nomen est regionis ad mare adiacentis inter Ioppen et Gazam (Ios. 11,16; 15,33 vulg in campestribus). Situm urbis describit Iosephus : Addida urbs in monte posita, cui subiecta erant Iudaeae campestria (τὰ πεδία, Ant. 13,6,5); censetur oppidum הדיד Esdr. 2,33; Neh. 7,37; 11,34, hodiernum Hadith a Lydda orientem versus situm prope colles aliquot. Oppidum propter belli rationem prudenti duci commendatum esse, inde quoque patet, quod Vespasianus Ierusalem oppugnatione conclusurus etiam in Adida exstruxit castella (στρατόπεδα) et praesidia imposuit (Bell. iud. 4,9,1). Urbem munivit portis et repagulis, vectibus (S; s aedificaverunt Adida... et munierunt eam et statuerunt ei portas et vectes). Secundum S Adida erat in colle (?, s in Asphar?).

17. *Perfidia Tryphonis, capitur Ionathas* 15,39-54.

12,39. *Et cum cogitasset Tryphon regnare Asiae et assumere diadema et extendere manum in Antiochum regem,* 40. *timens ne forte non permitteret eum Ionathas, sed pugnaret adversus eum,*

12,39. Καὶ ἐζήτησε Τρύφων βασιλεῦσαι τῆς Ἀσίας καὶ περιθέσθαι τὸ διάδημα καὶ ἐκτεῖναι χεῖρα ἐπὶ Ἀντίοχον τὸν βασιλέα· 40. καὶ εὐλαβήθη μήποτε οὐκ ἐάσῃ αὐτὸν Ἰωνάθαν καὶ μήποτε πολεμήσῃ πρὸς αὐτὸν

quaerebat comprehendere eum et occidere. Et exsurgens abiit in Bethsan.
41. *Et exivit Ionathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in proelium et venit Bethsan.*
42. *Et vidit Tryphon quia venit Ionathas cum exercitu multo, ut extenderet in eum manus, timuit;* 43. *et excepit eum cum honore et commendavit eum omnibus amicis eius et dedit ei munera et praecepit exercitibus suis, ut obedirent ei, sicut sibi.* 44. *Et dixit Ionathae : ut quid vexasti universum populum, cum bellum nobis non sit?*
45. *et nunc remitte eos in domos suas; elige autem tibi viros, paucos qui tecum sint et veni mecum Ptolemaidam, et tradam eam tibi et reliqua praesidia et exercitum et universos praepositos negotii, et conversus abibo; propterea enim veni.*
46. *Et credidit ei et fecit sicut dixit, et dimisit exercitum et abierunt in terram Iuda.* 47. *Retinuit autem secum tria millia virorum, ex quibus remisit in Galilaeam duo millia, mille autem venerunt cum eo.* 48. *Ut autem intravit Ptolemaidam Ionathas, clauserunt portas civitatis Ptolemenses et comprehenderunt eum, et omnes qui cum eo intraverant gladio interfecerunt.* 49. *Et misit Tryphon exercitum et equites in Galilaeam et in campum magnum, ut perderent omnes socios Ionathae.* 50. *At illi cum cognovissent quia comprehensus est Ionathas et periit et omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos et exierunt parati in proelium.* 51. *Et videntes hi qui insecuti fuerant quia pro anima res est illis, reversi sunt.* 52. *Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Iuda, et planxerunt Ionathan et eos qui cum ipso fuerant valde, et luxit Israel luctu magno.*
53. *Et quaesierunt omnes gentes quae erant in circuitu eorum conterere eos; dixerunt enim :* 54. *non habent principem et adiuvantem; nunc ergo expugnemus illos, et tollamus de hominibus memoriam eorum.*

καὶ ἐζήτει πόρον τοῦ συλλαβεῖν αὐτὸν καὶ ἀπολέσαι, καὶ ἀπάρας ἦλθεν εἰς Βαιθσάν.
41. Καὶ ἐξῆλθεν Ἰωνάθαν εἰς ἀπάντησιν αὐτῷ ἐν τεσσαράκοντα χιλιάσιν ἀνδρῶν ἐπιλελεγμέναις εἰς παράταξιν καὶ ἦλθεν εἰς Βαιθσάν. 42. Καὶ εἶδε Τρύφων ὅτι πάρεστιν μετὰ δυνάμεως πολλῆς, καὶ ἐκτεῖναι χεῖρας ἐπ' αὐτὸν εὐλαβήθη· 43. καὶ ἐπεδέξατο αὐτὸν ἐνδόξως καὶ συνέστησεν αὐτὸν πᾶσι τοῖς φίλοις αὐτοῦ καὶ ἔδωκεν αὐτῷ δόματα καὶ ἐπέταξε ταῖς δυνάμεσιν αὐτοῦ ὑπακούειν αὐτῷ ὡς ἑαυτῷ.
44. Καὶ εἶπε τῷ Ἰωνάθαν· ἱνατί ἔκοψας πάντα τὸν λαὸν τοῦτον πολέμου μὴ ἐνεστηκότος ἡμῖν; 45. καὶ νῦν ἀπόστειλον αὐτοὺς εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν, ἐπίλεξαι δὲ σεαυτῷ ἄνδρας ὀλίγους οἵτινες ἔσονται μετὰ σοῦ, καὶ δεῦρο μετ' ἐμοῦ εἰς Πτολεμαΐδα καὶ παραδώσω σοι αὐτὴν καὶ τὰ λοιπὰ ὀχυρώματα καὶ τὰς δυνάμεις τὰς λοιπὰς καὶ πάντας τοὺς ἐπὶ τῶν χρειῶν, καὶ ἐπιστρέψας ἀπελεύσομαι, τούτου γὰρ χάριν πάρειμι.
46. Καὶ ἐμπιστεύσας αὐτῷ ἐποίησε καθὼς εἶπε καὶ ἐξαπέστειλε τὰς δυνάμεις καὶ ἀπῆλθον εἰς γῆν Ἰούδα. 47. Κατέλιπε δὲ μεθ' ἑαυτοῦ ἄνδρας τρισχιλίους, ὧν δισχιλίους ἀφῆκεν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, χίλιοι δὲ συνῆλθον αὐτῷ. 48. Ὡς δὲ εἰσῆλθεν Ἰωνάθαν εἰς Πτολεμαΐδα, ἀπέκλεισαν οἱ Πτολεμαεῖς τὰς πύλας καὶ συνέλαβον αὐτὸν, καὶ πάντας τοὺς εἰσελθόντας μετ' αὐτοῦ ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ. 49. Καὶ ἀπέστειλε Τρύφων δυνάμεις καὶ ἵππον εἰς τὴν Γαλιλαίαν καὶ τὸ πεδίον τὸ μέγα τοῦ ἀπολέσαι πάντας τοὺς παρὰ Ἰωνάθαν. 50. Καὶ ἐπέγνωσαν ὅτι συνελήφθη καὶ ἀπόλωλε καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, καὶ παρεκάλεσαν ἑαυτοὺς καὶ ἐπορεύοντο συνεστραμμένοι ἕτοιμοι εἰς πόλεμον. 51. Καὶ ἴδον οἱ διώκοντες ὅτι περὶ ψυχῆς αὐτοῖς ἐστὶ, καὶ ἐπέστρεψαν. 52. Καὶ ἦλθον πάντες μετ' εἰρήνης εἰς γῆν Ἰούδα, καὶ ἐπένθησαν τὸν Ἰωνάθαν καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα καὶ ἐπένθησε πᾶς Ἰσραὴλ πένθος μέγα.

53. Καὶ ἐζήτησαν πάντα τὰ ἔθνη τὰ κύκλῳ αὐτῶν ἐκτρῖψαι αὐτοὺς, εἶπαν γὰρ· 54. οὐκ ἔχουσιν ἄρχοντα καὶ βοηθοῦντα· νῦν οὖν πολεμήσωμεν αὐτοὺς καὶ ἐξάρωμεν ἐξ ἀνθρώπων τὸ μνημόσυνον αὐτῶν.

De Tryphone vide 11,39. 54 seq. Quaerebat se facere regem Asiae i. e. Syriae; quare extendere manum in Antiochum VI i. e. eum occidere cogitabat. De Antiocho vide 11,39. 54. Tryphonis ambitioni non satis erat regno frui sub Antiochi nomine et absolutam sub eo exercere potestatem (*Calm.*) : ipsum regium nomen affectabat. Merito autem animo volvebat se usurpatorem regni caede regis pueri commissa minime agnitum iri a Ionatha qui partes Antiochi fortiter tuebatur contra duces Demetrii. Quare prius ipsum ducem Iudaeorum e medio tollere satagebat; ἐζήτει πόρον quasi viam (transitum) rei efficiendae exquirebat, modum aliquem et subsidium ut eum comprehenderet et perderet. Quem in finem venit in Bethsan i. e. Scythopolim. Eum cum exercitu venisse, iam ex ἀπάρας concludi potest, cum ea vox saepe de ducibus cum exercitu abeuntibus adhibeatur (1 Mach. 3,37; 4,1. 3; 5,66; 6,32 etc.), et patet ex eo quod Ionathas cum quadraginta millibus, cum magna manu eaque ad pugnandum in acie selecta, ei occurrit v. 41. Tryphon tam magnum exercitum videns ἐκτεῖναι χεῖρας ἐπ' αὐτὸν εὐλαβήθη in eum manum extendere verebatur; non audebat quidquam sinistri tunc in eum moliri, eum comprehendere, e medio tollere. Ita ex textu graeco et S; s habet (ut vulg.) : vidit Tryphon quia venit ut extenderet manum in eum et timuit. Verum sententiam graece expressam rerum conditioni congruere liquet. Ionathas enim partes tuebatur Antiochi, cuius dux Tryphon erat. Unde non erat, cur Ionathas insidias pararet Tryphoni; de Tryphonis autem consilio iam in v. 40 dictum erat. Sed cur Ionathas cum tanto exercitu obviam ivit Tryphoni? Ex iis quae Iudaei eousque experti erant a regibus Syriae Ionathas merito timere poterat, ne Tryphon veniret ad novum servitutis iugum populo Israel imponendum; hoc ut praecaveret, munitiones illas v. 35-38 exstruxerat; verum ex illis ipsis poterat Tryphon occasionem arripere et praetextum ad libertatem Iudaeorum oppugnandam. Erant enim praesidia illa totidem documenta quibus Ionathas testari videbatur consilium penitus abiiciendi dominium Syrorum. Erat itaque ducis prudentis exercitum habere instructum ac paratum contra Tryphonem. Ceterum Ionathas cum pugnasset contra duces Demetrii, ad eandem pugnam continuandam sine ulla suspicione Tryphoni exercitum adducere videri poterat; quare Ionathas ex sua parte neutiquam eum ad inimicitias provocavit neque iustam dedit suspicionis causam exercitu adducto.

Tryphon autem pessimam mentem obtexit; honoribus in Ionathan collatis eum omni suspicione ablata securum ac confidentem reddere studet v. 43; commendavit eum amicis suis, ut ipsi quoque eum honorarent eoque uterentur familiariter; imo s habet : eum constituit

super omnes amicos suos (om : dedit ei munera); S vero addit : et dixit amicis suis et dederunt ei ipsi quoque munera et exercitui eius. Insuper id agit ut Ionathas dimisso exercitu secum proficiscatur. Quare v. 44 miratur, cur nullo bello instante totum populum vexaverit et defatigaverit; quare consulit v. 45 ut milites domum remittat, et ut cum comitibus paucis veniat secum Ptolemaidam; astute ei promittit se daturum Ptolemaidam in eius potestatem, cuius possessionem ei iam pollicitus erat Demetrius I (10,39); urbs haec maritima et portu instructa quam maxima exoptata esse videbatur Ionathae. Simul cum urbe spondet se ei commissurum esse alia praesidia, arces, milites καὶ πάντας τοὺς ἐπὶ τῶν χρειῶν eos qui negotiis praesunt (cf. 10, 41), officia et munera civilia gerunt, officiales qui dicuntur. Totam itaque administrationem se ei cessurum affirmat; qua tradita se reversurum et abiturum esse. Eius itaque negotii causa se venisse mentitur.

Ionathas ei fidem adhibuit v. 46; nam quod quis exoptat facile credit. Dimittit exercitum; quorum maior pars *abierunt in terram Iuda*: duo millia reliquit in Galilaea, mille secum duxit Ptolemaidam v. 47. Ibi statim manifestatur Tryphonis perfidia; clauduntur portae civitatis (om S); Ionathas capitur; comites eius trucidantur v. 48. Et Tryphon Iudaeos quoque, scil. duo millia in Galilaea (v. 47) interimere volebat; quare pedites et equites misit in Galilaeam et *in campum magnum* (5,52) i. e. in Esdrelon, ut perderent omnes socios Ionathae. Sed hi ex suorum calamitate non deiecti, sed animis roborati, inter se ad fortiter pugnandum hortati hostibus obviam ierunt parati ad pugnam; quod de Ionatha audierunt *periit* καὶ ἀπόλωλε, rumor falsus erat, sed in aliorum comitum eius caede valde credibilis, imo fere necessario sparsus. Milites Tryphonis videntes paratos esse pro vita strenue pugnare, certamen inire non ausi regressi sunt v. 51; συνεστραμμένοι conglobati, acie condensa et conferta in pugnam progressi sunt; περὶ ψυχῆς de vita agitur; ergo parati erant more desperatorum se omni periculo obiicere.

Sine ulteriore molestia venerunt in terram Iuda; ibi luctum funebrem de Ionatha peregerunt et de sociis eius planctu ac *luctu magno* v. 52. Fama de illorum interitu sparsa gentes inimicae exsultabant sperantes iam contritum iri Israel, cum principe carerent ac duce et adiutore. Quanto odio Iudaei nationibus fuerint, ex hac earum spe manifestatur; ipsum Iudaeorum nomen ac memoriam apud homines exstinguere desiderabant.

PARS TERTIA

RES A SIMONE GESTAE 13,1-16,24.

1. *Simon eligitur dux* 13,1-11.

13,1. *Et audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Iuda et attereret eam.* 2. *Videns quia in tremore populus est et in timore, ascendit Ierusalem et congregavit populum;* 3. *et adhortans dixit : vos scitis, quanta ego et fratres mei et domus patris mei fecimus pro legibus et pro sanctis proelia et angustias quales vidimus;* 4. *horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israel et relictus sum ego solus.* 5. *Et nunc non mihi contingat parcere animae meae in omni tempore tribulationis; non enim melior sum fratribus meis.* 6. *Vindicabo itaque gentem meam et sancta, natos quoque nostros, et uxores, quia congregatae sunt universae gentes conterere nos inimicitiae gratia.*

7. *Et accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos;* 8. *et responderunt voce magna dicentes : tu es dux noster loco Iudae et Ionathae fratris tui;* 9. *pugna proelium nostrum et omnia quaecumque dixeris nobis faciemus.* 10. *Et congregans omnes viros bellatores acceleravit consummare universos muros Ierusalem et munivit eam in gyro.* 11. *Et misit Ionathan filium Absalomi et cum eo exercitum novum in Ioppen et eiectis his qui erant in ea remansit illic ipse.*

13,1. Καὶ ἤκουσε Σίμων ὅτι συνήγαγε Τρύφων δύναμιν πολλὴν τοῦ ἐλθεῖν εἰς γῆν Ἰούδα καὶ ἐκτρῖψαι αὐτήν. 2. Καὶ εἶδε τὸν λαὸν ὅτι ἐστὶν ἔντρομος καὶ ἔκφοβος, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ ἤθροισε τὸν λαόν· 3. Καὶ παρεκάλεσεν αὐτοὺς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· αὐτοὶ οἴδατε ὅσα ἐγὼ καὶ οἱ ἀδελφοί μου καὶ ὁ οἶκος τοῦ πατρός μου ἐποιήσαμεν περὶ τῶν νόμων καὶ τῶν ἁγίων, καὶ τοὺς πολέμους καὶ τὰς στενοχωρίας ἃς εἴδομεν· 4. τούτου χάριν ἀπώλοντο οἱ ἀδελφοί μου πάντες χάριν τοῦ Ἰσραὴλ καὶ κατελείφθην ἐγὼ μόνος. 5. Καὶ νῦν μή μοι γένοιτο φείσασθαί μου τῆς ψυχῆς ἐν παντὶ καιρῷ θλίψεως, οὐ γάρ εἰμι κρείσσων τῶν ἀδελφῶν μου. 6. Πλὴν ἐκδικήσω περὶ τοῦ ἔθνους μου καὶ περὶ τῶν ἁγίων καὶ περὶ τῶν γυναικῶν καὶ περὶ τῶν τέκνων ἡμῶν, ὅτι συνήχθησαν πάντα τὰ ἔθνη ἐκτρῖψαι ἡμᾶς ἔχθρας χάριν.

7. Καὶ ἀνεζωπύρησε τὸ πνεῦμα τοῦ λαοῦ ἅμα τῷ ἀκοῦσαι τῶν λόγων τούτων· 8. καὶ ἀπεκρίθησαν φωνῇ μεγάλῃ λέγοντες· σὺ εἶ ἡμῶν ἡγούμενος ἀντὶ Ἰούδα καὶ Ἰωνάθαν τοῦ ἀδελφοῦ σου· 9. πολέμησον τὸν πόλεμον ἡμῶν καὶ πάντα ὅσα ἂν εἴπῃς ἡμῖν ποιήσομεν. 10. Καὶ συνήγαγε πάντας τοὺς ἄνδρας τοὺς πολεμιστὰς καὶ ἐτάχυνε τοῦ τελέσαι τὰ τείχη Ἱερουσαλὴμ καὶ ὠχύρωσεν αὐτὴν κυκλόθεν. 11. Καὶ ἀπέστειλεν Ἰωνάθαν τὸν τοῦ Ἀψαλώμου καὶ μετ' αὐτοῦ δύναμιν ἱκανὴν εἰς Ἰόππην καὶ ἐξέβαλε τοὺς ὄντας ἐν αὐτῇ καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ ἐν αὐτῇ.

Tryphon strage illa Iudaeis inflicta (12,48 seq.) minime contentus populum ulterius affligere, terram devastare (ἐκτρῖψαι) velle videbatur. Nuntius quippe allatus est ad Simonem eum copiosum exer-

citum eo consilio collegisse et populum propter eum et odium gentium (12,53) magno in timore versari. Quare Simon ex planitie Schephela (12,38) in urbem ascendit et populum congregavit τὸν λαόν, non solum seniores γερουσίαν, sed concionem populi convocavit, cives urbis. Illi enim erant animandi et confortandi qui terrore perculsi erant (v. 2). Hos itaque erigere studet commemorans primo praelia quae ipse et fratres et cognati patris (cf. 2,17) i. e. *domus patris mei* fecerint ad sacras leges et sanctuarium tuendum v. 3; et quas experti sint angustias. Commemorat mortem fratrum (etiam Ionatham occisum putat); cf. 6,43; 9,18. 38. 42. Horum vestigia se quoque sequi velle profitetur; vitam et sanguinem profundere se esse paratum pro salute populi; *vindicabo;* iura eorum tuebor, iniurias illatas repellam, contra gentes defendam.

Animum ostenderat fortem, exempla heroum in memoriam revocaverat: hisce animi eorum qui audiunt accenduntnr ἅμα τῷ ἀκοῦσαι, vigore vocis et vi exempli pertrahuntur, excutiunt timorem; magna voce ei acclamant, ut sit dux, ut pugnam suscipiat, spondent ei obsequium. Vide 14,35; simul enim positus est summus sacerdos. Simon accepta ea dignitate munitiones Ierusalem perficiendas curavit v. 10; cf. 12,36. Praeterea omnia molitus est, ut Ioppe Iudaeis servaretur. Propter portum, adeoque propter commercium maritimum plurimum intererat urbem habere; quae si teneretur, etiam praecaveri poterat, ne copiae e navibus educerentur contra Iudaeos. Quare misit Ionathan filium Absalomi (11,70?) cum exercitu sufficienti (δύναμιν ἱκανήν, S exercitum multum) in Ioppen; incolas quibus fidere non poterat eiecit et ipse cum militibus ibi remansit, ita augens illud praesidium quod Simon ibi iam posuerat (12,33). Etiam Iosephus scribit: praecepit ei, ut incolas (τοὺς οἰκήτορας) eiiceret; metuebat enim, ne isti urbem Tryphoni traderent (13,6,4).

2. *Perfidia Tryphonis occiditur Ionathas* 13,12-24.

13,12. *Et movit Tryphon a Ptolemaida cum exercitu multo, ut veniret in terram Iuda, et Ionathas cum eo in custodia.* 13. *Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi.* 14. *Et ut cognovit Tryphon, quia surrexit Simon loco fratris sui Ionathae et quia commissurus esset cum eo proelium, misit ad eum legatos,* 15. *dicens: pro argento quod debebat frater tuus Ionathas in ratione regis, propter negotia*

13,12. Καὶ ἀπῆρε Τρύφων ἀπὸ Πτολεμαΐδος μετὰ δυνάμεως πολλῆς εἰςελθεῖν εἰς γῆν Ἰούδα, καὶ Ἰωνάθαν μετ' αὐτοῦ ἐν φυλακῇ. 13. Σίμων δὲ παρενέβαλεν ἐν Ἀδίδοις κατὰ πρόςωπον τοῦ πεδίου. 14. Καὶ ἐπέγνω Τρύφων ὅτι ἀνέστη Σίμων ἀντὶ Ἰωνάθαν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ καὶ ὅτι συνάπτειν αὐτῷ μέλλει πόλεμον, καὶ ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν πρέσβεις, 15. λέγων· περὶ ἀργυρίου οὗ ὤφειλεν Ἰωνάθαν ὁ ἀδελφός σου εἰς τὸ βασιλικόν, δι' ἃς εἶχε χρείας συνέχομεν αὐτόν· 16. καὶ νῦν ἀπόστει-

quae habuit, detinuimus eum; 16. *et nunc mitte argenti talenta centum et duos filios eius obsides, ut non dimissus fugiat a nobis, et remittemus eum.* 17. *Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum, iussit tamen dare argentum et pueros, ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel dicentem :* 18. *Quia non misit ei argentum et pueros, propterea periit.* 19. *Et misit pueros et centum talenta, et mentitus est et non dimisit Ionathan.*

20. *Et post haec venit Tryphon intra regionem ut contereret eam, et gyraverunt per viam quae ducit Ador, et Simon et castra eius ambulabant in omnem locum quocumque ibant.* 21. *Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos, ut festinaret venire per desertum et mitteret illis alimonias.* 22. *Et paravit Tryphon omnem equitatum, ut veniret illa nocte; erat autem nix multa valde et non venit... in Galaaditim.* 23. *Et cum appropinquasset Bascaman, occidit Ionathan et filios eius illic.* 24. *Et convertit Tryphon et abiit in terram suam.*

λον ἀργυρίου τάλαντα ἑκατὸν καὶ δύο τῶν υἱῶν αὐτοῦ ὅμηρα, ὅπως μὴ ἀφεθεὶς ἀποστατήσῃ ἀφ' ἡμῶν, καὶ ἀφήσομεν αὐτόν.

17. Καὶ ἔγνω Σίμων ὅτι δόλῳ λαλοῦσι πρὸς αὐτὸν, καὶ πέμπει τὸ ἀργύριον καὶ τὰ παιδάρια, μήποτε ἔχθραν ἄρῃ μεγάλην πρὸς τὸν λαὸν, λέγοντες· 18. ὅτι οὐκ ἀπέστειλα αὐτῷ τὸ ἀργύριον καὶ τὰ παιδάρια καὶ ἀπώλετο. 19. Καὶ ἀπέστειλε τὰ παιδάρια καὶ τὰ ἑκατὸν τάλαντα, καὶ διεψεύσατο καὶ οὐκ ἀφῆκε τὸν Ἰωνάθαν.

20. Καὶ μετὰ ταῦτα ἦλθε Τρύφων τοῦ ἐμβατεῦσαι εἰς τὴν χώραν καὶ ἐκτρῖψαι αὐτὴν, καὶ ἐκύκλωσαν ὁδὸν τὴν εἰς Ἄδωρα, καὶ Σίμων καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ ἀντιπαρῆγεν αὐτῷ εἰς πάντα τόπον οὗ ἂν ἐπορεύετο. 21. Οἱ δὲ ἐκ τῆς ἄκρας ἀπέστελλον πρὸς Τρύφωνα πρεσβευτὰς κατασπεύδοντας αὐτὸν τοῦ ἐλθεῖν πρὸς αὐτοὺς διὰ τῆς ἐρήμου καὶ ἀποστεῖλαι αὐτοῖς τροφάς. 22. Καὶ ἡτοίμασε Τρύφων πᾶσαν τὴν ἵππον αὐτοῦ ἐλθεῖν, καὶ ἐν τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ ἦν χιὼν πολλὴ σφόδρα καὶ οὐκ ἦλθε διὰ τὴν χιόνα, καὶ ἀπῆρε καὶ ἦλθεν εἰς τὴν Γαλααδῖτιν. 23. Ὡς δὲ ἤγγισε τῇ Βασκαμᾷ, ἀπέκτεινε τὸν Ἰωνάθαν καὶ ἐτάφη ἐκεῖ. 24. Καὶ ἐπέστρεψε Τρύφων καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ.

Nuntius Simoni allatus (v. 1) veritate nitebatur; Tryphon revera a Ptolemaide cum exercitu magna versus Iudaeam discessit, secum ducens Ionathan captivum. Simon ei obviam profectus castra posuit in Addus ἐν Ἀδίδοις (cf. 12,38) versus planitiem. Tryphon videns exercitum Iudaeorum paratum et expeditum non audet proelium committere, sed tutius censet dolo et mendaciis uti. Nuntiandum curat Simoni, Ionathan debere aerario regio multum pecuniae ob munera quae gessisset; βασιλικόν (cf. 2 Mach. 3,13) explica aerarium regium; χρεῖαι munera, officia, erat scil. summus sacerdos et princeps a rege institutus (cf. 11,57). Verum totum hoc a Tryphone falso confingi, patet ex v. 17 et ex modo agendi Tryphonis (cf. 12,48; 13,23). Postulat centum talenta argenti et duos filios Ionathae tamquam obsides — duos filios, S, s, vulg; δύο τῶν υἱῶν αὐτοῦ — obsides fingit postulare, ne Ionathas libertati restitutus ἀποστατήσῃ ἀφ' ἡμῶν deficiat a nobis, nostris partibus relictis transeat ad adversarios. Hominis vafritiem ac dolum perspexit quidem Simon; misit tamen argentum et pueros, ne magnam apud populum incurreret invidiam. Isti enim facilius fidem

adhibentes verbis Tryphonis Simonem accusarent vel avaritiae vel ambitionis regnandi, si omnem negligeret modum fratrem liberandi. Dicerent enim, ut recte apud se expendit Simon : quia non misi (misit S, s, vulg) ei argentum et pueros, periit v. 18. Tryphon non stetit promissis per legatos datis; mentitus erat, διεψεύσατο mendacio fefellit, negavit se talia per legatos promisisse (cf. *Gr. K. Ks.*) v. 19, quo altero sensu verbum accipi potest.

Tum tentavit Tryphon ingredi terram eamque devastare; sed cum Simon cum suis esset in Adiada (v. 13; cf. 12,38), non poterat per iter directum tendere Ierusalem versus; quare *gyraverunt per viam quae ducit Ador*, circuierunt versus Ador i. e. aliquo circuitu per planitiem tetendit εἰς Ἄδωρα (2 Par. 11,9), hodie Dura, quod est oppidum haud ita longe ab Hebron inter meridiem et occidentem situm. Verum Simon et exercitus eius ἀντιπαρῆγεν αὐτῷ a latere eius, ex adverso eum secuti sunt ubique; dum ille per planitiem iter verteret versus Ador, Simon per regionem montanam ex adverso et quasi a latere eum comitabatur. Videtur Tryphon voluisse e regione meridionali urbem petere et ea occupata libertatem Iudaeorum opprimere. Sed Simon eius vestigiis inhaerens eum cohibuit. Dum Tryphon eo modo procederet, advenerunt ad eum legati missi ab iis qui in arce erant, qui eum urgebant ut per desertum Iudae ad se veniret et alimenta sibi afferret (cf. 12,36). Voluit quidem omnes equites mittere; at prae nimia nive non poterant iter perficere. Non audet congredi cum exercitu Simonis, sed re infecta ex deserto Iudae circumiens partem meridionalem maris mortui sese recipit in Galaad. Iratus de malo successu occidit Ionathan et duos eius filios et reversus est in Syriam. Occidit eos apud Bascaman i. e. Tell Bazuk, quod nomen satis congruit praesertim cum Βασκά apud Iosephum (Ant. 13,6,6); Bazuk situm est in Dscholan a septemtrionali parte lacus Tiberiadis orientem versus; ergo in via qua ex Galaad in Coelen Syriam pervenitur. Est Tell Bazuk collis ex planitie exsurgens (cf. Zeitschrift des deutschen Palästinavereins 1886 p. 353; 1889 p. 151; Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1894 p. 756). In v. 22 textus vulg. mancus est; textus graecus solum aptum fundit sensum eodemque modo S, s. Scil. non venit propter nivem (ut opem ferret iis qui in arce erant); sed profectus est et abiit in Galaad.

3. *Monumentum erigitur in Modin* 13,25-30.

13,25. *Et misit Simon et accepit ossa Ionathae fratris sui et sepelivit ea in Modin civitate patrum eius.* 26. *Et*

13,25. Καὶ ἀπέστειλε Σίμων καὶ ἔλαβε τὰ ὀστᾶ Ἰωνάθαν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, καὶ ἔθαψεν αὐτὸν ἐν Μωδεὶν πόλει τῶν πατέρων

planxerunt eum omnis Israel planctu magno et luxerunt eum dies multos. 27. *Et aedificavit Simon super sepulcrum patris sui et fratrum suorum aedificium altum visu lapide polito retro et ante;* 28. *et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri et matri et quatuor fratribus;* 29. *et his circumposuit columnas magnas, et super columnas arma ad memoriam aeternam, et iuxta arma naves sculptas, quae viderentur ab omnibus navigantibus mare.* 30. *Hoc est sepulcrum quod fecit in Modin usque in hunc diem.*

αὐτοῦ. 26. Καὶ ἐκόψαντο αὐτὸν πᾶς Ἰσραὴλ κοπετὸν μέγαν καὶ ἐπένθησαν αὐτὸν ἡμέρας πολλάς. 27. Καὶ ᾠκοδόμησε Σίμων ἐπὶ τὸν τάφον τοῦ πατρὸς αὐτοῦ καὶ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ καὶ ὕψωσεν αὐτὸν τῇ ὁράσει λίθῳ ξεστῷ ἐκ τῶν ὄπισθεν καὶ ἐκ τῶν ἔμπροσθεν· 28. καὶ ἔστησεν ἐπ' αὐτὰ ἑπτὰ πυραμίδας, μίαν κατέναντι τῆς μιᾶς, τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ καὶ τοῖς τέσσαρσιν ἀδελφοῖς· 29. καὶ ταύταις ἐποίησε μηχανήματα περιθεὶς στύλους μεγάλους, καὶ ἐποίησεν ἐπὶ τοῖς στύλοις πανοπλίας εἰς ὄνομα αἰώνιον, καὶ παρὰ ταῖς πανοπλίαις πλοῖα ἐπιγεγλυμμένα εἰς τὸ θεωρεῖσθαι ὑπὸ πάντων τῶν πλεόντων τὴν θάλασσαν.

30. Οὗτος ὁ τάφος ὃν ἐποίησεν ἐν Μωδεὶν ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.

Ex textu graeco et S, s Ionathas etiam sepultus est in Bascama (13,23). Simon itaque ossa fratris e sepulcro eruenda curavit et ea denuo sepulcro condidit in Modin, urbe paterna (2,1). Populus funus eius debitis honoribus prosecutus est (cf. 12,52; 2,70); luctus per multos dies protractus testimonio est, quanti virum eiusque res gestas aestimaverint. Merita eius postea in tabulis aereis commemorata sunt (cf. 14,30). Simon monumentum sepulcrale erexit in Modin, quod in v. 27-30 describitur. Construxit scil. aedificium super sepulcrum patris fratrumque et ὕψωσεν αὐτὸν i. e. τάφον, monumentum sepulcrale altum fecit τῇ ὁράσει, ut scil. longe lateque conspici posset, illudque vestivit lapide polito in parte et aversa et antica, a tergo et a fronte. Super hoc aedificium (ἐπ' αὐτὰ deest in ℵ A 19,23,55. vulg S, s; sed facile suppletur) statuit septem pyramides, unam oppositam alteri, unam ex adverso alterius, binas et binas posuit; sex in memoriam patris, matris, quattuor fratrum; septimam sibi destinavit sperans se in sepulcro paterno iri conditum. Illis affigenda curavit μηχανήματα v. 29 opera quaedam arte elaborata, ornamenta; ita probabilissime; S, s machinas; res oppugnatorias in memoriam oppugnationum? sed eiusmodi emblemata bellica columnis affixa esse statim docemur; circumposuit columnas magnas, circa pyramides, ut videtur ex ipsa serie descriptionis; in columnis autem disposita erant arma, armaturae plenae, in memoriam perennem bellorum gestorum et iuxta armaturas posuit naves sculptas, imagines seu figuras navium e lapide elaboratas seu exsculptas, probabiliter in memoriam Ioppes urbis ac portus (10,76; 12,33; 14,5). Haec vero monumenta ita erant posita, ut conspici possent ab omnibus navigantibus mare. Atque monumentum hoc sepulcrale vise-

batur in Modin tempore quo auctor librum hunc composuit — *usque in hunc diem*, qua sententia longius intervallum temporis indicatur inter erectionem et diem hodiernum. De pyramidibus Iosephus scribit : αἳ καὶ μέχρι δεῦρο σώζονται.

In Onomastico Euseb. Hier. legitur : Modeim vicus iuxta Diospolim, unde fuerunt Machabaei, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur; ὧν καὶ τὰ μνήματα εἰς ἔτι νῦν δείκνυνται. Postquam P. Emmanuel Forner ex familia religiosorum S. Francisci vicum hodiernum El Medieh et ruinas ibi repertas ad Modin Machabaeorum pertinere enuntiavit, Guérin ibi excavationes faciendas curavit et in ruinis quae vocantur Kharbet el Medieh certa reperit vestigia monumenti sepulcralis Machabaeorum. Ea describit in Revue archéologique 1872, II, p. 267 seq. et in opere : Description de la Palestine, Samarie II, p. 55-64 et p. 404-426.

4. *Simon partes Demetrii eligit* 13,31-40.

13,31. *Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum.* 32. *Et regnavit loco eius et imposuit sibi diadema Asiae et fecit plagam magnam in terra.* 33. *Et aedificavit Simon praesidia Iudaeae, muniens ea turribus excelsis et muris magnis et portis et seris, et posuit alimenta in munitionibus.* 34. *Et elegit Simon viros et misit ad Demetrium regem, ut faceret remissionem regioni, quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti.* 35. *Et Demetrius rex ad verba ista respondit ei et scripsit epistolam talem :*

36. *Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti et amico regum et senioribus et genti Iudaeorum salutem.*

37. *Coronam auream et bahem quam misistis suscepimus et parati sumus facere vobiscum pacem magnam et scribere praepositis regis remittere vobis quae indulsimus.* 38. *Quaecumque enim constituimus, vobis constant; munitiones quas aedificastis vobis sint.* 39. *Remittimus quoque ignorantias et peccata usque in hodiernum diem et coronam quam debebatis; et si quid*

13,31. Ὁ δὲ Τρύφων ἐπορεύετο δόλῳ μετὰ Ἀντιόχου τοῦ βασιλέως τοῦ νεωτέρου καὶ ἀπέκτεινεν αὐτόν· 32. καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ καὶ περιέθετο τὸ διάδημα τῆς Ἀσίας καὶ ἐποίησε πληγὴν μεγάλην ἐπὶ τῆς γῆς. 33. Καὶ ᾠκοδόμησε Σίμων τὰ ὀχυρώματα τῆς Ἰουδαίας καὶ περιετείχισε πύργοις ὑψηλοῖς καὶ τείχεσι μεγάλοις καὶ πύλαις καὶ μοχλοῖς καὶ ἔθετο βρώματα ἐν τοῖς ὀχυρώμασι. 34. Καὶ ἐπέλεξε Σίμων ἄνδρας καὶ ἀπέστειλε πρὸς Δημήτριον τὸν βασιλέα τοῦ ποιῆσαι ἄφεσιν τῇ χώρᾳ, ὅτι πᾶσαι αἱ πράξεις Τρύφωνος ἦσαν ἁρπαγαί. 35. Καὶ ἀπέστειλεν αὐτῷ Δημήτριος ὁ βασιλεὺς κατὰ τοὺς λόγους τούτους καὶ ἀπεκρίθη αὐτῷ καὶ ἔγραψεν αὐτῷ ἐπιστολὴν τοιαύτην.

36. Βασιλεὺς Δημήτριος Σίμωνι ἀρχιερεῖ καὶ φίλῳ βασιλέων καὶ πρεσβυτέροις καὶ ἔθνει Ἰουδαίων χαίρειν.

37. Τὸν στέφανον τὸν χρυσοῦν καὶ τὴν βαΐνην ἣν ἀπεστείλατε κεκομίσμεθα, καὶ ἕτοιμοί ἐσμεν τοῦ ποιεῖν ὑμῖν εἰρήνην μεγάλην καὶ γράφειν τοῖς ἐπὶ τῶν χρειῶν τοῦ ἀφιέναι ὑμῖν ἀφέματα. 38. Καὶ ὅσα ἑστήκαμεν πρὸς ὑμᾶς ἕστηκε, καὶ τὰ ὀχυρώματα ἃ ᾠκοδομήκατε ὑπαρχέτω ὑμῖν. 39. Ἀφίεμεν δὲ ἀγνοήματα καὶ τὰ ἁμαρτήματα ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, καὶ τὸν στέφανον ὃν ὠφείλετε καὶ εἴ τι ἄλλο ἐτελωνεῖτο ἐν Ἱερουσαλὴμ μηκέτι

aliud erat tributarium in Ierusalem, iam non sit tributarium. 40. Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros conscribantur, et sit inter nos pax.

τελωνείσθω. 40. Καὶ εἴ τινες ἐπιτήδειοι ὑμῶν γραφῆναι εἰς τοὺς περὶ ἡμᾶς, ἐγγραφέσθωσαν, καὶ γενέσθω ἀναμέσον ἡμῶν εἰρήνη.

Perfidiae Tryphonis in Ionathan commissae aliud eiusdem facinus adiungit s. auctor hoc iam loco commemorans Antiochum dolose a Tryphone esse occisum. Eius occisionis mentionem faciunt alii rerum scriptores postquam Demetrius ab Arsace, Parthorum rege, captus est (14,13). Ita Iosephus (13,5,11. 6,1; 7,1), item indicat Diodorus sic. (fragm. hist. II p. XIX n. 25), Appianus (Syr. 67,68), Iustinus (36,1) atque ex iis quae apud Livium Epit. 52 et 55 narrantur, idem sequitur. Nam Tryphon Alexandri filio, bimulo admodum, regnum asserebat et « Alexandri filius decem annos admodum habens a Diodoto qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis medicis qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant occiderunt ». Secundum ea itaque Tryphon per octo annos Antiochum regem retinuit. Demetrius autem regnavit anno 167 sel. et eo solum tempore Tryphon cum Antiocho reversus sibi imposuit diadema (11,19,54), et Demetrius expeditionem contra Parthos suscepit anno 172 sel. (14,1). Si itaque Tryphon per annos octo Antiocho rege puero usus est, certe eum occidit Demetrio iam capto. Iosephus vero asserit Antiochum occisum esse postquam per quattuor annos regnavit (13,7,1) non multo postquam Demetrius captus est. Sacer auctor itaque hoc loco rerum ordinem quendam ac cognationem sequitur, seriem temporis parumper omittens.

Tryphon ἐπορεύετο δόλῳ dolose egit cum Antiocho; cf. πορεύεσθαι σοφίᾳ Prov. 28,26, ὀπίσω τῶν ἐπιθυμιῶν Eccli. 18,29; κατὰ χεῖρά σου Eccl. 25,25 etc. de itinere cum eo facto (vulg) verba non sunt intelligenda. Puero occiso Tryphon regium nomen sibi attribuit, *fecit plagam magnam*, in bellis scil. quae gessit contra satrapas et duces e regia familia oriundos (cf. Müller, fragm. l. c.). Simon, uti monumento sepulcrali debitum honorem exhibuit patri et fratribus, ita pari studio securitati et protectioni populi prospexit arces et munitiones in Iudaea exstruendo et iam exstructas reddendo firmiores, et comeatum in iis collocando v. 33. Insuper a perfido Tryphone esse recedendum sibi persuasit. Mittit igitur legatos ad Demetrium regem, a quo Ionathas recesserat quia promissis datis non stetit (11,53); non stetit promissis, quando erat in pace et securitate (11,52). Verum impugnatus a Tryphone censeri poterat pro tempore periculi cuncta concedere, quae Simon opem laturus peteret. Experientia enim constabat

reges Syriae Iudaeis favere quamdiu eorum ope indigerent. Postulat itaque Simon dum muneribus missis eum agnoscit regem legitimum, ut populo concedat *remissionem*, immunitatem a tributis et impunitatem (cf. v. 39); *omnes actus* Tryphonis, exactiones pecuniarum violentae rapinae erant; quidquid agebat, ad populum diripiendum pertinebat v. 34. Unum exemplum a quo reliqua disci possunt habetur in fraudulenta illa exactione centum talentorum (13, 15,17).

Demetrius, qui iam antea in summo discrimine opem Iudaeorum expertus erat (11,43-52), etiamtum libenter accepit pacem a Simone postulatam. Litteras dedit quibus eum agnoscit ipsa inscriptione summum sacerdotem et amicum regum (S amicum regis, s regni); explicant βασιλέων etiam successorum (?), cognatorum regis; de titulo amici cf. 10,20; 11,26. 27. In signum obsequii miserat Simon coronam auream (cf. 10,20. 29; 11,35) et bahem, βαΐνην, βαιν (A 55. 62), ramum palmae ex auro fabrefactum (iam *Lap.* bene explicavit; cf. 2 Mach. 14,4; S : legationem? dona missa? s דכיתא?); haec rex benevole accepit; paratum se esse scribit facere *pacem magnam,* perfectam, qua omnis occasio seu causa inimicitiarum funditus removeatur; etiam scribere vult τοῖς ἐπὶ τῶν χρειῶν (cf. 12,45) magistratibus, praepositis, ut remittant quae ipse remitti iusserit. Sollemni forma confirmat quae modo concessit v. 38 quaecumque statuimus pro vobis, stant ἕστηκε, haec manent, consistunt, valent. Magni momenti est quod munitiones quas aedificarunt ad eos pertinere debent. Remittuntur quoque v. 39 ἀγνοήματα καὶ ἁμαρτήματα, ita nominat defectionem a suis partibus, transitum ad Antiochum et Tryphonem, impugnationes ducum suorum, errata, culpas ex ignorantia commissas, delicta nominans. Integram concedit veniam praeteritorum, impunitatem. Etiam coronam quam mittere debebant (cf. 10, 29) condonat i. e. aurum coronarium; praeterea si quid aliud ἐτελωνεῖτο i. e. si aliud quod vectigal exigebatur in Ierusalem, iam non exigatur; vectigalium exactionis sedes praecipua erat Ierusalem. Conceditur itaque remissio tributi. Et si qui ex Iudaeis idonei sunt, qui inter corporis custodes regis conscribantur et qui referantur in numerum satellitum regis, inscribantur. Videtur rex maluisse seligere custodes corporis ex alienigenis (cf. 11,38).

5. *Simon occupat Gazaram et arcem in urbe* 13,41-54.

13,41. *Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum gentium ab Israel;*

13,41. Ἔτους ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἤρθη ὁ ζυγὸς τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τοῦ Ἰσραήλ·

42. *et coepit populus Israel scribere in tabulis et gestis publicis : anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce et principe Iudaeorum.*

43. *In diebus illis applicuit Simon ad Gazam et circumdedit eam castris et fecit machinas et applicuit ad civitatem et percussit turrem unam et comprehendit eam.* 44. *Et eruperant qui erant intra machinam in civitatem, et factus est motus magnus in civitate.* 45. *Et ascenderunt qui erant in civitate cum uxoribus et filiis supra murum scissis tunicis suis et clamaverunt voce magna postulantes a Simone dextras sibi dari;* 46. *et dixerunt : non nobis reddas secundum malitias nostras, sed secundum misericordias tuas.* 47. *Et flexus Simon non debellavit eos, eiecit tamen eos de civitate et mundavit aedes in quibus fuerant simulacra, et tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum;* 48. *Et eiecta ab ea omni immunditia collocavit in ea viros qui legem facerent et munivit eam et fecit sibi habitationem.*

49. *Qui autem erant in arce Ierusalem, prohibebantur egredi et ingredi regionem et emere ac vendere, et esurierunt valde et multi ex eis fame perierunt,* 50. *et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent, et dedit illis et eiecit eos inde et mundavit arcem a contaminationibus.* 51. *Et intraverunt in eam tertia et vigesima die secundi mensis anno centesimo septuagesimo primo cum laude et ramis palmarum et cinyris et cymbalis et nablis et hymnis et canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel.* 52. *Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum laetitia.* 53. *Et munivit montem templi qui erat secus arcem et habitavit ibi ipse et qui cum eo erant.* 54. *Et vidit Simon Ioannem filium suum, quod fortis proelii vir esset, et posuit eum ducem virtutum universarum et habitavit in Gazaris.*

42. καὶ ἤρξατο ὁ λαὸς Ἰσραὴλ γράφειν ἐν ταῖς συγγραφαῖς καὶ συναλλάγμασιν· ἔτους πρώτου ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως μεγάλου καὶ στρατηγοῦ καὶ ἡγουμένου Ἰουδαίων.

43. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις παρενέβαλεν ἐπὶ Γάζαρα καὶ ἐκύκλωσεν αὐτὴν παρεμβολαῖς καὶ ἐποίησεν ἑλέπολιν καὶ προσήγαγε τῇ πόλει καὶ ἐπάταξε πύργον ἕνα καὶ κατελάβετο. 44. Καὶ ἐξήλλοντο οἱ ἐν τῇ ἑλεπόλει εἰς τὴν πόλιν καὶ ἐγένετο κίνημα μέγα ἐν τῇ πόλει. 45. Καὶ ἀνέβησαν οἱ ἐν τῇ πόλει σὺν ταῖς γυναιξὶ καὶ τοῖς τέκνοις ἐπὶ τὸ τεῖχος διερρηγότες τὰ ἱμάτια αὐτῶν καὶ ἐβόησαν φωνῇ μεγάλῃ ἀξιοῦντες Σίμωνα δεξιὰς αὐτοῖς δοῦναι· 46. καὶ εἶπον· μὴ ἡμῖν χρήσῃ κατὰ τὰς πονηρίας ἡμῶν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἔλεός σου. 47. Καὶ συνελύθη αὐτοῖς Σίμων καὶ οὐκ ἐπολέμησεν αὐτοὺς, καὶ ἐξέβαλεν αὐτοὺς ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἐκαθάρισε τὰς οἰκίας ἐν αἷς ἦν τὰ εἴδωλα καὶ οὕτως εἰςῆλθεν εἰς αὐτὴν ὑμνῶν καὶ εὐλογῶν· 48. καὶ ἐξέβαλεν ἐξ αὐτῆς πᾶσαν ἀκαθαρσίαν καὶ κατῴκισεν ἐκεῖ ἄνδρας οἵτινες τὸν νόμον ποιοῦσι, καὶ προςωχύρωσεν αὐτὴν καὶ ᾠκοδόμησεν ἑαυτῷ ἐν αὐτῇ οἴκησιν.

49. Οἱ δὲ ἐκ τῆς ἄκρας ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐκωλύοντο ἐκπορεύεσθαι καὶ εἰςπορεύεσθαι εἰς τὴν χώραν καὶ ἀγοράζειν καὶ πωλεῖν καὶ ἐπείνασαν σφόδρα καὶ ἀπώλοντο ἐξ αὐτῶν ἱκανοὶ τῇ λιμῷ, 50. καὶ ἐβόησαν πρὸς Σίμωνα δεξιὰς λαβεῖν, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ ἐξέβαλεν αὐτοὺς ἐκεῖθεν καὶ ἐκαθάρισε τὴν ἄκραν ἀπὸ τῶν μιασμάτων. 51. Καὶ εἰςῆλθον εἰς αὐτὴν τῇ τρίτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ δευτέρου μηνὸς ἔτους ἑνὸς καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ μετὰ αἰνέσεως καὶ βαΐων, καὶ ἐν κινύραις καὶ ἐν κυμβάλοις καὶ ἐν νάβλαις καὶ ἐν ὕμνοις καὶ ἐν ᾠδαῖς, ὅτι συνετρίβη ἐχθρὸς μέγας ἐξ Ἰσραήλ. 52. Καὶ ἔστησε κατ' ἐνιαυτὸν τοῦ ἄγειν τὴν ἡμέραν ταύτην μετ' εὐφροσύνης.

53. Καὶ προςωχύρωσε τὸ ὄρος τοῦ ἱεροῦ τὸ παρὰ τὴν ἄκραν καὶ ᾤκει ἐκεῖ αὐτὸς καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ. 54. Καὶ εἶδε Σίμων τὸν Ἰωάννην υἱὸν αὐτοῦ ὅτι ἀνὴρ ἐστι, καὶ ἔθετο αὐτὸν ἡγούμενον τῶν δυνάμεων πασῶν καὶ ᾤκει ἐν Γαζάροις.

Concessionibus illis et remissione factis ablata erat oppressio a

Iudaeis; anno 170 sel. i. e. 142 ante Chr. *iugum* ablatum est; plenam autem independentiam a rege Syriae minime consecuti sunt; cf. 14,38; Simoni inditur titulus ἐθνάρχης 14,47 et 15,1, quo designatur qui alicui genti praefectus est sub imperio regis (cf. 2 Cor. 11,32). Talem vero libertatem maxime sibi gratulabantur eamque actis publicis ac privatis testatam et expressam volebant; unde ἐν ταῖς συγγραφαῖς in tabellis pacti alicuius, in tabulis publicis ac privatis καὶ συναλλάγματιν in contractibus commercii, emendi, vendendi, etc. annos numerabant Simonis titulis dignitatis eius adiectis v. 42; Iosephus id adscribit studio populi honorandi Simonem, ἐν τοῖς πρὸς ἀλλήλους συμβολαίοις καὶ τοῖς δημοσίοις γράμμασι. S : scribebant et sumentes et dantes : in anno primo; s : in pacto et in syngrapha. Exstant numi quibus inscribitur : in anno... redemptionis (גאלת), libertatis (חרות) Israel, vel Ierusalem, Zion; in quibus Simon princeps Israel נשיא designatur. Ceterum haec aera Simonis non diu in usu erat : adhibebatur quandoque simul cum aera Seleucidarum (cf. 14,27).

Simon libertati eo quoque prospexit quod Gazara occupavit et arcem in urbe. Quamvis in v. 43 testes omnes exhibeant Gazam, tamen sequendum est quod habet Iosephus, intelligi debere Gazara (Ant. 13,6,7. Bell. 1,2,2). Nam haec urbs, non Gaza, recensetur inter eas quas Simon occupavit 14,7. 34; 15,28; 16,1; imo iam in solo v. 54 firmum continetur testimonium. Quare recentiores consentiunt agi in v. 43 de Gazara vel Geser, hodie est Tell Dschezer, quattuor millia passuum distans a Nicopoli (Amwas; media via inter Ekron et Amwas); cf. 4,15; 7,45; 9,52.

Oppidum in colle situm valde aptum erat ad defendendam regionem. Illud itaque Simon obsidione cinxit, et fecit ἑλέπολιν, S explicat turrim ligneam firmam; s retinet vocem graecam. Haec machina ad urbes expugnandas apta dicitur inventa esse a Demetrio Poliorcete: uti Diodorus sic. refert (20,48) erat machina in unoquoque latere quadragenos quinos cubitos lata, nonaginta cubitos alta, inque novem contignationes distincta, quae quattuor rotis firmissimis octonosque cubitos altis incumbens ageretur; in tabulata inferiora varias intulit petrarias, quarum maximae trium talentorum erant; in media catapultas maximas quae spicula iacerent; in suprema catapultas minimas petrariarumque vim magnam et viros qui his recte uti scirent plures ducentis. Sic ille. At facile patet talem machinam a Simone non esse constructam; minorem aliquam ad expugnandum aptam confecerit. Alia descriptio ἑλεπόλεως habetur apud Ammianum Marcell. 23,4,10.

Ea machina *percussit turrem unam* i. e. partem muri eius subruit

et per apertam ruina viam milites turrim occuparunt v. 43, et ex illa machina et turri occupata milites in urbem exsilierunt et maximum terrorem et ingentem commotionem incolis incusserunt v. 44. More supplicum scissis vestibus in signum luctus et terroris moenibus conscensis viri, mulieres, pueri sublatis clamoribus petunt a Simone, ut sibi parcat, eius implorant misericordiam, suas fatentur πονηρίας, vexationes scil. et molestias quas antea saepe Israelitis intulerant; dextras dare cf. 6,58; χρῆσθαί τινι i. e. aliquem tractare, habere bene, male; cf. Gen. 12,16 Abraham bene usi sunt; 16,6 (LXX) etc. Precibus acquievit Simon, συνελύθη αὐτοῖς reconciliatus est eis; cf. 2 Mach. 11,14 (vulg. consentire), 13,23 (vulg reconciliari) vel eis consensit, ab ulteriore impugnatione destitit; attamen eos alio migrare iussit; in urbe enim munita et ad defendendam regionem apta alienigenas et inimicos legis et Iudaeorum retinere non erat consultum. Ab immunditie idololatriae purgavit aedes, καὶ οὕτως et ita scil. lustratione facta et abominationibus sublatis intravit in urbem ὑμνῶν καὶ εὐλογῶν, dum carminibus sacris laudes Deo et gratiarum actiones persolvebantur. In urbe ita lustrata viros habitare fecit legis observandae studiosos; eam munitionibus instruxit et sibi ipsi domum paravit.

Muro illo constructo 12,36 incolae arcis in Ierusalem ab omni commercio prohibebantur, frustra petierant a Tryphone commeatum (13,21. 22); quare multum affligebantur penuria victus, ita ut tandem a Simone efflagitarent pacem, ut acciperent dextras. Concessit, ut incolumes abirent; arcem quoque a vestigiis idololatriae mundavit et cum pompa festiva celebratus est introitus in arcem die 23 mensis secundi (olim ייר, vulg Zio 3 Reg. 6,1. 37; post exsilium Ijjar, fere noster maius mensis) anni 171 sel. i. e. 141 ante Chr; βαΐα rami palmarum gestabantur in signum laetitiae et triumphi; cf. 2 Mach. 10,7. Ioan. 12,13; instrumenta musica recensentur eadem quae 4,54. Similiter quoque uti 4,59 statuitur, ut iste dies (gr. S, s) quotannis sollemni memoria celebraretur (S : statuerunt; s : statuit). Postea iam non reperitur vestigium huius sollemnitatis, neque apud Iosephum, qui diem Nicanoris agi suo tempore commemorat (cf. 7,49). Merito dicitur : *quia contritus est inimicus magnus ex Israel;* ab initio oppressionis tempore Antiochi Epiphanis arx illa ab hostibus occupata erat *laqueus magnus* (1,35-37); cf. 3,45; 4,2. 41; 6,18 hi qui erant in arce concluserant Israel in circuitu sanctorum et quaerebant eis mala semper; frustra eam expugnare tentavit Iudas (6,19 seq.); Bacchides eam munivit 9,52. 53; frustra conatus erat Ionathas arcem obtinere 10,32. 46; 11,20. Quare postquam tot vexationes per praesidiarios arcis milites experti sunt, maxima laetitiae significatione

eam occupant; non vi ac fortitudine eam possident, sed exclusos ab omni commercio fames coegit arcem relinquere. Addit S : et cessarunt alieni a bellando cum Israel.

Praeterea Simon *munivit montem templi* τὸ παρὰ τὴν ἄκραν ea scil. parte quae erat iuxta arcem, arci obversa; et *habitavit ibi* ἐκεῖ, in monte templi (*Gr.*)? in arce (*K.*) et proximi eius et familiares. Montem templi iam firmaverat Iudas (4,60); munitiones eius destruxit Alcimus impius (9,54), muros restituit Ionathas (10,11). Quod Iosephus narrat, arcem solo esse aequatam (εἰς ἔδαφος αὐτὴν καθεῖλεν) et montem, in qua stetisset, esse ad fundum dirutum et in campi planitiem labore totius populi per triennium die ac nocte continuato, textu nostri libri Mach. nullatenus innuitur; e contra in v. 53 asseritur arcem omnino esse servatam; id quod ex 14,7 et 15,28 patet.

Simon porro Ioannem filium suum, qui se virum fortem praebuerat, ducem constituit omnium copiarum; ipse Ioannes habitavit in Gazara (cf. v. 43); postea Ioannes hic Hyrcanus factus est princeps et sacerdos summus.

6. *Qualis fuerit sub Simone prosperitas* 14,1-15.

14,1. *Anno centesimo septuagesimo secundo congregavit rex Demetrius exercitum suum et abiit in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem.* 2. *Et audivit Arsaces, rex Persidis et Mediae, quia intravit Demetrius confines suos et misit unum de principibus suis ut comprehenderet eum vivum et adduceret eum ad se.* 3. *Et abiit et percussit castra Demetrii et comprehendit eum et duxit eum ad Arsacem et posuit eum in custodiam.*

4. *Et siluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis et quaesivit bona genti suae et placuit illis potestas eius et gloria eius omnibus diebus.* 5. *Et cum omni gloria sua accepit Ioppen in portum et fecit introitum in insulis maris.*

6. *Et dilatavit fines gentis suae, et obtinuit regionem;*

7. *Et congregavit captivitatem multam, et dominatus est Gazarae et Bethsurae et arci;*
et abstulit immunditias ex ea,

14,1. Καὶ ἐν ἔτει δευτέρῳ καὶ ἑβδομηκοστῷ καὶ ἑκατοστῷ συνήγαγε Δημήτριος ὁ βασιλεὺς τὰς δυνάμεις αὐτοῦ καὶ ἐπορεύθη εἰς Μήδειαν τοῦ ἐπισπάσασθαι βοήθειαν αὐτῷ, ὅπως πολεμήσῃ τὸν Τρύφωνα. 2. Καὶ ἤκουσεν Ἀρσάκης ὁ βασιλεὺς τῆς Περσίδος καὶ Μηδείας ὅτι ἦλθε Δημήτριος εἰς τὰ ὅρια αὐτοῦ καὶ ἀπέστειλεν ἕνα τῶν ἀρχόντων αὐτοῦ συλλαβεῖν αὐτὸν ζῶντα. 3. Καὶ ἐπορεύθη καὶ ἐπάταξε τὴν παρεμβολὴν Δημητρίου καὶ συνέλαβεν αὐτὸν καὶ ἤγαγεν πρὸς Ἀρσάκην, καὶ ἔθετο αὐτὸν ἐν φυλακῇ.

4. Καὶ ἡσύχασεν ἡ γῆ Ἰούδα πάσας τὰς ἡμέρας Σίμωνος καὶ ἐζήτησεν ἀγαθὰ τῷ ἔθνει αὐτοῦ, καὶ ἤρεσεν αὐτοῖς ἡ ἐξουσία αὐτοῦ καὶ ἡ δόξα αὐτοῦ πάσας τὰς ἡμέρας. 5. Καὶ μετὰ πάσης τῆς δόξης αὐτοῦ ἔλαβε τὴν Ἰόππην εἰς λιμένα καὶ ἐποίησεν εἴσοδον ταῖς νήσοις τῆς θαλάσσης.

6. Καὶ ἐπλάτυνε τὰ ὅρια τῷ ἔθνει αὐτοῦ,
καὶ ἐκράτησε τῆς χώρας·
7. καὶ συνήγαγεν αἰχμαλωσίαν πολλὴν,
καὶ ἐκυρίευσε Γαζάρων καὶ Βαιθσούρων
καὶ τῆς ἄκρας·
καὶ ἐξῆρε τὰς ἀκαθαρσίας ἐξ αὐτῆς,

et non erat qui resisteret ei.

8. *Et unusquisque colebat terram suam cum pace,*
et terra Iuda dabat fructus suos
et ligna camporum fructum suum.

9. *Seniores in plateis sedebant omnes,*
et de bonis terrae tractabant,
et iuvenes induebant se gloriam et stolas belli.

10. *Et civitatibus tribuebat alimonias,*
et constituebat eas, ut essent vasa munitionis,
quoadusque nominatum est nomen gloriae eius usque ad extremum terrae.

11. *Fecit pacem super terram,*
et laetatus est Israel laetitia magna.

12. *Et sedit unusquisque sub vite sua*
et sub ficulnea sua,
et non erat qui eos terreret.

13. *Defecit impugnans eos super terram,*
reges contriti sunt in diebus illis.

14. *Et confirmavit omnes humiles populi sui,*
et legem exquisivit,
et abstulit omnem iniquum et malum.

15. *Sancta glorificavit,*
et multiplicavit vasa sanctorum.

καὶ οὐκ ἦν ὁ ἀντικείμενος αὐτῷ.

8. Καὶ ἦσαν γεωργοῦντες τὴν γῆν αὐτῶν μετ' εἰρήνης,
καὶ ἡ γῆ ἐδίδου τὰ γεννήματα αὐτῆς,
καὶ τὰ ξύλα τῶν πεδίων τὸν καρπὸν αὐτῶν.

9. Πρεσβύτεροι ἐν ταῖς πλατείαις ἐκάθηντο,
πάντες περὶ ἀγαθῶν ἐκοινολογοῦντο,
καὶ οἱ νεανίσκοι ἐνεδύσαντο δόξας καὶ στολὰς πολέμου.

10. Ταῖς πόλεσιν ἐχορήγησε βρώματα,
καὶ ἔταξεν αὐτὰς ἐν σκεύεσιν ὀχύρωσεως,
ἕως ὅτου ὠνομάσθη τὸ ὄνομα τῆς δόξης αὐτοῦ ἕως ἄκρου τῆς γῆς.

11. Ἐποίησε τὴν εἰρήνην ἐπὶ τῆς γῆς,
καὶ εὐφράνθη Ἰσραὴλ εὐφροσύνην μεγάλην.

12. Καὶ ἐκάθισεν ἕκαστος ὑπὸ τὴν ἄμπελον αὐτοῦ καὶ τὴν συκῆν αὐτοῦ,
καὶ οὐκ ἦν ὁ ἐκφοβῶν αὐτούς.

13. Καὶ ἐξέλιπεν ὁ πολεμῶν αὐτοὺς ἐπὶ τῆς γῆς,
καὶ οἱ βασιλεῖς συνετρίβησαν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις.

14. Καὶ ἐστήρισε πάντας τοὺς ταπεινοὺς τοῦ λαοῦ αὐτοῦ,
τὸν νόμον ἐξεζήτησε,
καὶ ἐξῆρε πάντα ἄνομον καὶ πονηρόν.

15. Τὰ ἅγια ἐδόξασε,
καὶ ἐπλήθυνε τὰ σκεύη τῶν ἁγίων.

Demetrius II Nicator appellatus a Syris ob victoriam qua spurium illum Alexandrum eiecerat (Appianus, Syr. 67) anno 172 sel. i. e. 141-140 ante Ch. cum exercitu abiit in Mediam. Rem ita narrat Iustinus : adventum eius non inviti Orientis populi videre et propter Arsacidae regis Parthorum crudelitatem et quod veteri Macedonum imperio assueti novi populi superbiam indigne ferebant; itaque cum et Persarum et Elymaeorum Bactrianorumque auxiliis iuvaretur, multis proeliis Parthos fudit (Iust. 36,1). Ex gentibus amicis auxilia sibi acquirere voluit, quibus instructus rediret ad efficaciter pugnandum contra Tryphonem. Notat Appianus eum exemplo Nicatoris primi expeditionem parthicam voluisse suscipere. Verum res ei tandem male cessit. « Ad extremum pacis simulatione deceptus capitur, traductusque per ora civitatum populis qui desciverant in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam benigne et iuxta cultum pristinae fortunae

habetur » (Iust. l. c.). Rex Medorum ac Persarum Arsaces — nomen regibus Parthorum commune, Iust. 41,5 — hic Arsaces VI, nomine proprio Mithridates I ita tandem bellum geri iussit, ut Demetrius caperetur vivus v. 2. Quare omnino probabile est quod Iustinus habet, eum pacis simulatione deceptum potuisse capi. In vulg. additur in v. 2 *et adduceret eum ad se*. Regem vocat Appianus Phraathem, qui sororem suam Rhodogunam matrimonio cum Demetrio coniunxit (l. c.). Etiam ex narratione Iustini (38,9) Demetrius repente insidiis circumventus, amisso exercitu, captus est; cf. v. 3.

Demetrio rege capto et in Hyrcaniam misso (Iust. 38,9) pax, tranquillitas, prosperitas erat in terra Iuda; *siluit* ἡσύχασε quievit (cf. 7,50). Simonis iam laudes celebrantur; ipse bonam populi conditionem sedula cura promovit v. 4; populo autem eius dominatio grata erat et placuit — praeclara laus principis! — pariter fama et gloria Simonis et honor quem sibi acquisierat (δόξα) animos omnium gaudio affecit. Et inter alia quam maxime ad eius gloriam pertinet quod Ioppen eo consilio cepit, ut portum haberet; eo portu aperuit insulis maris commercium cum Iuda, ἐποίησεν εἴσοδον ταῖς νήσοις fecit introitum insulis maris, incolis insularum (insulis etiam s habet; ναυσι 19.64.93. S).

Uti supra laudes Iudae carmine celebratae sunt (3,3-9), ita hic quoque carmine quodam distichis ac tristichis constante res Simonis praeclare gestae exponuntur. Omnino probabile est nobis hic ab auctore servatum esse canticum quoddam populare, quo aequales Simonis praeconia eius annuntiabant et beneficia per eum sibi obvenientia recensebant. Efferuntur disticha septem et quattuor tristicha. Laudantur facinora eius bellica, beneficia populi collata, eius studium legis ac pietatis. Fines dilatavit (cf. 13,43), obtinuit ἐκράτησε regionem, occupavit ac tuitus est munitionibus exstructis 13,10. 33. 51. 53; congregavit multos Iudaeos qui captivi erant, eos in libertatem vindicavit v. 7; de Gazara vide 13,43-48; Bethsura 11,65; de arce 13,49 seq. Studium legis ostendit auferendo immunditias; *non erat qui resisteret ei* scil. adversarii non praevaluerunt contra eum. Hisce coniuncta erat vita civium tranquilla et fertilitas terrae, agrorum scil. et arborum; cf. Lev. 26,4. Pax et felicitas describitur v. 9 cum allusione ad Zach. 8,4. 5; senes colloquuntur inter se περὶ ἀγαθῶν de prosperitate publica; iuvenes se induunt ornatu bellico. Tranquillitas et laetitia communis depingitur modo senioribus et iuvenibus accommodato : illi in foro sedentes de rebus prosperis familiariter inter se colloquia miscent, hi induebant gloriam, stolas belli scil. armis et ornamentis bellicis procedebant quae illis sunt in gloriam. Ita se praeparabant ad defensionem legis morumque paternorum, si quando

opus fuerit armis uti in hostes. Quam providam curam Simon minime neglexit v. 10, providit alimonias urbibus, instruxit eas vasis i. e. instrumentis, machinis munitionis; i. e. iis subsidiis quae requirebantur ad defensionem; ita Simon optime de populo meritus ubique cum laude nominatus est v. 10; ἕως ὅτου, tot ac tanta scil. praestitit, ut etc. Unde pax et securitas et laetitia regnabat in Iuda; sedere sub ficu proverbii loco dicitur cf. 3 Reg. 4,25. Mich. 4,4. Zach. 3,10.

Populari quadam exaggeratione dicitur v. 13 ἐξέλιπεν ὁ πολεμῶν, defecit, cessavit qui eos impugnaret; nam etiam diebus Simonis exstitit impugnans, cf. 15,38-16,8; eadem exaggeratione quae in elogio et carmine usuvenit reges contriti dicuntur. Aliud Simonis encomium est v. 14 *humiles* ταπεινούς, oppressos erexit, afflictos tuitus est; *legem exquisivit*, legis observantiam ubique restituit, urgebat; id efficiebat, ut lex valeret; ad quod *abstulit* πάντα ἄνομον, apostatam a lege et πονηρόν omnem qui pios opprimeret. Impios Iudaeos aeque ac alienigenas persecutus est studio ac zelo theocratico (cf. 13,47. 48. 50). Sanctuarium, templum quoque *glorificavit*, ornatum, splendorem addidit templo et cultui divino, et vasa sacra quibus opus erat ad sacrificandum, thurificandum, ad ritus sacros *multiplicavit* v. 15, τὰ ἅγια, templum quatenus sancto et sancto sanctorum constabat; atrium quoque et altare holocaustorum sanctum erat.

7. *Renovantur foedera* 14,16-24.

14,16. *Et auditum est Romae quia defunctus esset Ionathas et usque in Spartiatas et contristati sunt valde;* 17. *ut audierunt autem quod Simon frater eius factus esset summus sacerdos loco eius et ipse obtineret omnem regionem et civitates in ea,* 18. *scripserunt ad eum in tabulis aereis, ut renovarent amicitias et societatem quam fecerant cum Iuda et cum Ionatha fratribus eius.* 19. *Et lectae sunt in conspectu ecclesiae in Ierusalem. Et hoc exemplum epistolarum quas Spartiatae miserunt :*

20. *Spartianorum principes et civitates Simoni sacerdoti magno et senioribus et sacerdotibus et reliquo populo Iudaeorum, fratribus, salutem.*

21. *Legati qui missi sunt ad populum nostrum nuntiaverunt nobis de vestra gloria et honore ac laetitia et ga-*

14,16. Καὶ ἠκούσθη ἐν Ῥώμῃ ὅτι ἀπέθανεν Ἰωνάθαν καὶ ἕως Σπάρτης, καὶ ἐλυπήθησαν σφόδρα· 17. ὡς δὲ ἤκουσαν ὅτι Σίμων ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ γέγονεν ἀντ' αὐτοῦ ἀρχιερεὺς καὶ ἐπικρατεῖ τῆς χώρας καὶ τῶν πόλεων τῶν ἐν αὐτῇ, 18. ἔγραψαν πρὸς αὐτὸν δέλτοις χαλκαῖς τοῦ ἀνανεώσασθαι πρὸς αὐτὸν φιλίαν καὶ τὴν συμμαχίαν ἣν ἔστησαν πρὸς Ἰούδαν καὶ Ἰωνάθαν τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. 19. Καὶ ἀνεγνώσθησαν ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας ἐν Ἱερουσαλήμ. Καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον τῶν ἐπιστολῶν ὧν ἀπέστειλαν οἱ Σπαρτιᾶται·

20. Σπαρτιατῶν ἄρχοντες καὶ ἡ πόλις Σίμωνι ἱερεῖ μεγάλῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς ἱερεῦσι καὶ τῷ λοιπῷ δήμῳ τῶν Ἰουδαίων ἀδελφοῖς χαίρειν.

21. Οἱ πρεσβευταὶ οἱ ἀποσταλέντες πρὸς τὸν δῆμον ἡμῶν ἀπήγγειλαν ἡμῖν περὶ τῆς δόξης ὑμῶν καὶ τιμῆς καὶ ηὐφράνθημεν ἐπὶ

visi sumus in introitu eorum. 22. *Et scripsimus quae ab eis erant dicta in conciliis populi sic : Numenius Antiochi et Antipater Iasonis filius, legati Iudaeorum venerunt ad nos renovantes nobiscum amicitiam pristinam.* 23. *Et placuit populo excipere viros gloriose et ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti.*

24. *Post haec autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum pondo mnarum mille ad statuendam cum eis societatem.*

τῇ ἐφόδῳ αὐτῶν. 22. Καὶ ἀνεγράψαμεν τὰ ὑπ' αὐτῶν εἰρημένα ἐν ταῖς βουλαῖς τοῦ δήμου οὕτως· Νουμήνιος Ἀντιόχου καὶ Ἀντίπατρος Ἰάσωνος πρεσβευταὶ Ἰουδαίων ἤλθοσαν πρὸς ἡμᾶς ἀνανεούμενοι τὴν πρὸς ἡμᾶς φιλίαν. 23. Καὶ ἤρεσε τῷ δήμῳ ἐπιδέξασθαι τοὺς ἄνδρας ἐνδόξως καὶ τοῦ θέσθαι τὸ ἀντίγραφον τῶν λόγων αὐτῶν ἐν τοῖς ἀποδεδειγμένοις τῷ δήμῳ βιβλίοις, τοῦ μνημόσυνον ἔχειν τὸν δῆμον τῶν Σπαρτιατῶν. Τὸ δὲ ἀντίγραφον τούτων ἐγράψαμεν Σίμωνι ἀρχιερεῖ.

24. Μετὰ ταῦτα ἀπέστειλε Σίμων τὸν Νουμήνιον εἰς Ῥώμην ἔχοντα ἀσπίδα χρυσῆν μεγάλην (ὁλκῆς) μνῶν χιλίων εἰς τὸ στῆσαι πρὸς αὐτοὺς τὴν συμμαχίαν.

Ad gloriam Simonis etiam pertinet quod gentes exterae, Spartani et Romani, cum eo foedera renovaverint. Quare id quoque hoc loco refertur et statim elogiis eius adiungitur. Et ita quidem, ut sacer auctor prius quidem rem ipsam renovationis statuat factae v. 18, dein enarret vel potius ipsis litteris recitatis doceat modum quo renovatio facta sit. Patet enim v. 20 seq. et v. 24 Simonem per legatos hanc quaesisse renovationem, quae cum ab aliis honorifice concessa esset, merito Simoni quoque honori et gloriae erat. Quare ipsis litteris et v. 24 monemur, ne v. 18 ita interpretemur ac si Spartani et Romani ipsi inceperint petere a Simone renovationem amicitiae. Quod litteris et v. 24 enuntiatur, etiam exemplis comprobatur; solebant enim qui in locum regis seu principis successerunt, ipsi per legatos petere a Romanis, ut quae cum patre societas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur (ita petiit per legatos Antiochus rex, Livius 42,6; cf. 45,44. Epit. 46; Polyb. 33,16,2; *Gr. K.*).

Legati Romanis et Spartanis nuntiarunt mortem Ionathae; eius loco Simonem obtinere omnem regionem et urbes terrae. Tabulis aereis renovatio foederis ab utrisque est consignata. Quae scripserunt Romani, recitantur 15,16-24; litterae Spartanorum habentur v. 20; litterae lectae sunt in cœtu populi in Ierusalem. Spartanorum ἄρχοντες appellabantur ἔφοροι; regia dignitas apud eos iam diu abolita erat; Pelops qui Lycurgo patri successit anno 211 ante Chr. ultimus erat rex, Nabis (occisus anno 192 ante Chr.) ultimus tyrannus apud Spartiatas (*Gr. K.*). Dicunt salutem *fratribus;* cf. 12,6.21. Quae legati nuntiabant, scripserunt ἐν ταῖς βουλαῖς τοῦ δήμου, actis publicis inseruerunt (*Lap.*), plebiscitis. Legati iidem sunt, quos Ionathas miserat 12,16. In rei memoriam testatum volunt legatos cum debito honore esse ex-

ceptos et quae postulassent esse relata ἐν τοῖς ἀποδεδειγμένοις in actis vel scriptis usui publico et cognitioni destinatis, ut memoria rei conservaretur. Exemplum eorum transsumptum etiam Simoni miserunt; ἐγράψαμεν praebet s quoque, ἔγραψαν S, A, 44 al. ἔγραψα ℵ 19. 55. Sed bene congruit *scripsimus*, stilo scil. epistolari. In hisce litteris ea efferuntur, quae in illa occasione exspectari poterant. Legatos esse cum honore susceptos; aperitur et asseritur populi in Iudaeos benevolentia; relata esse in acta publica quae legati detulerint, ut rei memoria haberetur; ergo eo ipso constat legationem illam propositum plene adimplesse. Neque ullo pacto ex argumento epistolae colligi potest eam esse haud sinceram, sed confictam.

Quod in v. 24 legitur μετὰ ταῦτα, *post haec* saltem hoc loco positum aegre potest intelligi. Nam in v. 19 iam assignatur tempus quo legati domum reversi sunt; in v. 16 ipsa collocatione suadetur legatos prius Romam profectos esse et redeuntes ad Spartiatas divertisse, sicut antea factum est 12,16. 17; quare illud *post haec* non ita accipi potest, ut post legationem apud Spartiatas absolutam Romam adierint. Id ex eo quoque improbabile videtur, quia clypeum aureum, donum pro Romanis destinatum, vix censendi sunt voluisse prius Spartam deferre non habentes ullum tale donum pro Spartanis. Illud *post haec* ut transitionis formula commode poneretur post v. 15. Alia coniectura fieri potest, scil. in v. 24 non agi de legatione Romam missa, de qua satis indicatum est v. 16-18, sed de missione Numenii altera qua postea Romam attulerit clypeum aureum εἰς τὸ στῆσαι ad stabiliendam, confirmandam societatem, ut scil. societati renovatae novum adderetur amicitiae documentum. Potest inde quoque suaderi, quod unus nominatur Numenius, dum tamen duo legati ad foedus renovandum missi sunt. Cui coniecturae non obstat quod in epistola Lucii legitur 15,18; nam etiam in hac suppositione tamen existimari debet donum clypei pertinere ad munus legatorum complendum.

Pretiosa dona Romam mittere solebant qui foedus cum Romanis vel foederis renovationem expetebant; ita Antiochus Epiphanes ad renovandam societatem per Apollonium misit donum vasa aurea quingentum pondo (Livius 42,6; cf. 43,6 alia exempla); legati Demetrii I στέφανον ἀπὸ μυρίων χρυσῶν coronam aureorum decies mille Romae attulerunt (Polyb. 32,6,1), Moagetes coronam offerebat quindecim talentorum (l. c. 22,17,4); alii coronam auream centum quinquaginta pondo (l. c. 22,13,10), coronam aureorum quindecies mille (l. c. 24, 1,7), Tryphon principatum decreto senatus romani sibi firmari desiderans misit statuam Victoriae auream pondus decies mille aureorum habentem (Diod. 33,17).

Simili modo Numenius attulit clypeum aureum pondo mnarum mille v. 24; pondus huius clypei esset ingens; nam mnam Syrorum habere 642 gr asserit *Nissen* (Metrologie p. 860 in tomo primo Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft, edidit Iwan von Müller); mna euboea habet 437 gr, mna attica 456 (432,341) gr, mna Solonis 655 gr, mna aeginetica 617 gr. Incredibile videtur clypeum tanti ponderis (642 Kgr) fuisse allatum. Vocem ὁλκῆς s quidem exprimit, non tamen S; unde secundum S non pondus clypei asseritur, sed pecunia clypeo aureo aequivalens, qua ratione non tanta excitatur admiratio; mna quidem aeginetica aequivalet 108 M (monetae germanicae), mna euboea 75 M. Atque vocem ὁλκῆς *pondo* esse delendam, suadetur quoque 15,18: attulerunt clypeum aureum mnarum mille, qua dictione non pondus clypei, sed pretium auri declaratur. Iosephus vocat clypeum, σύμβολον τῆς συμμαχίας (Ant. 14,8,5); eiusmodi dona in documentum societatis et amicitiae, vel etiam ad expetendam protectionem offerebantur.

8. *Documentum de meritis Machabaeorum* 14,25-49.

14,25. *Cum autem audisset populus (romanus) sermones istos, dixerunt: quam gratiarum actionem reddemus Simoni et filiis eius?* 26. *Restituit enim ipse fratres suos et expugnavit inimicos Israel ab eis, et statuerunt ei libertatem, et descripserunt in tabulis aereis et posuerunt in titulis in monte Sion;* 27 *et hoc est exemplum scripturae:*

Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote magno in Asaramel, 28. *in conventu magno sacerdotum et populi et principum gentis et seniorum regionis nota facta sunt haec: quoniam frequenter facta sunt proelia in regione nostra,* 29. *Simon autem Mathathiae filius ex filiis Iarib et fratres eius dederunt se periculo, et restiterunt adversariis gentis suae, ut starent sancta ipsorum et lex, et gloria magna glorificaverunt gentem suam.* 30. *Et congregavit Ionathas gentem suam et factus est illis sacerdos magnus et appositus est ad populum suum.*

14,25. Ὡς δὲ ἤκουσεν ὁ δῆμος τῶν λόγων τούτων, εἶπον· τίνα χάριν ἀποδώσομεν Σίμωνι καὶ τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ; 26. Ἐστήρισε γὰρ αὐτὸς καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ ὁ οἶκος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ ἐπολέμησαν τοὺς ἐχθροὺς Ἰσραὴλ ἀπ' αὐτῶν καὶ ἔστησαν αὐτῷ ἐλευθερίαν, 27. καὶ κατέγραψαν ἐν δέλτοις χαλκαῖς καὶ ἔθεντο ἐν στήλαις ἐν ὄρει Σιών· καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον τῆς γραφῆς·

Ὀκτωκαιδεκάτῃ Ἐλοὺλ, ἔτους δευτέρου καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ, καὶ τοῦτο τρίτον ἔτος ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως εν Σαραμελ, 28. ἐπὶ συναγωγῆς μεγάλης ἱερέων καὶ λαοῦ καὶ ἀρχόντων ἔθνους καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς χώρας ἐγνώρισεν ἡμῖν, ἐπὶ πολλάκις ἐγενήθησαν πόλεμοι ἐν τῇ χώρᾳ, 29. Σίμων δὲ ὁ υἱὸς Ματταθίου ὁ υἱὸς τῶν υἱῶν Ἰωαρὶβ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἔδωκαν ἑαυτοὺς τῷ κινδύνῳ καὶ ἀντέστησαν τοῖς ὑπεναντίοις τοῦ ἔθνους αὐτῶν, ὅπως σταθῇ τὸ ἅγια αὐτῶν καὶ ὁ νόμος, καὶ δόξῃ μεγάλῃ ἐδόξασαν τὸ ἔθνος αὐτῶν.

30. Καὶ ἤθροισεν Ἰωνάθαν τὸ ἔθνος αὐτῶν καὶ ἐγενήθη αὐτοῖς ἀρχιερεὺς καὶ προσετέθη πρὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ 31. Καὶ ἐβουλήθησαν

31. *Et voluerunt inimici eorum calcare et atterere regionem ipsorum et extendere manus in sancta eorum.* 32. *Tunc restitit Simon et pugnavit pro gente sua et erogavit pecunias multas et armavit viros virtutis gentis suae et dedit illis stipendia,* 33. *et munivit civitates Iudaeae et Bethsuram quae erat in finibus Iudaeae, ubi erant arma hostium antea et posuit illic praesidium viros Iudaeos.* 34. *Et Ioppen munivit quae erat ad mare, et Gazaram quae est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant, et collocavit illic Iudaeos et quaecumque apta erant ad correptionem eorum posuit in eis.*

35. *Et vidit populus actum Simonis et gloriam quam cogitabat facere genti suae, et posuerunt eum ducem suum et principem sacerdotum, eo quod ipse fecerat haec omnia, et iustitiam et fidem quam conservavit genti suae et exquisivit omni modo exaltare populum suum.* 36. *Et in diebus eius prosperatum est in manibus eius, ut tollerentur gentes de regione ipsorum et qui in civitate David erant in Ierusalem in arce, de qua procedebant et contaminabant omnia quae in circuitu sanctorum sunt, et inferebant plagam magnam castitati.* 37. *Et collocavit in ea viros Iudaeos ad tutamentum regionis et civitatis et exaltavit muros Ierusalem.* 38. *Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium;* 39. *secundum haec fecit eum amicum suum et glorificavit eum gloria magna.* 40. *Audivit enim quod appellati sunt Iudaei a Romanis amici et socii et fratres et quia susceperunt legatos Simonis gloriose.*

41. *Et quia Iudaei et sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum et summum sacerdotem in aeternum, donec surgat propheta fidelis,* 42. *et ut sit super eos dux et ut cura esset illi pro sanctis et ut constitueret praepositos super opera eorum et super regionem*

οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν ἐμβατεῦσαι εἰς τὴν χῶραν αὐτῶν τοῦ ἐκτρῖψαι τὴν χώραν αὐτῶν καὶ ἐκτεῖναι χεῖρας ἐπὶ τὰ ἅγια αὐτῶν. 32. Τότε ἀνέστη Σίμων καὶ ἐπολέμησε περὶ τοῦ ἔθνους αὐτοῦ καὶ ἐδαπάνησε χρήματα πολλὰ τῶν ἑαυτοῦ καὶ ὡπλοδότησε τοὺς ἄνδρας τῆς δυνάμεως τοῦ ἔθνους αὐτοῦ καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὀψώνια, 33. καὶ ὠχύρωσε τὰς πόλεις τῆς Ἰουδαίας καὶ τὴν Βαιθσούραν τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων τῆς Ἰουδαίας, οὗ ἦν τὰ ὅπλα τῶν πολεμίων τὸ πρότερον καὶ ἔθετο ἐκεῖ φρουρὰν ἄνδρας Ἰουδαίους.

34. Καὶ Ἰόππην ὠχύρωσε τὴν ἐπὶ τῆς θαλάσσης καὶ τὴν Γάζαρα τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων Ἀζώτου, ἐν ᾗ ᾤκουν οἱ πολέμιοι τὸ πρότερον ἐκεῖ, καὶ κατῴκισεν ἐκεῖ Ἰουδαίους καὶ ὅσα ἐπιτήδεια ἦν πρὸς τῇ τούτων ἐπανορθώσει ἔθετο ἐν αὐτοῖς.

35. Καὶ εἶδεν ὁ λαὸς τὴν πρᾶξιν τοῦ Σίμωνος καὶ τὴν δόξαν ἣν ἐβουλεύσατο ποιῆσαι τῷ ἔθνει αὐτοῦ καὶ ἔθεντο αὐτὸν ἡγούμενον αὐτῶν καὶ ἀρχιερέα, διὰ τὸ αὐτὸν πεποιηκέναι πάντα ταῦτα καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν πίστιν ἣν συνετήρησε τῷ ἔθνει αὐτοῦ, καὶ ἐξεζήτησε παντὶ τρόπῳ ὑψῶσαι τὸν λαὸν αὐτοῦ. 36. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ εὐοδώθη ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τοῦ ἐξαρθῆναι τὰ ἔθνη ἐκ τῆς χώρας αὐτῶν καὶ τοὺς ἐν τῇ πόλει Δαυὶδ τοὺς ἐν Ἱερουσαλὴμ, οἳ ἐποίησαν αὐτοῖς ἄκραν, ἐξ ἧς ἐξεπορεύοντο καὶ ἐμίαινον κύκλῳ τῶν ἁγίων, καὶ ἐποίουν πληγὴν μεγάλην ἐν τῇ ἁγνείᾳ. 37. Καὶ κατῴκισεν ἐν αὐτῇ ἄνδρας Ἰουδαίους καὶ ὠχύρωσεν αὐτὴν πρὸς ἀσφάλειαν τῆς χώρας καὶ τῆς πόλεως καὶ ὕψωσε τὰ τείχη Ἱερουσαλήμ. 38. Καὶ ὁ βασιλεὺς Δημήτριος ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἀρχιερωσύνην κατὰ ταῦτα, 39. καὶ ἐποίησεν αὐτὸν τῶν φίλων αὐτοῦ, καὶ ἐδόξασεν αὐτὸν δόξῃ μεγάλῃ. 40. Ἠκούσθη γὰρ ὅτι προσηγόρευνται οἱ Ἰουδαῖοι ὑπὸ Ῥωμαίων φίλοι καὶ σύμμαχοι καὶ ἀδελφοὶ καὶ ὅτι ἀπήντησαν τοῖς πρεσβευταῖς Σίμωνος ἐνδόξως.

41. Καὶ ὅτι εὐδόκησαν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ οἱ ἱερεῖς τοῦ εἶναι αὐτῶν Σίμωνα ἡγούμενον καὶ ἀρχιερέα εἰς τὸν αἰῶνα ἕως τοῦ ἀναστῆναι προφήτην πιστὸν, 42. καὶ τοῦ εἶναι ἐπ' αὐτῶν στρατηγὸν καὶ ὅπως μέλῃ αὐτῷ περὶ τῶν ἁγίων καθιστάναι δι' αὐτοῦ ἐπὶ τῶν ἔργων αὐτῶν καὶ ἐπὶ τῆς χώρας καὶ ἐπὶ τῶν ὅπλων

et super arma et super praesidia, 43. et cura sit illi de sanctis, et ut audiatur ab omnibus et scribantur in nomine eius omnes conscriptiones in regione, et ut operiatur purpura et auro. 44. Et ne liceat ulli ex populo et ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum et contradicere his quae ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso, et vestiri purpura et uti fibula aurea; 45. qui autem fecerit extra haec aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. 46. Et complacuit omni populo statuere Simonem et facere secundum verba ista. 47. Et suscepit Simon et placuit ei ut summo sacerdotio fungeretur et esset dux et princeps gentis Iudaeorum et sacerdotum et praeesset omnibus.

48. Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis aereis et ponere eas in peribolo sanctorum in loco celebri; 49. exemplum autem eorum ponere in aerario, ut habeat Simon et filii eius.

καὶ ἐπὶ τῶν ὀχυρωμάτων, 43. καὶ ὅπως μέλῃ αὐτῷ περὶ τῶν ἁγίων καὶ ὅπως ἀκούηται ὑπὸ πάντων καὶ ὅπως γράφωνται ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ πᾶσαι συγγραφαὶ ἐν τῇ χώρᾳ καὶ ὅπως περιβάλληται πορφύραν καὶ χρυσοφορῇ. 44. Καὶ οὐκ ἐξέστι οὐδενὶ τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἱερέων ἀθετῆσαί τι τούτων καὶ ἀντειπεῖν τοῖς ὑπ' αὐτοῦ ῥηθησομένοις, καὶ ἐπισυστρέψαι συστροφὴν ἐν τῇ χώρᾳ ἄνευ αὐτοῦ, καὶ περιβαλέσθαι πορφύραν καὶ ἐμπορποῦσθαι πόρπην χρυσῆν· 45. ὃς δ'ἂν παρὰ ταῦτα ποιήσῃ ἢ ἀθετήσῃ τι τούτων, ἔνοχος ἔσται. 46. Καὶ εὐδόκησε πᾶς ὁ λαὸς θέσθαι Σίμωνι ποιῆσαι κατὰ τοὺς λόγους τούτους. 47. Καὶ ἐπεδέξατο Σίμων καὶ εὐδόκησεν ἀρχιερατεύειν καὶ εἶναι στρατηγὸς καὶ ἐθνάρχης τῶν Ἰουδαίων καὶ ἱερέων καὶ τοῦ προστατῆσαι πάντων.

48. Καὶ τὴν γραφὴν ταύτην εἶπον θέσθαι ἐν δέλτοις χαλκαῖς καὶ στῆσαι αὐτὰς ἐν περιβόλῳ τῶν ἁγίων ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ· 49. τὰ δὲ ἀντίγραφα αὐτῶν θέσθαι ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, ὅπως ἔχῃ Σίμων καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ.

In v. 41 οτι esse retinendum *Niese* monet (p. 50); nam isto decreto Simonem non declarari pontificem, verum supponi eam dignitatem ei iam diu esse collatam v. 38. Ceterum vide ad v. 41.

Eiusmodi monumenta laudis et honoris veteres viris optime meritis erigere solebant. Enumerabantur res ab eis gestae, praecipiebatur in fine, ut decretum publice proponeretur. Horum specimina et apud Graecos et apud Aegyptios (in urbibus Canopo, Rosette) reperiuntur (cf. *Niese* p. 50). In formam prorsus similem etiam hoc pro Machabaeis monumentum gloriae effertur, quo Simoni utique non nova dignitas tribuitur, sed eius merita et auctoritas recensentur.

Anno 172 sel. i. e. 140 ante Ch. populus iudaicus ob tanta Simonis eiusque fratrum et patris in religionem ac patriam merita egregiam grati animi in ipsos eorumque posteros significationem dedit (*Serarius*). In solo textu vulg. falso legitur in v. 24 *populus Romanus;* verum non de romano populo ibi fieri sermonem, sed de iudaico patet (*Serarius, Calm.*). Itaque lege : *cum audisset populus* ὁ δῆμος *sermones istos*, ea scil. quae v. 15-24 narrata sunt, gaudio exsultant et pace reddita sibi in memoriam reducunt, quot et quanta a Machabaeis pro lege et patria praestita sint. Id iam clare exhibetur in textu

graeco et S, s v. 26 ἐστήρισε, iam S (fortiter se gesserunt) s fortiter se gessit (bene explicarunt verbum graecum) ipse scil. Simon et fratres eius et (omnis, S, s) domus patris eius (cf. 13,3); quod vulg habet *restituit fratres suos*, explica, ut verus habeatur sensus, Israelitas, contribules suos animis viribusque collapsos erexit (cf. *Lap.*); καὶ ἐπολέμησαν et oppugnaverunt hostes Israel ἀπ' αὐτῶν, quam constructionem praegnantem S, s bene reddiderunt : et pugnaverunt (S, pugnavit s) cum hostibus Israel et expulerunt eos ab eis i. e. hostes ab Israelitis expulerunt, eiecerunt. Hisce pugnis *statuerunt*, pugnando restituerunt et firmarunt *ei* scil. Israeli *libertatem* a iugo alienigenarum.

Haec itaque cum populus grato animo recogitasset, statutum est, ut in tabulis aereis merita Machabaeorum inscriberentur et populi gratiarum actio et ut istae tabulae collocarentur ἐν στήλαις in columnis in monte Sion (cf. v. 48. 49). Sequitur a v. 27 exemplum transsumptum scripti illius monumenti a die 18 mensis sexti Elul anno 172 sel. tertio anno Simonis (cf. 13,41); *in Asaramel*, ita scriptione continua א 23. 19. 64. 93; lectio vulg ἐν Σαραμέλ. S eo loco praebet : in anno tertio Simonis sacerdotum principis, principis Israel; unde *Saramel* potest explicari שר עם אל princeps populi Dei. Verum si retinetur ἐν, assignatur locus, ubi conventus v. 28 celebratus est. Varia proposita sunt : הצר עם אל in atrio populi Dei (*Ewald, K.*), שער in porta populi Dei; הצר מיליא in atrio Millo; בשר מאל laetus nuntius a Deo etc. (cf. *Gr.*). Aliud coniicit Geiger עצר in conventu populi Dei (pro עצרת). Certe si illud ἐν non legeretur, hoc loco titulus Simonis maxime consentaneus ac sollemnis esset : princeps populi Dei, Saramel. Nomen hoc fortasse erat cognomen Simonis ideoque in versione graeca retentum; quod amanuensium aliqui non intelligentes et locum conventus designari existimantes addito ἐν corrumpebant (cf. *Gr.*).

In comitiis magnis ac sollemnibus sacerdotum, populi, principum populi, seniorum regionis ἐγνώρισεν ἡμῖν, bene vulg *nota facta sunt haec*, S notum fecimus vobis, ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν, ita 19. 64. 93 : nos ita congregati etc vobis qui ea legitis; ἐγνώρισε ad errorem interpretis referunt. Recensentur merita Machabaeorum : in bellis frequentibus Simon et fratres eius se periculo obiecerunt; ex filiis Ioarib cf. 2,1; hostibus restiterunt, ut sanctuarium Dei et lex sua conservaretur et apud populum in cultu et usu sustentaretur v. 29. Ionathas congregavit populum, vide 9,28 seq., eo quod Iuda defuncto principatum suscepit; summus sacerdos factus, cf. 10,20. Capto Ionatha et occiso (12,48; 13,23) alienigenae novo furore contra Iudaeos surrexerunt, vide 12,53-13,2, *extendere manus in sancta*, templum profanare,

legem abolere v. 31. Huic periculo se firmiter opposuit Simon v. 32, *erogavit pecunias multas* τῶν ἑαυτοῦ ex suis opibus; armis instruxit bellatores, curam habuit ut milites acciperent stipendia v. 32; securitati regionis providit munitionibus; nominatur v. 33 Bethsura, quae arx fere erat propugnaculum Ierusalem; cf. 4,61; 6,26; 11,65; ibi antea hostes erant; vide 6,50; 9,52; 10,14. Ioppen munivit 12,33, Gazaram 13,43 seq. Arces autem instruxit omnibus iis, quae apta et idonea erant πρὸς τὴν τούτων ἐπανόρθωσιν ad firmum statum retinendum; S ad alimentum et stabilimentum. En vestigium versionis ex hebraeo: ἐν ᾗ ᾤκουν... ἐκεῖ v. 34.

Res a Simone praeclare gestas noluit populus carere debito praemio atque encomio; v. 35 et vidit populus τὴν πρᾶξιν actum Simonis, S opera Simonis; τὴν πίστιν praebent ℵ, A, 23. 62. 64 al et recepit in textum *Fr.;* at certe altera lectio hic unice consentanea est; insuper τὴν πίστιν agnoscit populus in fine huius membri, ex quo per errorem huc irrepsit. Simonem fecerunt ducem (13,8) et cum in locum Ionathae, qui erat dux et summus sacerdos, succederet, simul eandem dignitatem cum omnium approbatione suscepit, quam Demetrius rex et agnoscit et confirmat 13,36. Dicitur *eo quod fecerat haec omnia,* διὰ τὸ αὐτὸν πεποιηκέναι πάντα ταῦτα καὶ τὴν δικαιοσύνην et propter iustitiam et fidelitatem quam populo exhibuit et quia omni modo exaltare populum sedulo quaesivit. Hisce iam tota Simonis agendi ratio delineatur, quae ante eius electionem nondum nota esse poterat. Quare illud *posuerunt eum ducem* non potest referri ad primam electionem, sed exprimitur approbatio continua qua populus ob praeclara eius facinora sibi gratulabatur quod talem haberent ducem ac sacerdotem. Conatus Simonis prosperum habebant successum; cuius exemplum affertur v. 36 expulsio gentium alienigenarum ex terra (cf. 13,47) et ex arce in Ierusalem, qui ex arce dominabantur in Ierusalem, et *inferebant plagam magnam* ἐν τῇ ἁγνείᾳ sanctimoniae templi; cf. 1,36. 37.57; 4,41; 6,18; 11,41; 13,50 seq. Muros Ierusalem exaltavit 12,36.

Praeter populum etiam ab externis honoratus est Simon. Nam Demetrius rex eum agnovit et confirmavit summum sacerdotem 13, 36, eum amicum nominavit 13,36, eum honorifice habuit ipsa illa epistola ad eum directa et concessionibus illis factis 13,37-40. Ratio pro Demetrio quoque erat, quod Romani Iudaeos φίλους καὶ συμμάχους habebant (cf. 8,20; 15,17); ἠκούσθη γάρ, fama de hac Romanorum amicitia sparsa erat ex priore tempore; verum quaeri potest, num nuntius de honorifica receptione legatorum Simonis iam innotescere potuerit. Si tabulae inscriptio facta est eodem anno quo decretum de ea conditum est, anno 172 sel. legati nondum erant *reduces* Roma

(vide ad 15,16). At fortasse nuntius eos esse receptos potuit ita afferri, ut haec significatio honoris pro Simone tabulae inscriberetur; tabula ipsa fortasse etiam non statim est incisa. Unde non opus erit hanc partem ad spurium quoddam additamentum reiicere; idque eo minus quia id facile postea quoque inter laudes Simonis certe potuit referri, neque supponi poterat fore ut taceretur eius legatos a Romanis esse cum honore susceptos. Sed clarum est id non potuisse innotescere Demetrio, qui epistolam dedit ad Simonem anno 170, antequam legati mitterentur. In tabula autem omnia simul commemorantur, quia id unum spectabatur, ut honor Simoni ab externis praestitus significaretur. Sicut ergo etiam in aliis quibusdam recensendis ordo rerum, non temporis series spectabatur, ita hic quoque id unum efferebatur gloriam Simonis ad externos etiam perlatam et agnitam esse.

In subsequentibus enumerantur quae Iudaei decreverunt ad Simonem honorandum. Omnes testes (uno 71. excepto) exhibent καὶ ὅτι, quasi etiam sequentia referrentur ad v. 40 ἠκούσθη, id quod admitti nequit; alioquin quae praecipua sunt in honoribus Simoni decretis ad rumorem quendam redigerentur. Neque ὅτι quod vocant recitativum eo loco intelligi potest; erit igitur delendum quasi retentum ex oscitantia quadam amanuensium et repetitum ob duo illa ὅτι antecedentia. Decreverunt itaque et populus et sacerdotes (laici et sacerdotes), ut Simon sit ἡγούμενος dux, princeps in rebus profanis, in re militari et civili, et ἀρχιερεύς *in aeternum*, ut utraque dignitas et potestas civilis ac sacra iure hereditatis permaneret in eius familia et stirpe, *donec surgat propheta fidelis* cui legitimam auctoritatem a Deo commissam esse constaret, cui itaque tamquam prophetae vere a Deo misso cum omni securitate fidere possent. Quomodo verus propheta cognosci possit, declaratur Deut. 18,21. 22. Utraque potestas et civilis et religiosa in unum translata est; at num recte? nonne Davidi thronus aeternus promissus erat, sicut ipse Mathathias moriens professus est (2,57) et sicut in textu hebr. Eccli legitur: laudate facientem germinare cornu David (51,12); et ipsa summi sacerdotii translatio in familiam Ioarib nonne contraria esse videtur promissioni illi in textu hebr. Eccli: laudate eligentem inter filios Sadoc sacerdotem? Unde erat, cur merito decernerent, ut novus iste rerum ordo solum consisteret, donec propheta legitimus nomine Dei declaraverit quid ex voluntate Dei stabili ratione ordinandum sit. Istum *prophetam fidelem* non intelligi ipsum Messiam (quem veteres saepe existimant designari) patet iam ex 4,46; 9,27. Hoc vero elucet semper viguisse exspectationem fore ut Deus sicuti olim etiamtum suscitet prophetam secundum promissionem Deut. 18,15 seq.

Describitur iam quali potestate praeditus sit v. 42; munere fungitur triplici : est princeps (ἡγούμενος, seu ἐθνάρχης v. 47; 15,1), dux στρατηγός dux militaris, summus sacerdos. Quae ei incumbant, enumerantur sententiis ὅπως, *ut;* et primo ei demandatur *cura pro sanctis*, pro templo et cultu, scil. καθιστάναι δι' αὐτοῦ per eum designandi sunt qui ex sacerdotibus et levitis singula quae ad templum et cultum spectant i. e. *opera eorum* administrent, regant, peragant; item ἐπὶ τῆς χώρας. eius est instituere et nominare magistratus pro administratione regionis, designare eos qui curam habeant armorum, apparatus bellici, munitionum. Haec scil. ad eum tamquam ἡγούμενον καὶ στρατηγόν pertinent. Mira est illa repetitio v. 43 *cura de sanctis*, et supervacanea; nam suo loco primo haec cura imponitur v. 42. Subiunguntur officia subditorum : *ut audiatur ab omnibus* i. e. omnes ei obediant; eius quoque nomine et auctoritate scribantur edicta et decreta magistratuum per regionem; ut eius auctoritas et dignitas omnibus exhibeatur, ipse vestiatur purpura (cf. 10,20) καὶ χρυσοφορῇ et gerat ornatum aureum i. e. gerat fibulam auream (cf. 10,89), uti in v. 44 quoque indicatur. Prohibetur v. 44 ne quis praecepta eius et iussiones negligat neve iis contradicat aut obloquatur, neve sine eius consensu convocet conventum populi neve insignibus utatur nobilibus i. e. ne utatur purpura nec fibula aurea. Apponitur in v. 45 sanctio quaedam : poenae subiacebit qui contra egerit aut quidquam horum vilipenderit.

Additur confirmatio horum, ut decretum publicum omnibus pro tempore quoque futuro ratum ac firmum habeatur v. 46 : et complacuit omni populo θέσθαι Σίμωνι ποιῆσαι (ita ℵ, Al, 44.62 al) statuere in gratiam Simonis, ut *secundum verba ista* faciat i. e. secundum ea quae hisce conscripta sunt. Demum additur v. 47 Simonem triplicem illam dignitatem triplexque munus in se suscepisse. Hucusque inscriptio.

Narrat s. auctor v. 48 eam inscriptionem in tabulis aereis exaratam positam esse in peribolo τῶν ἁγίων in ambitu, in muro? in atrio templi, in loco omnibus conspicuo ἐπισήμῳ. Exemplum autem transsumptum asservatum est pro Simone eiusque posteris in gazophylacio seu aerario templi v. 49.

In enarratione meritorum Simonis series temporis non accurate servatur. Neque opus erat ordinem sequi temporis; nam merita eius proponuntur, ut pateat cur ei honores collati sint. Ad hoc autem minime necesse erat illa ex temporis ratione enumerare. In eis narrandis utique sacer auctor, ut rerum scriptor, ordinem temporis observavit; in inscriptione iste ordo non servatur, id quod compro-

batio est nobis exhiberi inscriptionem (non ab auctore confictam), sed veram atque genuinam.

9. *Antiochus VII regnum occupat* 15,1-14.

15,1. *Et misit rex Antiochus filius Demetrii epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti et principi gentis Iudaeorum et universae genti; 2. et erant continentes hunc modum :*

Rex Antiochus Simoni sacerdoti magno et genti Iudaeorum salutem.

3. Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vendicare regnum et restituere illud sicut erat antea, et electam feci multitudinem exercitus et feci naves bellicas, 4. volo autem procedere per regionem, ut ulciscar in eos qui corruperunt regionem nostram, et qui desolaverunt civitates multas in regno meo. 5. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes quas remiserunt tibi ante me omnes reges et quaecumque alia dona remiserunt tibi, 6. et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua, 7. Ierusalem autem sanctam esse et liberam, et omnia arma quae fabricata sunt et praesidia quae construxisti, quae tenes, maneant tibi. 8. Et omne debitum regis et quae futura sunt regi, ex hoc et in totum tempus remittuntur tibi. 9. Cum autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te et gentem tuam et templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra.

10. *Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum et convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone. 11. Et insecutus est eum Antiochus rex et venit Doram fugiens per maritimam; 12. sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, et reliquit eum exercitus. 13. Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belli-*

15,1. Καὶ ἀπέστειλεν Ἀντίοχος υἱὸς Δημητρίου τοῦ βασιλέως ἐπιστολὰς ἀπὸ τῶν νήσων τῆς θαλάσσης Σίμωνι ἱερεῖ καὶ ἐθνάρχῃ τῶν Ἰουδαίων καὶ παντὶ τῷ ἔθνει· 2. καὶ ἦσαν περιέχουσαι τὸν τρόπον τοῦτον·

Βασιλεὺς Ἀντίοχος Σίμωνι ἱερεῖ μεγάλῳ καὶ ἐθνάρχῃ καὶ ἔθνει Ἰουδαίων χαίρειν.

3. Ἐπειδὴ ἄνδρες λοιμοὶ κατεκράτησαν τῆς βασιλείας τῶν πατέρων ἡμῶν, βούλομαι δὲ ἀντιποιήσασθαι τῆς βασιλείας ὅπως ἀποκαταστήσω αὐτὴν ὡς ἦν πρότερον, ἐξενολόγησα δὲ πλῆθος δυνάμεων καὶ κατεσκεύασα πλοῖα πολεμικὰ, 4. βούλομαι δὲ ἐκβῆναι κατὰ τὴν χώραν, ὅπως μετέλθω τοὺς κατεφθαρκότας τὴν χώραν ἡμῶν καὶ τοὺς ἠρημωκότας πόλεις πολλὰς ἐν τῇ βασιλείᾳ. 5. Νῦν οὖν ἵστημί σοι πάντα τὰ ἀφαιρέματα ἃ ἀφῆκάν σοι οἱ πρὸ ἐμοῦ βασιλεῖς καὶ ὅσα ἄλλα δόματα ἀφῆκάν σοι, 6. καὶ ἐπέτρεψά σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον, νόμισμα τῇ χώρᾳ σου, 7. Ἱερουσαλὴμ δὲ καὶ τὰ ἅγια εἶναι ἐλεύθερα, καὶ πάντα τὰ ὅπλα ὅσα κατεσκεύασας καὶ τὰ ὀχυρώματα ἃ ᾠκοδόμησας ὧν κρατεῖς, μενέτω σοι. 8 Καὶ πᾶν ὀφείλημα βασιλικὸν καὶ τὰ ἐσόμενα βασιλικὰ ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον ἀφιέσθω σοι. 9. Ὡς δ' ἂν κρατήσωμεν τῆς βασιλείας ἡμῶν, δοξάσομέν σε καὶ τὸ ἔθνος σου καὶ τὸ ἱερὸν δόξῃ μεγάλῃ, ὥςτε φανερὰν γενέσθαι τὴν δόξαν ὑμῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ.

10. Ἔτους τετάρτου καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἐξῆλθεν Ἀντίοχος εἰς τὴν γῆν τῶν πατέρων αὐτοῦ, καὶ συνῆλθον πρὸς αὐτὸν πᾶσαι αἱ δυνάμεις, ὥςτε ὀλίγους εἶναι σὺν Τρύφωνι. 11. Καὶ ἐδίωξεν αὐτὸν Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς καὶ ἦλθε εἰς Δωρᾶ φεύγων τὴν ἐπὶ τῆς θαλάσσης· 12. εἶδε γὰρ ὅτι ἐπισυνῆκται ἐπ' αὐτὸν τὰ κακὰ καὶ ἀφῆκαν αὐτὸν αἱ δυνάμεις. 13. Καὶ παρενέβαλεν Ἀντίοχος ἐπὶ Δωρᾶ καὶ σὺν αὐτῷ δώδεκα μυριάδες ἀνδρῶν πολεμιστῶν καὶ ὀκτακισχιλία ἵππος. 14. Καὶ

geratorum et octo millibus equitum. 14. *Et circuivit civitatem et naves a mari accesserunt et vexabant civitatem a terra et mari et neminem sinebant ingredi vel egredi.*

ἐκύκλωσε τὴν πόλιν καὶ τὰ πλοῖα ἀπὸ θαλάσσης συνῆψαν καὶ ἔθλιβε τὴν πόλιν ἀπὸ τῆς γῆς καὶ τῆς θαλάσσης καὶ οὐκ εἴασεν οὐδένα ἐκπορεύεσθαι καὶ εἰςπορεύεσθαι.

Dum Demetrius II captivus teneretur (cf. 14,3), Tryphon contra satrapas et duces e regia familia oriundos bellare tentabat; nam in Mesopotamia Dionysius Medus erat, in Coelesyria Sarpedon et Palamedes, in Seleucia maritima Aeschion qui secum habebat reginam Cleopatram uxorem Demetrii quem Arsaces vivum ceperat (Exc. ex hist. Diod. sic., *Müller*, fragm. II n. XXV p. XIX). Erat Demetrio frater iunior Antiochus, cognomine Sidetes, utpote educatus in urbe Sida in Pamphylia (cf. Porphyrii Tyrii fragm. 18; *Müller,* frag. III p. 712), Iosepho teste Soter quoque appellatus (Ant. 13,7,1); is in insula Rhodo fratris captivitatem edoctus (App. Syr. 68), regnum paternum recuperare statuit. Uti Iosephus narrat, diu vagabatur nulla ipsum urbe recipiente metu Tryphonis; ad eum misit Cleopatra ad coniugium simul et regnum accersens; eum autem invitabat, tum quod amici ista ei persuaserant, tum quod sibi metuit, cum nonnulli ex Seleuciensibus urbem Tryphoni tradere studerent. Verum antequam Seleuciam adiret, dum adhuc vagaretur per regiones, misit ab insulis maris (Rhodo? cf. App. Syr. 68) epistolam ad Simonem. Declarat propositum suum recuperandi regnum paternum; ex graeco v. 3. 4 continetur prima pars periodi (βούλομαι δὲ, etc. δὲ, δὲ), et a v. 5 apodosis; ἄνδρες λοιμοί cf. 10,61; ad obtinendum regnum ἐξενολόγησα copias peregrinas collegit, milites mercenarios conscripsit, naves quoque paravit; proponit ἐκβῆναι κατὰ τὴν χώραν e navi descendere et per regionem incedere, ὅπως μετέλθω, ut persequar, puniam.

Simoni confirmat omnes remissiones vectigalium ac tributorum quas priores reges concesserant, καὶ ὅσα ἄλλα δόματα, etiam alia dona, quae praeter tributum, offerri debebant, uti corona, aurum coronarium; haec omnia promittit esse et manere remissa v. 5. Novum favorem concedit v. 6, ius nummos cudendi, quod maioris independentiae indicium est ideoque valde honorificum; ποιῆσαι κόμμα ἴδιον signum nummo percusso impressum facere, adhibere proprium, ita ut nummos cudat suo nomine inscriptos. Praeterea concedit immunitatem a tributis Ierusalem urbi et sanctuario; cf. 10,31; quae Simon paravit, arma, bellicum apparatum, arces quas aedificavit et quas tenet, omnia haec in eius potestate ut maneant rex statuit. Omnia quoque debita quae regi essent persolvenda ei condonantur nunc et pro omni tempore futuro v. 8; ergo si quid restat ex tempore priore

quod suo iure rex tamquam sibi debitum postulare possit, etiam condonatur. Insuper spondet rex, cum regnum obtinuerit — καταστήσωμεν τὴν βασιλείαν regnum ordinaverimus, S cum constitutum fuerit regnum nostrum — se etiam maioribus honoribus et favoribus prosecuturum esse Simonem, gentem, templum. Utique quamdiu rex putat Iudaeos sibi posse esse utiles ad opem ferendam, valde liberalis est ac magnificus in dandis promissis, quae tamen omnia negligit, abiicit, repudiat, quam primum se iam non indigere auxilio Iudaeorum perspicit.

Anno 174 sel. i. e. anno 139-138 ante Chr. Antiochus venit in terram patrum suorum a Seleucia, ad quam urbem invitatus erat a Cleopatra regina; maior pars copiarum ad eius partes accessit relicto Tryphone; Antiochus autem Tryphonem proelio victum e superiore Syria eiecit in Phoeniciam, et eo usque persecutus illum obsidione cinxit in Dora, quo se fuga receperat, praesidio quodam expugnatu difficili (Iosephus, Ant. 13,7,2), εἰς Δῶρα τὴν ἐπὶ τῆς θαλάσσης; est urbs ad littus maris mediterranei inter Caesaream et promontorium Carmeli, hodie Tantura, Tortura. Urbs terra marique oppugnabatur; συνῆψαν cf. 4, 14. De fuga Tryphonis refert *Lap.* quod Frontinus narrat (Stratag. 2,13): Tryphon Syriae rex per totum iter fugiens pecuniam sparsit eaque sectantes Antiochi equites moratus effugit.

10. *Quas litteras Romani pro Iudaeis dederint* 15,15-24.

15,15. *Venit autem Numenius et qui cum eo fuerant ab urbe Roma, habentes epistolas regibus et regionibus scriptas, in quibus continebantur haec :* 16. *Lucius consul Romanorum Ptolemaeo regi salutem.*

17. *Legati Iudaeorum venerunt ad nos amici nostri renovantes pristinam amicitiam et societatem, missi a Simone principe sacerdotum et populo Iudaeorum.* 18. *Attulerunt autem et clypeum aureum mnarum mille.* 19. *Placuit itaque nobis scribere regibus et regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos et civitates eorum et regiones eorum, et ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos.* 20. *Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum.* 21. *Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos,*

15,15. Καὶ ἦλθε Νουμήνιος καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ ἐκ Ῥώμης ἔχοντες ἐπιστολὰς τοῖς βασιλεῦσι καὶ ταῖς χώραις, ἐν αἷς ἐγέγραπτο τάδε.

16. Λεύκιος ὕπατος Ῥωμαίων Πτολεμαίῳ βασιλεῖ χαίρειν.

17. Οἱ πρεσβευταὶ τῶν Ἰουδαίων ἦλθον πρὸς ἡμᾶς φίλοι ἡμῶν καὶ σύμμαχοι, ἀνανεούμενοι τὴν ἐξ ἀρχῆς φιλίαν καὶ συμμαχίαν, ἀπεσταλμένοι ἀπὸ Σίμωνος τοῦ ἀρχιερέως καὶ τοῦ δήμου τῶν Ἰουδαίων. 18. Ἤνεγκαν δὲ ἀσπίδα χρυσῆν ἀπὸ μνῶν χιλίων. 19. Ἤρεσεν οὖν ἡμῖν γράψαι τοῖς βασιλεῦσι καὶ ταῖς χώραις ὅπως μὴ ἐκζητήσωσιν αὐτοῖς κακὰ, καὶ μὴ πολεμήσωσιν αὐτοὺς καὶ τὰς πόλεις αὐτῶν καὶ τὴν χώραν αὐτῶν, καὶ ἵνα μὴ συμμαχήσωσι τοῖς πολεμοῦσιν αὐτούς. 20. Ἔδοξε δὲ ἡμῖν δέξασθαι τὴν ἀσπίδα παρ' αὐτῶν. 21. Εἴ τινες οὖν λοιμοὶ διαπεφεύγασιν ἐκ τῆς χώρας αὐτῶν πρὸς ὑμᾶς, παράδοτε αὐτοὺς

tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam.

22. *Haec eadem scripta sunt Demetrio regi et Attalo et Ariarathi et Arsaci,* 23. *et in omnes regiones, et Lampsaco et Spartiatis et in Delum et in Myndum et in Sicyonem et in Cariam et in Samum et in Pamphyliam et in Lyciam et in Alicarnassum et in Coo et in Siden et in Aradon et in Rhodum et in Phaselidem et in Gortynam et Gnidum et Cyprum et Cyrenen.*

24. *Exemplum autem eorum scripserunt Simoni principi sacerdotum et populo Iudaeorum.*

Σίμωνι τῷ ἀρχιερεῖ ὅπως ἐκδικήσῃ ἐν αὐτοῖς κατὰ τὸν νόμον αὐτοῦ.

22. Καὶ τὰ αὐτὰ ἔγραψε Δημητρίῳ τῷ βασιλεῖ καὶ Ἀττάλῳ καὶ Ἀριαράθῃ καὶ Ἀρσάκῃ, 23. καὶ εἰς πάσας τὰς χώρας καὶ Σαμψάμῃ καὶ Σπαρτιάταις καὶ εἰς Δῆλον καὶ εἰς Μύνδον καὶ εἰς Σικυῶνα καὶ εἰς τὴν Καρίαν καὶ εἰς Σάμον καὶ εἰς τὴν Παμφυλίαν καὶ εἰς τὴν Λυκίαν καὶ εἰς Ἁλικαρνασσὸν καὶ εἰς Ῥόδον καὶ εἰς Φασηλίδα καὶ εἰς Κῶ καὶ εἰς Σίδην καὶ εἰς Ἄραδον καὶ εἰς Γόρτυναν καὶ Κνίδον καὶ Κύπρον καὶ Κυρήνην.

24. Τὸ δὲ ἀντίγραφον αὐτῶν ἔγραψαν Σίμωνι τῷ ἀρχιερεῖ.

Lucium consulem illum v. 16 esse Lucium Calpurnium Pisonem iam bene veterum nonnulli statuerant (*Ussherius, Salianus, Lap. Calm.*) et consentiunt recentiores (cf. *K.*). Is consul erat 615 u. c. 139 ante Ch. i. e. anno 173.174 sel. quo tempore legati Romam venerunt. Unus nominatur Lucius, nam Popillius Laenas, eius in consulatu collega, eodem anno 615 u. c. in Hispaniam citeriorem missus est adversus Numantium. Eo itaque tempore unus consul Romae versabatur. De temporis ratione adverte annum 174 sel. incipere autumno 139 ante Ch.; legatos autem iter instituisse post an. 172 et rediisse 174 ex narratione libri nostri patet (cf. 14,1. 16; 15,10. 15). — Ptolemaeus Euergetes II, Physcon v. 16 intelligitur.

Redeunt legati Iudaeorum ab urbe Roma *habentes epistolas* i. e. uti ex v. 4 apparet, habentes exemplum transsumptum τὸ ἀντίγραφον αὐτῶν epistolarum quae missae erant in varias regiones (v. 22.23). Iudaei in iis agnoscuntur amici et socii (gr. S) Romanorum; quale donum attulerint omnibus notum fit ad maiestatem populi Romani declarandam et maximam aestimationem; *clypeum aureum mnarum mille* i. e. 75.000 M. Quid legati petierint apparet ex v. 19; Romani scribunt ne Iudaeis inferantur mala (cf. 6,18) neve bellum iis moveatur, neve opem ferant bellantibus contra Iudaeos. In signum amicitiae additur, visum esse accipere clypeum; in beneficii loco scil. numerandum est, si Romani oblata dona accipiant. Magni momenti est quod in v. 21 conceditur; homines perniciosi, λοιμοί, *pestilentes* fugitivi tradendi sunt Simoni, ut in eos secundum legem Iudaeorum (αὐτῶν, S) animadvertat. In foederibus eiusmodi statui saepe solebant; ita in foedere cum Antiocho : servos Romanorum aut sociorum reddito Antiochus et qui ei subiiciuntur, item bello captos, transfugas

(Polyb. 22,26,10; cf. Livius 38,38; *K.*); et Herodi quoque concessum erat ab Augusto, ut fugitivos suos ex civitatibus non subiectis ei liceret educere (Iosephus, Bell. 1,24,2).

Quibusnam eiusmodi epistolae missae sint, narratur in v. 22.23. Scriptae sunt *Demetrio regi,* id quod simul documento est narrationem esse genuinam, nam Demetrius eo tempore iam erat in captivitate (14,3); Romani id ignorabant; auctor libri id ignorare non potuit; si ipse finxisset, epistolam scriptam dixisset Antiocho (15,13). Attalus, rex pergamenus, Philadelphus, amicus populi romani, Attalus II; eius successor Attalus III Philometor regnum capessivit anno 138. Ariarathes V Philopator, rex Cappadociae, amicus et socius Romanorum, misit Romanis ad benevolentiam testificandam coronam aureorum decies mille (cf. Diod. sic. 31,19,7; 31,28; Polyb. 31,14; 32,3,3. 20 etc.); regnavit 162-130 ante Ch.; Arsaces, rex Parthorum (cf. 14,2; Diod. sic. 34,15. 18), Romanis nullo foedere iunctus erat; ei itaque indicatur, quinam sint amici et socii Romanorum, ne eos impugnando se exponat periculo belli cum Romanis.

Sequuntur regiones v. 23; Sampsame (Σαμψακή, A 106; similiter S censetur esse urbs et portus inter Sinope et Trapezunt, Samsun, Samsacha ad pontum euxinum; in vulg Lampsacus, urbs ad Hellespontum in Mysia; Delos insula maris aegaei, minima inter Cyclades; Myndus, urbs Cariae portu nobilis; Sicyon in septemtrionali parte Peloponnesi; Caria, regio in Asia minore (εἰς τὴν Καρίδα, A, 62,71 in Phrygia); senatusconsulto Caribus libertas erat concessa, qui antea Rhodiis erant attributi (cf. Livius 41,6, 42,14; 44,15; Polyb. 30,5,12); Samus insula ad oras Ioniae; Pamphylia regio ad mare inter Lyciam et Ciliciam; Lycia provincia Asiae minoris, quam Romani simul cum Caria liberam declararunt; Alicarnassus urbs Cariae celeberrima ac munitissima ad sinum ceramicum (golfo di stanco); Coos insula inter Sporadas prope Cariam; Rhodus insula prope Cariam; Phaselis urbs in Lycia; Side urbs Pamphyliae ad sinum chelidonium; Aradus insula et urbs in Phoenicia prope ostium Eleutheri fluminis; Gortyna urbs in insula Creta in littore meridionali; Cnidus urbs in Caria in insula Cnidia ad promontorium Triopion; ex adverso est Coos insula; Cyprus insula sat magna ex adverso habens Ciliciae littus et Syriam; Cyrene caput Libyae Cyrenaicae.

Enumeratio fit sine ullo ordine; provinciae, urbes, insulae promiscue recensentur. Videtur auctor parum perspexisse quid singulis nominibus indicatum sit; alioquin non in tanta perturbatione regiones urbesque recitasset. Nominantur provinciae: Caria, Lycia, Pamphylia; insulae: Delus, Samus, Coos, Rhodus, Cyprus; urbes: Myndus,

Halicarnassus, Cnidus (in Caria), Sicyon, Side, Phaselis, Aradus, Gortyna, Cyrene.

Hoc senatusconsultum refertur a Iosepho loco alieno in rebus gestis Hyrcani II (Ant. 14,8.5); nominat praetorem urbanum Lucium Valerium Lucii filium, qui anno 615 u. c. i. e. 139 ante Ch. eo munere functus est et cui obtigit consulibus impeditis legatos in senatum introducere. Legatos nominat Alexandrum filium Iasonis, Numenium filium Antiochi et Alexandrum filium Dorothei. Cum nominet praetorem eum qui eo tempore revera praetor urbanus erat, apparet Iosephum alio usum esse fonte et istam confirmari narrationem; sed apud eum loco alieno perperam referri. Aliter Mendelssohn (De sen. cons. Romanorum ab Iosepho relati temporibus, Lips. 1873), qui putat versione in hebr. et ex hebraeo in graecum ex Lucio praetore factum esse Lucium consulem. De tota hac quaestione multa scripta sunt; vide *Schürer* l. c. I p. 251 nota 22.

11. *Antiochus se exhibet perfidum* 15,25-36.

15,25. *Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo, admovens ei semper manus et machinas faciens, et conclusit Tryphonem, ne procederet.* 26. *Et misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium et argentum et aurum et vasa copiosa.* 27. *Et noluit ea accipere, sed rupit omnia quae pactus est cum eo antea, et alienavit se ab eo.* 28. *Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso dicens : vos tenetis Ioppen et Gazaram et arcem quae est in Ierusalem civitates regni mei;* 29. *fines earum desolastis, et fecistis plagam magnam in terra et dominati estis per loca multa in regno meo.* 30. *Nunc ergo tradite civitates quas occupastis et tributa locorum, in quibus dominati estis extra fines Iudaeae.* 31. *Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti et exterminii quod exterminastis et tributorum civitatum alia talenta quingenta; sin autem, veniemus et expugnabimus vos.*

32. *Et venit Athenobius amicus regis*

15,25. Ἀντίοχος δὲ ὁ βασιλεὺς παρενέβαλεν ἐπὶ Δωρᾶ ἐν τῇ δευτέρᾳ προσάγων διὰ παντὸς αὐτῇ τὰς χεῖρας καὶ μηχανὰς ποιούμενος, καὶ συνέκλεισε τὸν Τρύφωνα τοῦ μὴ εἰςπορεύεσθαι καὶ ἐκπορεύεσθαι. 26. Καὶ ἀπέστειλεν αὐτῷ Σίμων δισχιλίους ἄνδρας ἐκλεκτοὺς συμμαχῆσαι αὐτῷ καὶ ἀργύριον καὶ χρυσίον καὶ σκεύη ἱκανά. 27. Καὶ οὐκ ἠβούλετο αὐτὰ δέξασθαι, ἀλλ' ἠθέτησε πάντα ὅσα συνέθετο αὐτῷ τὸ πρότερον, καὶ ἠλλοτριοῦτο αὐτῷ. 28. Καὶ ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν Ἀθηνόβιον ἕνα τῶν φίλων αὐτοῦ κοινολογησόμενον αὐτῷ λέγων· ὑμεῖς κατακρατεῖτε τῆς Ἰόππης καὶ Γαζάρων καὶ τῆς ἄκρας τῆς ἐν Ἱερουσαλὴμ, πόλεις τῆς βασιλείας μου· 29. τὰ ὅρια αὐτῶν ἠρημώσατε καὶ ἐποιήσατε πληγὴν μεγάλην ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἐκυριεύσατε τόπων πολλῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. 30. Νῦν οὖν παράδοτε τὰς πόλεις ἃς κατελάβεσθε καὶ τοὺς φόρους τῶν τόπων ὧν κατεκυριεύσατε ἐκτὸς τῶν ὁρίων τῆς Ἰουδαίας. 31. Εἰ δὲ μὴ, δότε ἀντ' αὐτῶν πεντακόσια τάλαντα ἀργυρίου καὶ τῆς καταφθορᾶς ἧς πατεφθάρκατε καὶ τῶν φόρων τῶν πόλεων ἄλλα τάλαντα πεντακόσια· εἰ δὲ μὴ, παραγενόμενοι ἐκπολεμήσομεν ὑμᾶς.

32. Καὶ ἦλθεν Ἀθηνόβιος φίλος τοῦ βασι-

in Ierusalem et vidit gloriam Simonis et claritatem in auro et argento et apparatum copiosum et obstupuit et retulit ei verba regis. 33. *Et respondit ei Simon et dixit ei : neque alienam terram sumpsimus neque aliena detinemus; sed hereditatem patrum nostrorum, quae iniuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est.* 34. *Nos vero tempus habentes vindicamus hereditatem patrum nostrorum.* 35. *Nam de Ioppe et Gazara quae expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam et in regione nostra; horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum.* 36. *Reversus autem cum ira ad regem renuntiavit ei verba ista et gloriam Simonis et universa quae vidit, et iratus est rex ira magna.*

λέως εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ εἶδε τὴν δόξαν Σίμωνος καὶ κυλικεῖον μετὰ χρυσωμάτων καὶ ἀργυρωμάτων καὶ παράστασιν ἱκανὴν, καὶ ἐξίστατο καὶ ἀπήγγειλεν αὐτῷ τοὺς λόγους τοῦ βασιλέως. 33. Καὶ ἀποκριθεὶς Σίμων εἶπεν αὐτῷ· οὔτε γῆν ἀλλοτρίαν εἰλήφαμεν οὔτε ἀλλοτρίων κεκρατήκαμεν, ἀλλὰ τῆς κληρονομίας τῶν πατέρων ἡμῶν, ὑπὸ δὲ ἐχθρῶν ἡμῶν ἀκρίτως ἔν τινι καιρῷ κατεκρατήθη. 34. Ἡμεῖς δὲ καιρὸν ἔχοντες ἀντεχόμεθα τῆς κληρονομίας τῶν πατέρων ἡμῶν. 35. Περὶ δὲ Ἰόππης καὶ Γαζάρων ὧν αἰτεῖς αὗται ἐποίουν ἐν τῷ λαῷ πληγὴν μεγάλην κατὰ τὴν χώραν ἡμῶν, τούτων δώσομεν τάλαντα ἑκατόν. Καὶ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῷ λόγον. 36. Ἀπέστρεψε δὲ μετὰ θυμοῦ πρὸς τὸν βασιλέα καὶ ἀπήγγειλεν αὐτῷ τοὺς λόγους τούτους καὶ τὴν δόξαν Σίμωνος καὶ πάντα ὅσα εἶδε, καὶ ὠργίσθη ὁ βασιλεὺς ὀργὴν μεγάλην.

Redit narratio ad obsidionem urbis Dorae (v. 13,14). Antiochus urbem obsedit ἐν τῇ δευτέρᾳ scil. ἡμέρᾳ (uti S bene supplet et addunt 19. 64. 93) et eo die impetum in urbem facere incepit, continuo adducens χεῖρας copias et applicans machinas. Omni itaque studio obsidionem faciebat et urbs omni ex parte erat cincta et ab omni commercio cum aliis occlusa. Dum obsidio protraheretur (cf. in v. 25 διὰ παντός), Simon regi misit copias auxiliares, misit pecuniam (aurum, argentum) et *vasa*, instrumenta seu apparatum bellicum copiosum v. 26. Verum Antiochus rex secundum morem usitatum regum Syriae agit. Iam videt Tryphone incluso regnum sibi acquiri neque iam ulterius se indigere auxilio Iudaeorum; unde quae ante cum Simone pepigerat iam omnia negligit, aperte hostilem in eum pandens animum v. 27. Mittit ad eum unum ex aulicis amicis qui mandata regia Simoni perferat. Postulat, ut sibi tradatur Ioppe, Gazara, arx : *civitates regni mei* et accusat Iudaeos quod agros civitatum regni sui vastassent, regionem plurimum afflixissent et potiti essent multis locis in regno suo, *in regno meo*. Hisce autem aperte contra promissa agit; nam scripserat Simoni : praesidia quae construxisti, quae tenes — ὧν κρατεῖς — maneant tibi (v. 7); remiserat omne tributum ac debitum (v. 5,8); nunc repetit civitates occupatas et tributa pro locis quae extra fines Iudaeae possidet Simon. Id quod male quoque congruit cum magnificis illis promissis v. 9. Accaron et omnes fines eius iam Ionathae donavit Alexander (10,89); in pugnis contra Philisthaeos regionem vastatam esse (10,83. 84; 11,4. 61; 12,33), immerito vertitur in accusationem.

Postquam scripsit ὧν κρατεῖς μενέτω σοι (v. 7), nunc postulat, ut Simon aut tradat civitates extra fines Iudaeae, aut pro illis solvat 500 talenta argenti; et insuper alia 500 pro vastatione regionis et pro tributo illarum urbium, cum scil. ex tempore possessionis Iudaeorum nihil tributi ex illis regi sit persolutum. In epistola autem rex nihil distinctionis indicavit inter urbes Iudaeae et urbes quas possedit Simon extra fines Iudaeae. Quare regis postulatio erat iniqua et contra fidem datam. Hanc postulationem regis Athenobius in Ierusalem Simoni exponit. Ea occasione magno cum stupore vidit pompam fere regiam Simonis, καὶ κυλικεῖον μετὰ χρυσωμάτων abacum, repositorium calicum cum vasis aureis et argenteis, καὶ παράστασιν ἱκανήν et ministrorum multitudinem copiosam. Miratur Athenobius Simonem qui non sit nisi ἐθνάρχης apparatu uti tam splendido et fere regio. Sed iam Ionathae eiusmodi pompa concessa erat (11,58) et populus Simoni quoque purpuram et aurum in signum dignitatis praescripsit (14,44).

Ad regis postulata respondet Simon cum dignitate v. 33 a se neque aliena esse occupata neque aliena retineri; se recuperasse et possidere hereditatem patrum, quae ab hostibus iniuste tempore aliquo sit arrepta. Hanc itaque hereditatem oblata temporis opportunitate nobis vindicavimus v. 34. Deus enim populo suo promiserat terram a mari rubro usque ad mare Palaestinorum (cf. Ex. 23,31. Deut. 11,24). Simul autem animum ostendit pacis amantem. Nam ratione habita minarum regis v. 31 *sin minus, veniemus et expugnabimus vos,* aliquid concedendum esse ratus pro Ioppe et Gazara pendere promittit talenta centum; verum simul regi in memoriam revocat se iis urbibus iuste bellum intulisse : *ipsi faciebant in populo plagam magnam et in regione nostra* (ita S quoque), κατὰ τὴν χώραν ἡμῶν per regionem nostram scil. longe lateque. Ea concessione bellum avertere studet. Affirmaverat nihil alienum se occupasse. Athenobius quid reponat non habet; ius Simonis non potest negare, id agnoscere non vult; itaque cum ira et contemptu nullum dat responsum v. 35. Regem autem ita de gloria Simonis et consiliis eius certiorem reddit, ut iram eius magnam in Simonem suscitet v. 36.

12. *Bellum Cendebaei contra Iudaeos* 15,37-16,10.

15,37. *Tryphon autem fugit navi in Orthosiada.* 38. *Et constituit rex Cendebaeum ducem maritimum et exercitum peditum et equitum dedit illi.* 39. *Et mandavit illi movere castra contra faciem Iudaeae, et mandavit ei aedificare Gedorem et obstruere portas civitatis et*

15,37. Τρύφων δὲ ἐμβὰς εἰς πλοῖον ἔφυγεν εἰς Ὀρθωσιάδα. 38. Καὶ κατέστησεν ὁ βασιλεὺς τὸν Κενδεβαῖον ἐπιστράτηγον τῆς παραλίας καὶ δυνάμεις πεζικὰς καὶ ἱππικὰς ἔδωκεν αὐτῷ. 39. Καὶ ἐνετείλατο αὐτῷ παρεμβαλεῖν κατὰ πρόσωπον τῆς Ἰουδαίας καὶ ἐνετείλατο αὐτῷ οἰκοδομῆσαι τὴν Κεδρὼν καὶ ὀχυρῶσαι

debellare populum. Rex autem persequebatur Tryphonem. 40. Et pervenit Cendebaeus Iamniam et coepit irritare plebem et conculcare Iudaeam et captivare populum et interficere et aedificare Gedorem, 41. et collocavit illic equites et exercitum, ut egressi perambularent viam Iudaeae, sicut constituit ei rex.

16,1. *Et ascendit Ioannes de Gazaris et nuntiavit Simoni patri suo quae fecit Cendebaeus in populo ipsorum. 2. Et vocavit Simon duos filios seniores, Iudam et Ioannem et ait illis : ego et fratres mei et domus patris mei expugnavimus hostes Israel ab adolescentia usque in hunc diem; et prosperatum est in manibus nostris liberare Israel aliquoties. 3. Nunc autem senui, sed estote loco meo et fratres mei et egressi pugnate pro gente nostra; auxilium vero de coelo vobiscum sit. 4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum et equites, et profecti sunt ad Cendebaeum, et dormierunt in Modin.*

5. Et surrexerunt mane et abierunt in campum; et ecce exercitus copiosus in obviam illis peditum et equitum, et fluvius torrens erat inter medium ipsorum. 6. Et admovit castra contra faciem eorum ipse et populus eius, et vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem et transfretavit primus, et viderunt eum viri et transierunt post eum. 7. Et divisit populum et equites in medio peditum; erat autem equitatus adversariorum copiosus nimis. 8. Et exclamaverunt sacris tubis, et in fugam conversus est Cendebaeus et castra eius; et ceciderunt ex eis multi vulnerati; residui autem in munitionem fugerunt. 9. Tunc vulneratus est Iudas frater Ioannis; Ioannes autem insecutus est eos, donec venit Cedronem quam aedificavit. 10. Et fugerunt usque ad turres quae erant in agris Azoti, et succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum; et reversus est in Iudaeam in pace.

τὰς πύλας καὶ ὅπως πολεμήσῃ τὸν λαόν. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἐδίωκε τὸν Τρύφωνα. 40. Καὶ παρεγενήθη Κενδεβαῖος εἰς Ἰάμνειαν καὶ ἤρξατο τοῦ ἐρεθίζειν τὸν λαὸν καὶ ἐμβατεύειν εἰς τὴν Ἰουδαίαν καὶ αἰχμαλωτίζειν τὸν λαὸν καὶ φονεύειν, καὶ ᾠκοδόμησε τὴν Κεδρών. 41. Καὶ ἔταξεν ἐκεῖ ἱππεῖς καὶ δυνάμεις, ὅπως ἐκπορευόμενοι ἐξοδεύωσι τὰς ὁδοὺς τῆς Ἰουδαίας, καθὰ συνέταξεν αὐτῷ ὁ βασιλεύς.

16,1. Καὶ ἀνέβη Ἰωάννης ἐκ Γαζάρων καὶ ἀπήγγειλε Σίμωνι τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἃ συνετέλει Κενδεβαῖος. 2. Καὶ ἐκάλεσε Σίμων τοὺς δύο υἱοὺς αὐτοῦ τοὺς πρεσβυτέρους Ἰούδαν καὶ Ἰωάννην, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ἐγὼ καὶ οἱ ἀδελφοί μου καὶ ὁ οἶκος τοῦ πατρός μου ἐπολεμήσαμεν τοὺς πολεμίους Ἰσραὴλ ἀπὸ νεότητος ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας καὶ εὐοδώθη ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν ῥύσασθαι τὸν Ἰσραὴλ πλεονάκις. 3. Νῦν δὲ γεγήρακα καὶ ὑμεῖς δὲ ἐν τῷ ἐλέει ἱκανοί ἐστε ἐν τοῖς ἔτεσι· γίνεσθε ἀντ' ἐμοῦ καὶ τοῦ ἀδελφοῦ μου, καὶ ἐξελθόντες ὑπερμαχεῖτε ὑπὲρ τοῦ ἔθνους ἡμῶν, ἡ δὲ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ βοήθεια ἔστω μεθ' ὑμῶν. 4. Καὶ ἐπέλεξεν ἐκ τῆς χώρας εἴκοσι χιλιάδας ἀνδρῶν πολεμιστῶν καὶ ἱππεῖς καὶ ἐπορεύθησαν ἐπὶ τὸν Κενδεβαῖον καὶ ἐκοιμήθησαν ἐν Μωδεΐν.

5. Καὶ ἀναστάντες τὸ πρωὶ ἐπορεύοντο εἰς τὸ πεδίον, καὶ ἰδοὺ δύναμις πολλὴ εἰς συνάντησιν αὐτοῖς, πεζικὴ καὶ ἱππεῖς, καὶ χειμάρρους ἦν ἀναμέσον αὐτῶν. 6. Καὶ παρενέβαλε κατὰ πρόσωπον αὐτῶν αὐτὸς καὶ ὁ λαὸς αὐτοῦ καὶ εἶδε τὸν λαὸν δειλούμενον διαπερᾶσαι τὸν χειμάρρουν, καὶ διεπέρασε πρῶτος, καὶ ἴδον αὐτὸν οἱ ἄνδρες καὶ διεπέρασαν κατόπισθεν αὐτοῦ. 7. Καὶ διεῖλε τὸν λαὸν καὶ τοὺς ἱππεῖς ἐν μέσῳ τῶν πεζῶν· ἡ δὲ ἵππος τῶν ὑπεναντίων πολλὴ σφόδρα. 8. Καὶ ἐσάλπισαν ταῖς ἱεραῖς σάλπιγξι, καὶ ἐτροπώθη Κενδεβαῖος καὶ ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ, καὶ ἔπεσον ἐξ αὐτῶν τραυματίαι πολλοί· οἱ δὲ καταλειφθέντες ἔφυγον εἰς τὸ ὀχύρωμα. 9. Τότε ἐτραυματίσθη Ἰούδας ὁ ἀδελφὸς Ἰωάννου· Ἰωάννης δὲ κατεδίωξεν αὐτοὺς ἕως ἦλθεν εἰς Κεδρὼν ἣν ᾠκοδόμησε. 10. Καὶ ἔφυγον ἕως εἰς τοὺς πύργους τοὺς ἐν τοῖς ἀγροῖς Ἀζώτου καὶ ἐνεπύρισεν αὐτὴν ἐν πυρὶ καὶ ἔπεσον ἐξ αὐτῶν εἰς ἄνδρας δισχιλίους· καὶ ἀπέστρεψεν εἰς γῆν Ἰούδα μετ' εἰρήνης.

Quamvis Dora navibus quoque a mari esset inclusa, Tryphoni tamen contigit navi aufugere in Orthosiada; erat Orthosias urbs Phoenicum, septemtrionem versus a Tripoli, cui propinquus est fluvius Eleutherus (Strabo 16,753, al. 1093); ruinae eius cernuntur in Ard Arthusi spatio trium horarum a Tripoli. Legitur in Characis fragmentis: Tryphon in Doro Coelesyriae urbe ab Antiocho obsessus in Ptolemaidem quae Ace (Ἄκη) vocatur confugit (*Müller*, frag. III p. 644; fragm. 40). Secundum Iosephum ex Dora fugit Apameam (Ant. 13,7,2). Hisce iter eius describitur: ex Dora Ptolemaidem, inde Orthosiada, inde Apameam, in qua urbe Tryphon olim educatus erat (Strabo 16,752; al. 1092). Tryphone autem per fugam elapso Antiochus et Tryphonem ulterius persequi statuit et simul bellum inferre Iudaeis. Prius ipse per se aggredi voluit. Alterum commendavit Cendebaeo, quem constituit ἐπιστράτηγον (ℵ, A, multi minusc), qui scil. τῷ στρατηγῷ πρωτάρχῳ additus et subiectus est (cf. 2 Mach. 10,11), τῆς παραλίας, regionis maritimae; et additis copiis iussit eum expeditionem suscipere contra Iudaeam, et firmam sibi constituere munitionem ac praesidium in Gedore, Κεδρών: aedificare, i. e. roborare, urbem aedificatione reddere firmiorem, et ὀχυρῶσαι τὰς πύλας munire portas, *obstruere* ita firmas occludere, ut hostes perfringere ac in urbem penetrare nequeant. Graece legitur Κεδρών, vulg. Gedorem v. 39. 40; sed etiam 16,9 Cedronem. Situs eius declaratur v. 40. 16,4. 8-10 mentione facta Iamniae, planitiei, Modin, Azoti; cf. Ios. 15,36 in campestribus Gedera (in Onom. Gedrus, hodie Ghedera, spatio unius horae a Iamnia inter meridiem et ortum solis spectans; cf. *K.* probabiliter Katra *Ks.*). Rex ipse *persequebatur Tryphonem;* narrat Iosephus eum Apameam fugisse, καὶ ληφθεὶς ἐν αὐτῇ τῇ πολιορκίᾳ διεφθάρη, βασιλεύσας ἔτη τρία (Ant. 13,7,2); Strabo autem scribit: et hunc quidem (Tryphonem) Antiochus Demetrii filius quodam in castello inclusum ad mortem sibi consciscendam adegit (ἠνάγκασε διεργάσασθαι τὸ σῶμά, 14,668, al. 984). Et Appianus haec habet: Antiochus, captivi Demetrii frater, in patriam reversus Tryphonem magno labore victum interfecit (κτεῖναι σὺν πόνῳ πολλῷ, Syr. 68).

Cendebaeus in Iamniam progressus plebem iudaicam vexare coepit, irruptiones faciens in Iudaeam, capiens et interficiens incolas v. 40; simul munivit Gedorem, Κεδρών, ibique posuit pedites et equites, qui inde egressi pervagarentur vias et regiones Iudaeae v. 41. De hisce excursionibus et infestationibus populi Ioannes, dux militaris in Gazaris (13, 54), Simonem certiorem reddidit 16,1 profectus in urbem. Simon iam grandaevus duobus filiis, Iudae et Ioanni, ut pugnam contra Cendebaeum susciperent, mandavit v. 2. 3. Quo libentius id

agant, iis in memoriam revocat, quid eorum maiores quanto cum successu praestiterint v. 2; quid ipsi possint perficere, indicat v. 3: ego senui, vos autem misericordia Dei (ita S) valentes estis annis — deest in vulg; sed bene congruit — aetate et viribus robusti estis; quare estote loco meo; vices meas gerite et vices fratris mei Ionathan; hunc nominat quia cum eo diutius rebus populi prospexit (9,37. 65; 10,74; 11,59.64; 12,33 seq.); quare singularis numerus τοῦ ἀδελφοῦ μου bene congruit; S estote loco meo et loco fratrum meorum. Opem vero pie efflagitat a coelo.

Paratur exercitus 20 millium bellatorum et — novum in apparatu bellico Iudaeorum — equites quoque praesto sunt, non quidem adeo multi v. 7; profecti contra Cendebaeum noctem transigunt in Modin, ubi ipsa memoria et monumento heroum Machabaeorum animi bellatorum virtute ac fortitudine imbuebantur v. 4. Inde pervenerunt in planitiem; ubi mox hostium exercitum magnum advertunt trans torrentem consistentem v. 5. Castra ponunt uno torrente ab hostibus separati. Cum autem milites vererentur per torrentem transire ad hostes aggrediendos, ipse, Ioannes scil. qui erat fortis proelii vir 13,54, primus transfretavit, quo exemplo milites accensi certatim secuti sunt v. 6. Equites collocavit in medio peditum, quo peditibus pugnantibus et auxilio et custodiae essent; cum enim equitatus Cendebaei esset *copiosus nimis,* pedites et equites Ioannis unitis viribus sese proelio committere debebant. Tubarum clangore itum est ad certamen v. 8; Cendebaeus victus est; multi in acie occiderunt; τραυματίαι cf. 1,18; 3,11; 8,10; reliqui fugerunt in munitionem, scil. Κεδρών. In proelio Iudas vulneratus est; Ioannes autem insecutus est fugientes usque prope Cedronem, *quam aedificavit* Cendebaeus v. 9. Alii ex exercitu Cendebaei fugam capiebant *usque ad turres quae erant in agris Azoti;* Ioannes illos quoque persecutus est; videntur incolae Azoti voluisse resistere et Iudaeos oppugnare; nam additur: et succendit αὐτήν, urbem scil. (etiam S) igni; sub Ionatha quoque Azotii simile quid experti sunt (10,84). Et ceciderunt circa duo millia bellatorum; S tria millia (et 19. 64. 93); mille A, 44.55.106.

Victoria reportata et exercitu hostili fuso fugatoque Ioannes reversus est in Iudaeam μετ' εἰρήνης sine ulteriore infestatione.

Rem aliter exornavit Iosephus: Simon ipse, licet aetate provectior, sumpto super aetatem animo iuvenili fervore copias ad bellum educebat; cf. Ant. 13,7,3 et Bell. 1,2,2: filios suos cum validissimorum manu praemittit, ipse vero exercitus parte assumpta, alio latere hostem aggreditur, et multis per multa loca insidiis etiam in montibus dispositis aditus et transitus omnes occupat; cumque praeclaram

retulisset victoriam, pontifex creatus est et Iudaeos post 170 annos a Macedonum dominatione liberat. — En, quam accurate narrat, ac si Simon Cendebaeo devicto tandem pontifex sit declaratus. Ceterum in honorem Simonis voluisse mentiri videtur.

13. *Quas insidias struxerit gener Simonis* 16,11-24.

16,11. *Et Ptolemaeus filius Abobi constitutus erat dux in campo Iericho et habebat argentum et aurum multum;* 12. *erat enim gener summi sacerdotis.* 13. *Et exaltatum est cor eius et volebat obtinere regionem, et cogitabat dolum adversus Simonem et filios eius ut tolleret eos.* 14. *Simon autem perambulans civitates quae erant in regione Iudaeae et sollicitudinem gerens earum descendit in Iericho ipse et Mathathias filius eius et Iudas anno centesimo septuagesimo septimo mense undecimo; hic est mensis Sabath.* 15. *Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quae vocatur Doch, cum dolo, quam aedificavit et fecit eis convivium magnum et abscondit illic viros.* 16. *Et cum inebriatus esset Simon et filii eius, surrexit Ptolemaeus cum suis et sumpserunt arma sua et intraverunt in convivium et occiderunt eum et duos filios eius et quosdam pueros eius;* 17 *et fecit deceptionem magnam in Israel et reddidit mala pro bonis.*

18. *Et scripsit haec Ptolemaeus et misit regi, ut mitteret ei exercitum in auxilium et traderet ei regionem et civitates eorum et tributa.* 19. *Et misit alios in Gazaram tollere Ioannem; et tribunis misit epistolas, ut venirent ad se et daret eis argentum et aurum et dona.* 20. *Et alios misit occupare Ierusalem et montem templi.*

21. *Et praecurrens quidam nuntiavit Ioanni in Gazara, quia periit pater eius et fratres eius et quia misit te quoque interfici.* 22. *Ut audivit autem, vehementer expavit, et comprehendit viros*

16,11. Καὶ Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἀβούβου ἦν καθεσταμένος στρατηγὸς εἰς τὸ πεδίον Ἱεριχὼ καὶ ἔσχεν ἀργύριον καὶ χρυσίον πολύ· 12. ἦν γὰρ γαμβρὸς τοῦ ἀρχιερέως. 13. Καὶ ὑψώθη ἡ καρδία αὐτοῦ καὶ ἠβουλήθη κατακρατῆσαι τῆς χώρας, καὶ ἐβουλεύετο δόλῳ κατὰ Σίμωνος καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ ἆραι αὐτούς. 14. Σίμων δὲ ἦν ἐφοδεύων τὰς πόλεις τὰς ἐν τῇ χώρᾳ καὶ φροντίζων τῆς ἐπιμελείας αὐτῶν καὶ κατέβη εἰς Ἱεριχὼ αὐτὸς καὶ Ματταθίας καὶ Ἰούδας οἱ υἱοὶ αὐτοῦ ἔτους ἑβδόμου καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἐν μηνὶ ἑνδεκάτῳ· οὗτος ὁ μὴν Σαβάτ. 15. Καὶ ὑπεδέξατο αὐτοὺς ὁ τοῦ Ἀβούβου εἰς τὸ ὀχυρωμάτιον τὸ καλούμενον Δὼκ μετὰ δόλου ὃ ᾠκοδόμησε, καὶ ἐποίησεν αὐτοῖς πότον μέγαν, καὶ ἐνέκρυψεν ἐκεῖ ἄνδρας. 16. Καὶ ὅτε ἐμεθύσθη Σίμων καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, ἐξανέστη Πτολεμαῖος καὶ οἱ παρ' αὐτοῦ καὶ ἐλάβοσαν τὰ ὅπλα αὐτῶν καὶ ἐπεισήλθοσαν τῷ Σίμωνι εἰς τὸ συμπόσιον καὶ ἀπέκτειναν αὐτὸν καὶ τοὺς δύο υἱοὺς αὐτοῦ καί τινας τῶν παιδαρίων αὐτοῦ. 17. Καὶ ἐποίησεν ἀθεσίαν μεγάλην καὶ ἀπέδωκε κακὰ ἀντὶ ἀγαθῶν.

18. Καὶ ἔγραψε ταῦτα Πτολεμαῖος καὶ ἀπέστειλε τῷ βασιλεῖ ὅπως ἀποστείλῃ αὐτῷ δυνάμεις εἰς βοήθειαν καὶ παραδῷ αὐτῷ τὴν χώραν αὐτῶν καὶ τὰς πόλεις. 19. Καὶ ἀπέστειλεν ἑτέρους εἰς Γαζαρα ἆραι τὸν Ἰωάννην, καὶ τοῖς χιλιάρχοις ἀπέστειλεν ἐπιστολὰς παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν, ὅπως δῷ αὐτοῖς ἀργύριον καὶ χρυσίον καὶ δόματα. 20. Καὶ ἑτέρους ἀπέστειλε καταλαβέσθαι τὴν Ἱερουσαλὴμ καὶ τὸ ὄρος τοῦ ἱεροῦ.

21. Καὶ προδραμών τις ἀπήγγειλεν Ἰωάννῃ εἰς Γάζαρα ὅτι ἀπώλετο ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ ὅτι ἀπέσταλκε καὶ σὲ ἀποκτεῖναι. 22. Καὶ ἀκούσας ἐξέστη σφόδρα καὶ συνέλαβε τοὺς ἄνδρας τοὺς ἐλθόντας ἀπο-

qui venerant perdere eum, et occidit eos; cognovit enim quia quaerebant eum perdere.

23. *Et cetera sermonum Ioannis et bellorum eius et bonarum virtutum quibus fortiter gessit et aedificii murorum quos exstruxit et rerum gestarum eius,* 24. *ecce haec scripta sunt in libro dierum sacerdotii eius, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.*

λέσαι αὐτὸν καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς, ἐπέγνω γὰρ ὅτι ἐζήτουν αὐτὸν ἀπολέσαι.

23. Καὶ τὰ λοιπὰ τῶν λόγων Ἰωάννου καὶ τῶν πολέμων αὐτοῦ καὶ τῶν ἀνδραγαθιῶν αὐτοῦ ὧν ἠνδραγάθησε καὶ τῆς οἰκοδομῆς τῶν τειχέων ὧν ᾠκοδόμησε, καὶ τῶν πράξεων αὐτοῦ, 24. ἰδοὺ ταῦτα γέγραπται ἐπὶ βιβλίῳ ἡμερῶν ἀρχιερωσύνης αὐτοῦ, ἀφ' οὗ ἐγενήθη ἀρχιερεὺς μετὰ τὸν πατέρα αὐτοῦ.

Flebili sorte occubuit Simon nihil tale meritus. At ambitio et dominandi cupiditas omnem animi grati et humani sensum in genero exstinxit. Ptolemaeus, filius Abobi (S חבובא, cf. Ἔραστος) in statione militari planitiei Ierichuntis erat dux; propter vada Iordanis gravis negotii erat ad securitatem Iudaeae illam stationem plane habere tutam. Quare Simon eam propinquo commisit quem insuper opibus instruxit; cognatione, dignitate muneris, divitiis itaque eum sibi obstrinxit. At hisce minime contentus, sed superbia elatus dominium totius regionis ille affectabat; nomen eius graecum indicio esse videtur eum magis inclinasse ad partes eorum qui Graecorum mores imitatione exprimerent. Simonem eximiam habuisse curam, ut commoda incolarum promoverentur, discimus v. 14, solebat enim civitates Iudaeae obire inspiciendi et explorandi causa, curam earum sollicite gerens, ne quid iis deesset; φροντίζων τῆς ἐπιμελείας αὐτῶν. Inter alia illi intentus negotio etiam in Iericho descendit cum duobus filiis anno 177 sel. i. e. 135 ante Ch. mense undecimo (Zach. 1,7 שבט, Februarius). Eos invitavit in parvam arcem quam sibi construxerat, Δώκ, hodie fons seu fontes Duk inter septemtriones et occasum solis a Ierichunte. In ea munitione tutam sceleris perpetrandi et perfidiae occasionem se habere existimavit; ibi potuit collocare milites sibi obstrictos, ad omnia promptos ac paratos, neque aderant cives ad partes Simonis tutandas. Simon vero de genero, quem dignitate et opibus auxerat, minime quidquam mali suspicatus est. Inter convivium, cum iam largiore potu exhilaratus esset Simon (*Lap. Calm.*), ipse Ptolemaeus cum militibus irruit; occiduntur Simon, duo eius filii et aliqui famuli eorum v. 15. 16; S : cum bibissent et laetati essent; ebrietatem intelligi debere contendit *Gr.*, sed adnotat variis modis aliquem sine ulla sua culpa posse effici ebrium. Facinus hoc graviter reprehendit auctor v. 17 fecit magnam ἀθεσίαν perfidiam et animum pessime ingratum ostendit.

Ptolemaeus, ut potestate potiretur, et Antiochi regis approbatione et auxilio indigebat, et tertium quoque Simonis filium Ioannem e me-

dio tollere debuit. Utrumque aggreditur. Regem reddit certiorem litteris missis, petit ut sibi mittat copias seque praefectum constituat regionis urbiumque v. 18. Pariter mittit in Gazaram (13,54) qui Ioannem occiderent; tribunis militum Ioannis mittit epistolas, quibus eos ad suas partes sollicitat additis promissis v. 19; provide quoque mittit ad occupandam urbem Ierusalem et montem templi (13,53). Ioannes autem opportune certior factus comprehensos qui ad necem inferendam missi erant occidi iubet.

Qua re narrata auctor libro finem imponit v. 23. 24 pro reliquis rebus a Ioanne gestis nos remittens ad librum dierum, ad commentarios diurnos, ad annales sacerdotii eius, de quibus tamen nihil servatum est. At ex hac nota nihilominus discimus, Ptolemaeum plane a nefario suo consilio esse deiectum, Ioannem fuisse ducem et pontificem et principem post Simonem eumque et bella feliciter gessisse, et praeclara edidisse virtutum documenta in promovendis commodis publicis et muros denuo exstruxisse. Nam, uti Iosephus narrat (Ant. 13,8,2), Antiochus Sidetes bellum Iudaeis intulit, Ierusalem obsedit et demum pacem concessit, inter cuius conditiones etiam haec erat, ut pars murorum tolleretur — καθεῖλε καὶ τὴν στεφάνην τῆς πόλεως — et Diodorus sic. simpliciter dicit τὰ τείχη περιελὼν τῶν Ἱεροσολύμων (34,1,5). Bellum illatum esse scribit Iosephus primo anno principatus Ioannis Hyrcani.

Longiorem quoque de Ptolemaeo narrationem texuit, quae tamen, cum ab auctoris narratione de occisis duobus filiis Simonis plane recedat, fide indigna habetur.

PROLEGOMENA AD ALTERUM LIBRUM

1. *De argumento secundi libri Mach.*

Praemittuntur duae epistolae, quae a Iudaeis hierosolymitanis ad Iudaeos in Aegypto degentes olim missae erant. In utraque admonentur, ut diem purificationis templi, diem 25 mensis casleu, sollemniter agant. Cum eius diei festi institutio et celebratio in ipso libro narretur (10,3 seq.), etiam patet ratio, cur auctor epistolas illas memoriae posteritatis servari voluerit (1,1-2,19). Accedit quod in altera epistola plura referuntur, quibus cultus divinus prodigiis commendatur; auctoris autem huius plurimum interest, ea exponere et laudare, quae ad templum, ad cultum Dei et pietatem observationemque legis spectant. Post epistolas sequitur prooemium auctoris (2,20-33), quo nos docet quaenam Iason Cyrenaeus quinque libris comprehenderit, scil. de rebus a Iuda Machabaeo eiusque fratribus gestis et de prodigiis coelitus factis; ea vero, ut omnium utilitati et delectationi consuleretur, a se in breviarium, seu epitomen esse redacta non sine multo labore.

Tota eius narratio 3,1-15.40 spatio continetur annorum quindecim (176-161 ante Chr.). Exorditur enim ab ultimo tempore regni Seleuci IV Philopatoris, quo iubente Heliodorus frustra thesauros templi rapere attentavit, et finem facit clade et morte Nicanoris et die festo instituto.

In hoc itaque libro altius quidem rerum series repetitur, quam in priore, at citius quoque concluditur; nam mors Nicanoris refertur 1 Mach. 7,43. Iis quae 3,1-5,1 narrantur, apte suppletur breve illud indicium libri prioris de occasione et causa perturbationum. Discimus enim ipsos populi primores, Iasonem, Menelaum fuisse auctores et incentores malorum quae in populum devolvebantur, et cur Antiochus rex eiusmodi conceperit consilium (1 Mach. 1,43), rebus hoc libro expositis facilius intelligitur; ipsi enim populi duces ac sacerdotes et suasores exstiterunt et exemplo suo praeierunt apostatae a legibus paternis et moribus.

Summa narrationis haec est : Antiochus ex Aegypto redux in Iudaeos saevit et templum spoliat; relinquit praepositos ad Iudaeos af-

fligendos; templum profanatur, observatio legis interdicitur, ritus gentilium obire coguntur; multi fugiunt in loca deserta; narratur fides et martyrium Eleazari et septem fratrum eorumque matris (5-7). Iudas Machabaeus collectis copiis castella et civitates diruit; victoriam reportat de Nicanore; Timotheo quoque et Bacchidi cladem infert (cap. 8). Quae nuntiantur Antiocho regi, qui turpiter repulsus a Persis et iram effundere volens in Iudaeos, molestissimo morbo in itinere afflictus frustra implorat Dei misericordiam; litteris ad Iudaeos de filio, regni successore, datis obiit (cap. 9).

Machabaeus templo expiato et festo celebrato feliciter dimicavit contra Idumaeos et divinitus protectus contra milites Timothei, qui fuga in praesidium capta interemptus est (cap. 10). Pari successu et fretus ope coelesti Machabaeus cum suis Lysiam devicit; qua victoria Iudaeis concessum est litteris regiis secundum legem suam moresque vivere (cap. 11). Verum invidia gentium pacifice vivere Iudaeis non est concessum; eos infestabant Ioppitae, quos Iudas castigavit sicut et Iamnitas et Arabes; feliciter bellum gessit contra Timotheum, gentes in Carnion et Ephron, contra Gorgiam; Iudaei qui simulacra idolorum gestarunt, cadunt in proelio; pro quorum delicto Iudas sacrificia offerenda curabat (cap. 12). Menelao instigante rex et Lysias novam suscipiunt expeditionem contra Iudaeos; apud Modin castris infertur strages et rebellione Philippi audita rex pacem concedit et Machabaeum honorat (cap. 13). Apud Demetrium regem Alcimus calumniis in Iudam prolatis effecit, ut Nicanor mitteretur ad Iudam capiendum; qui cum Iuda familiariter agebat, unde Alcimus denuo regem permovit, ut Nicanor iuberetur Machabaeum vinctum mittere Antiochiam. Quare Nicanor minis in templum prolatis Iudam ut sibi traderent sacerdotes postulavit et milites misit ad Raziam comprehendendum (cap. 14). Ad pugnam cum Nicanore obeundam confortantur Iudaei faustissimo visu enarrato a Iuda; in proelio cadit Nicanor; cuius victoriae memoria servatur die 13 mensis adar (cap. 15). — Quomodo singula cum rebus in priore libro narratis componi possunt, supra in tabula exhibetur.

2. *De indole narrationis.*

Quae Iason Cyrenaeus quinque libris comprehendit, erant de Iuda et fratribus eius, de templi recuperatione, purificatione et dedicatione arae, de proeliis contra Antiochum Nobilem eiusque filium, de ope divinitus Iudaeis praestita prodigiisque, de observatione legis restituta (cf. 2,20-24). Ex opere Iasonis se epitomen fecisse auctor profitetur.

Narratur quoque de conatu Heliodori spoliandi templum eiusque castigatione, sanatione, consilio regi dato; narrat de ambitione et malitia Iasonis, Menelai, de caede Oniae, etc.; item de martyrio Eleazari et septem fratrum eorumque matris. Omnia haec cap. 3. 4. 6. 7 satis fuse describuntur. Compara enim illas narrationes cum paucis illis quae habet de templi purificatione et arae dedicatione (10,1-8), vel de fratribus Iudae (8,22; 10,20). Unde quaedam stilo uberiore ex Iasone relata esse videntur.

Epitomator se prodit virum cultui divino et legi addictissimum. Quare templum magno effert encomio, famosissimum vocans in toto orbe (2,23), maximum describens luctum de periculo profanationis, gaudium summum de averso periculo (3,14 seq.), templum est in orbe sanctissimum (5,15), ab ipsis regibus et principibus summo honore et maximis muneribus ditatum (3,2; 9,16; 13,23). Unde adeo diligenter commemorat et commendat agi diem purificationis templi; ita in duabus epistolis, quas libro praemisit et quae ad cultum templi divinitus commendatum pertinent, ita in narratione 10,1 seq. et templum incontaminatum esse servatum et minas a Nicanore in templum iactas a Deo eximio modo esse repulsas et vindicatas commemoratur celebritate diei tertii decimi mensis adar (15,37). Singulari cura enumerat quae ad cultum sacrum requiruntur (cf. 1,8; 4,14; 10,3); quanta indignatione tangitur 5,16 : Antiochus scelestis manibus sumens sancta vasa contrectabat indigne et contaminabat.

Quanti aestimaverit pietatem, ostendit 3,1, dum tranquillam civitatis conditionem, pacem, et optimam legum observantiam pietati Oniae sacerdotis refert acceptam (cf. 15,12; item diligentissime ac frequentissime adnotat preces esse fusas, nihil esse susceptum nisi supplicatione praemissa; pro re bene gesta Deo gratias esse redditas; ita 3,15 orant sacerdotes, 3,22 multitudo; 3,30 omnes Dominum benedicunt; 6,30 precatur Eleazarus; Iudas et milites eius invocant Dominum 8,2; item deprecantur, ut eriperet se ab impio Nicanore 8,14; sabbatum agunt benedicentes Dominum et obsecrantes, ut servis suis conciliaretur 8,27. 29; Antiochus quoque orabat Dominum 9, 13; prostrati in terram rogant 10,4; orant ante pugnam 10,16; orant caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis praecincti et ad altaris crepidinem provoluti 10,25; in hymnis laudant Deum qui magna fecit in Israel et dedit victoriam 10,38; videntes expugnari praesidia cum fletu et lacrimis rogabant Dominum, ut bonum angelum mitteret 11,6; et cum apparuisset praecedens eos eques in veste candida, benedixerunt misericordem Dominum 11,9; invocato iusto iudice Deo venit Iudas adversus interfectores fratrum 12,6; invocato magno mundi principe

irruit ferociter muris 12,15; cum Omnipotentem invocassent, ceperunt civitatem 12,28; invocavit Dominum adiutorem et ducem belli fieri 12,36; omnes benedixerunt iustum iudicium Domini 12,41; praecepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent 13,10; per triduum continuum prostrati cum fletu et ieiuniis petierunt a Domino misericordiam 13,12; conspersi terra rogabant eum qui populum suum constituit 14,15; sacerdotes protendentes manus in coelum invocabant eum qui semper propugnator esset gentis 14,34; ante mortem Razias invocat dominatorem vitae ac spiritus 14,46; extendens manum in coelum prodigia facientem Dominum invocavit 15,21; manu quidem pugnantes sed Dominum cordibus orantes 15,27; patria voce omnipotentem Dominum benedicebant 15,29; omnes igitur coeli benedixerunt Dominum 15,34.

Hisce eius narratio pietate quadam continua aspersa videtur. Eam insuper manifestat suo de rebus iudicio prolato et consideratione de rerum causis adiecta. Ita notat : in leges enim divinas impie agere impune non cedit 4,17; et docet cur Deus permittat mala devolvi in populum et locum sacrum : propter peccata habitantium civitatem modicum Deus fuerat iratus; propter quod et accidit circa locum despectio etc. cf. 5,17-20; monet calamitates devolvi ac permitti a Deo non ad interitum sed ad correptionem generis nostri; Dei agendi modum exponit; « corripiens in adversis populum suum non derelinquit » 6,12-17; plura eiusmodi documenta in verbis Eleazari et septem fratrum enuntiantur, quibus resurrectionem fore et bonis mercedem, impiis poenam retributum iri post mortem iterato ostenditur (cap. 6. 7). Iuste viros scelestos iam in hac vita cruciari demonstratur 9,6; sermo fit de flagitio (δυσσέβημα) Ioppitarum eorumque crudelitate 12, 3. 5; sacrificia rite offerri pro defunctis ex fide resurrectionis colligitur et ea de re Iudas laudatur πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων etc. 12,43-45; explicite effertur quam iuste poenis ad scelera eorum accommodatis ultionem divinam experti sint Iason 5,8-10; Antiochus 9,8-10; Nicanor 8,36; 15,32; Menelaus 13,7. Adhibetur et ostenditur norma legis, qua rectum efficiatur de rebus ac viris iudicium; cf. 3,15; 4,2. 17; 5,8; 6,5. 28; 7, 2. 6. 9. 23. 30. 37; 8,21. 36; 10,26; 12, 40; 13,7. 11. 14; 15,9.

Scribit itaque auctor noster ita de rebus ac personis, ut suam de iis opinionem ac sententiam minime taceat, verum clare enuntiet. Qua in re plane aliter agit atque auctor libri prioris. Id praeter alia cernitur potissimum in modo quo de singulis loquitur. Dum enim auctor prioris libri singulos suo quemque nomine simpliciter commemorat (excipe solum 1,10 et 7,9), hic noster auctor non videtur posse

satisfacere et pietati suae et odio iniquitatis: quare Iudaeos apostatas et hostes populi Dei vix unquam nominat, ut non verbum apponat probrosum et contumeliosum. Ita *Simon* vocatur δυσσεβής 3,11 et pecuniarum et patriae delator 4,1: incrementum et profectus apostasiae fit διὰ τὴν τοῦ ἀσεβοῦς καὶ οὐκ ἀρχιερέως Ἰάσωνος ὑπερβάλλουσαν ἀναγνείαν 4,13 et Ἰάσων ὁ μιαρός 4,19, omnibus odiosus, ut refuga legum et exsecrabilis ut patriae et civium hostis, δήμιος carnifex 5,8; *Menelaus* introducitur tamquam « nihil habens dignum sacerdotio, animos vero crudelis tyranni et ferae belluae iram gerens » 4,25; Menelaum τῆς ὅλης κακίας αἴτιον absolvit rex 4,47; Menelaus ἐπιῤῥυόμενος τῇ κακίᾳ μέγας τῶν πολιτῶν ἐπίβουλος καθεστώς 4,50; legum et patriae proditor 5,15, qui gravius quam ceteri efferebatur in cives 5,23; ὁ ἀλιτήριος 13,4; ὁ παράνομος 13,7. *Andronicus* describitur οὐκ αἰδεσθεὶς τὸ δίκαιον 4,34; ὁ μιαιφόνος Domino illi condignam retribuente poenam 4,38. *Tyrannus* aetate neque minus dementia provectus dicitur 4,40; *Lysimachus* ὁ ἱερόσυλος 4,42. *Antiochus Epiphanes* existimavit se prae superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem 5,21: compellatur ἀλάστωρ 7,9; ὁ ὠμὸς τύραννος 7,27; πάσης κακίας εὑρετής 7,31; interpellatur ὦ ἀνόσιε καὶ πάντων ἀνθρώπων μιαρώτατε 7,34; eius superbia et furor describitur 9,4. 6. 7. 8. 10; appellatur δυσσεβής, μιαρός, ἀνδροφόνος καὶ βλάσφημος 9,13.28; ἀσεβής 10,10. *Philippus* vocatur moribus crudelior eo ipso, a quo erat constitutus, i. e. ipso Antiocho 5,22; *Nicanor*, ὁ δυσσεβής 8,14; ὁ τριφαλιτήριος 8,34; item 15,3; ὁ μιαρός, δυσσεβής 15,32. 33. Dux quidam militum Timothei designatur ἀνοσιώτατος ἀνήρ 8,32; *Callisthenes* dignam mercedem pro impietatibus suis recepisse dicitur 8,33; *Georgias* κατάρατος 12,35; *Eupator* φρονήματι βεβαρβαρωμένος 13,9; *Alcimus* voluntarie inquinatus 14,3 et παμπόνηρος 14,27. *Milites* quoque qui contra Israel in acie collocantur appellantur ἀλιτήριοι 12,23 et 14,42 et *gentes* blasphemae et barbarae 10,4 et 13,11 preces funduntur, ne Iudaei τοῖς δυσφήμοις ἔθνεσι subiiciantur.

Uti vituperium suum et animi sensum ab iniquitate alienum, addictissimum autem moribus paternis declarayit, ita laudem quoque et approbationem suam minime silentio premit. Hanc enim ipsa descriptione accurata manifestat. Amplis v. g. verbis luctum *pontificis, sacerdotum, plebis* de periculo profanationis templi exhibet et laetitiam de divina protectione (3,14-30); *Oniam* nominat provisorem civitatis, defensorem gentis suae, aemulatorem legis Dei (4,2); *Eleazarus* exemplum virtutis ac fortitudinis omnibus exhibere ostenditur (6,19-31); praeclare effertur fides, fortitudo, spes in Deum invicta *septem filiorum*, qui pro lege dira subeunt tormenta, « supra modum

autem *mater* mirabilis » (7,20). Pluribus fortitudo *militum* commendatur et quasi spectanda exhibetur (10,35; 11,9), appellatur Iudas ὁ γενναῖος (12,42); laudatur πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων... ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια (12,43. 44); laudatur quippe qui per omnia corpore et animo pro civibus mori paratus erat (15,30); appellatur *Razias* amator civitatis et bene audiens, pro affectu pater Iudaeorum nominatus (14,37).

De indole narrationis feruntur inter viros doctos sententiae contrariae. Alii enim censent ab auctore librum priorem nullatenus cognitum esse (*Fritzsche, Schürer*), alii ab auctore priorem librum impugnari (*Geiger, Wellhausen, Kosters, Kamphausen* p. 84). Mihi prior sententia vera videtur. Nam narratio ita instituitur in altero libro, ut omnino independens cernatur a priore libro et quidem ratione habita et seriei eventuum et rerum particularium. Cultus sacer purgato templo restituitur post primam expeditionem Lysiae et de hac instauratione Antiochus rex certior fit in Perside (1 Mach. 4,36; 6,7). In altero libro vero haec instauratio narratur 10,1 postquam 9,1-29 de morte Antiochi nuntiatum est. Bella quae memorantur in priore libro cap. 5 (ante narrationem de morte Antiochi) leguntur in altero 10,14-38 et quidem postquam 10,10 dictum est : « nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio quae gesta sunt narrabimus », et alia bella (1 Mach. 5,9 seq.) referuntur 12,10 seq. De prima expeditione Lysiae (1 Mach. 4,28 seq.) non fit mentio; altera indicatur 1 Mach. 4,35 et narratur explicite in altero 11,1 seq.

In priore libro expeditio Nicanoris ita narratur : ipse rex Antiochus audit de proeliis Iudae; unde mandat Lysiae, ut mittat exercitum ad conterendas reliquias Ierusalem; tum elegit Lysias Ptolemaeum, Nicanorem, Gorgiam (1 Mach. 3,27. 35. 38). Aliter in 2 Mach. 8,8 seq. : Philippus, de successu Iudae sollicitus, scribit ad Ptolemaeum, ducem Coelesyriae et Phoenicis, ut auxilium ferret regis negotiis; et ille misi Nicanorem. In priore libro Nicanor et Gorgias mittuntur cum 40.000; in altero Ptolemaeus dat Nicanori 20.000; nulla mentio fit Gorgiae; verum Timotheus et Bacchides (de quibus nihil in priore) habent copias numerosas, ex quibus 20.000 interficiuntur. In priore castra ponuntur prope Emmaum (3,40. 57); orant et ieiunant in Maspha, expandunt libros legis, suscitant nasiraeos; Iudas constituit duces, tribunos; iubet formidolosos aliosque redire domum; narratur de tentamine Gorgiae, Iudas suos confortat mentione salutis olim maioribus praestitae in mari rubro; victos persecuti sunt usque Gazeron, Azotum, Iamniam — nihil de istis in altero libro, in quo alia proferuntur quae non leguntur in priore; v. g. sperat Nicanor se posse dare

regi duo millia talentorum de captivitate Iudaeorum; convocat mille mercatores ad emptionem mancipiorum, promittens talento nonaginta mancipia se distracturum, Iudas admonet de auxilio olim praestito contra Sennacherib et in proelio contra Galatas; attribuit unicuique fratri (Simoni, Iosepho, Ionathan) milites 1500, Eleasar legit ex sacro libro; datur tessera : cum Dei auxilio; occiduntur super novem millia; ex praeda tribuitur orphanis et viduis; describitur turpis fuga Nicanoris, qui nunc praedicat Deum habere protectorem Iudaeos.

En quali diversitate idem eventus apud utrumque narratur. Auctor libri alterius in nulla re prodit a se cognosci priorem narrationem. Si eam cognosset, certe illud de ieiunio in Maspha, de Nasiraeis non omisisset, cum ubique magno studio pietatem efferat. Neque ulla eius deprehendi potest dependentia a cap. 5 prioris libri. Idem dicendum est de narratione tertiae expeditionis Lysiae cap. 13; effertur numerus diversus militum (1 Mach. 6,30 : peditum 100.000, equitum 20.000; 2 Mach. peditum 110.000, equitum 5.000, currus 300); 1 Mach. pugna facta pars exercitus hostilis ascendit in Ierusalem; ergo clare indicatur aliquam cladem esse Iudaeis inflictam; per dies multos fortiter oppugnatur locus sanctuarii, in civitate desunt escae; audito nuntio de Philippo suadet Lysias, ut pax concludatur. Sed 2 Mach. nihil tale refertur; noctu selecti iuvenes invadunt castra regis, occidunt 2.000 (4.000, vulg) apud Bethsuram rex « fugabatur, impingebat, minorabatur »; et 13,23 « commisit rex cum Iuda, superatus est », ἥττων ἐγένετο. opus est benigna interpretatione, ne in hoc libro prorsus contrarium narrari videatur; ἥττων ἐγένετο, quia propositum non attigit, verum propter rebellionem Philippi coactus est facere pacem et reverti. Neque agnosci potest dependentia 2 Mach. 15 a narratione 1 Mach. 7,26 seq. Nam si auctor legisset in priore libro 3.000 Iudaeorum applicuisse in Adarsa, profecto non scripsisset : « prostraverunt non minus 35.000 » sed addidisset explicationem quoque quae colligitur de tanto numero occisorum 1 Mach. 7,45. 46.

Unde puto auctorem libri secundi (seu Iasonem, ex quo ille epitomen confecit) non usum esse libro priore. Multo minus mihi persuadere possum eum voluisse illum librum impugnare. Et *Geiger* quidem invenit auctorem profiteri seu ostendere diffidentiam in Machabaeo et bellum gerere contra priorem librum. Eius rei primum indicium in eo reperit quod nulla fit mentio Mathathiae, eiusque studii pietatis et fidei. At quid vult auctor? epitomen dare libri Iasonis. Quid continebatur in libris Iasonis? hoc refert nobis auctor 2,19 τὰ δὲ κατὰ τὸν Ἰούδαν etc. i. e. Iason ea conscripsit quae Iudam spectabant. Ex modo quo de libris Iasonis refert, debemus concludere res a Mathathia ges-

tas non esse pluribus expositas. At, oggerit *Geiger*, solus Iudas celebratur; fratres eius oblivioni fere dantur. Commemorantur tamen cum honore tamquam duces 8,22; si milites aliqui Simonis 10,20 sacra auri fame seducuntur, inepte id explicat *Geiger*, ac si auctor consulto maculam aspergere vellet Simoni, et 14,17 auctor ipse sua narratione Simonem ab omni culpa immunem ostendit. Sed pauca tantum dicuntur de fratribus. Id verum est; habemus enim epitomen. Ceterum ubinam in prioris libri parte (cap. 3-7) multa de fratribus Iudae traduntur? narratur expeditio Simonis in Galilaea (5,20) et Ionathas cum Iuda expeditionem in Galaad suscipit (5,24), et Eleazar audax facinus committit (6,43); in nostro libro eius mentio fit 8,23; illa autem pugna, qua Eleazar obiit, in nostro libro tacetur (cap. 13). Aliquoties dicitur 1 Mach. *Iudas et fratres eius;* in 2 Mach. *Iudas et qui cum eo erant,* ubi certe fratres non excluduntur. Valde rationabiliter statuitur 1 Mach. 2,41 licere sabbato sese defendere, si hostes impetum faciant. Iam 2 Mach. 15,2 Iudaei student Nicanori persuadere, ne sabbato bellum Iudaeis moveat, sed ut honoret diem sanctum. Quo in loco cernit *Geiger* oppugnari et condemnari illud 1 Mach. 2,41. Verum ex loco et verbis μετὰ πάσης ἀσφαλείας solum sequitur Nicanorem id in mente habere, ut illos plane imparatos, utpote τῇ τῆς καταπαύσεως ἡμέρᾳ, secure aggrediatur. Neque aliud colligi merito potest ex verbis dissuadentium v. 2 μηδαμῶς οὕτως ἀγρίως καὶ βαρβάρως ἀπολέσῃς, nam subito irruere in imparatos et inermes eosque trucidare, certe est eos perdere ἀγρίως. Si auctor gessisset animum in librum priorem inimicum, vel si illud statutum putasset esse contra legem, sane non adeo occulte ac timide suam aperuisset sententiam is, qui ceteroquin gravissimis verbis transgressores legis et impios perstringit.

Alcimus Demetrio regi dicit : Assidaei quibus praeest Iudas bella nutriunt (2 Mach. 14,6), quibus verbis directe impugnari auctorem libri prioris ait *Geiger;* nam 1 Mach. 7,14 Assidaei confidunt Alcimo dicentes : homo sacerdos de semine Aaron, non decipiet nos. Utique imprudenter ei fidebant. Verum quamdiu? mox Alcimus ex eis comprehendit sexaginta viros et occidit eos in una die (7,16). Tali praemio fiduciae accepto num censendi sunt Assidaei relicto Iuda adhaesisse Alcimo? ita ut Alcimus verbis suis implicite neget quod 1 Mach. 7,14 narratur? Aliter rem considerat *Niese,* Alcimo ab auctore tribui accusationem quam falsam esse ipse auctor indicare voluerit ad notandam Alcimi impietatem (l. c. p. 25). Verum res satis et melius expeditur narratione 1 Mach. 7,16.

Neque video quo iure asseratur auctorem animum gerere inimicum in Machabaeos (*Kamphausen* p. 84). Cum prima vice Machabaeorum

mentionem faciat, statim aliquid laudis adiungit, « ne participes essent coinquinationis » (5,27). Ubique commendatur Iudae non solum fortitudo, sed summa eius pietas; omnia eum aggredi docemur Dei invocatione praemissa, precibus persolutis, quas suis quoque iniungit; reverentiam legis verbis et rebus gestis profitetur, eo auctore duo dies festi instituuntur (10,8; 15,36); viri de coelo apparentes duo Machabaeum medium habent eumque armis suis circumseptum incolumem servant (10,30); ei tribuitur visus coelestis (15,12-16); in quo ipse Ieremias ei dat gladium aureum : accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel; vocatur ὁ δὲ γενναῖος Ἰούδας, laudatur πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων (12,43) etc. Num in eiusmodi depingitur animus auctoris inimicus? nonne singulis istis potius maximae laudes Iudae Machabaeo tribuuntur? nulla legitur eius reprehensio.

3. *Quid auctor narratione spectaverit.*

Ex ipsa indole narrationis iam elucet curam studiumque auctoris reponi non tam in rebus gestis accurate perscribendis quam in doctrina et exhortatione tradenda. Id iam eo cernitur quod orationes quidem fusae ante pugnas accurate describuntur allatis titulis Dei causisque quibus spes ac fiducia innitatur, ipsum vero bellum gestum breviter absolvitur numero occisorum commemorato. Ita habes praeparationem ad pugnam per preces, lectionem legis 8,14-23; ipsa pugna paucissimis proponitur : facto sibi adiutore Omnipotente interfecerunt super novem millia hominum; similiter cf. 11,6-10; 13,10-12; 15,8-24. Saepius monet Israel esse populum a Deo electum, regi singulari Dei providentia; cf. 1,26; 5,19; 6,19; 14,15; 15,24; docet tribulationes quibus ab alienigenis premantur, infligi tamquam poenas ob legem violatam 4,17; 5,17; 7,32. 38; quare observatione legis vigente templum insigni miraculo esse protectum; profanatum vero ab ipsis sacerdotibus etiam traditum esse contumeliae aliorum; cf. 3,1. 24 seq. 4,13-17; 5,17. 18; 6,12-17; facta autem poenitentia Deum esse reconciliatum 8,5; 7,33. 37; populum affligi eo consilio Dei, ut redeat ad observantiam legis 6,13. 15; nunquam enim populum Dei iri derelictum 6,16; 8,36; 14,15; et qui ob religionem legisque custodiam morti tradantur, hos auctor docet solatio perfundi mediis in cruciatibus spe resurrectionis ad vitam 7,6. 9. 11. 14. 20. 23. 29. 36; hostes vero populi iusto Dei iudicio iri prostratum 3,39; 7,14. 17. 34-36: 9,5 seq. atque cogi quoque ut Dei potentiam confiteantur 3,36; 8,36; 9, 12 seq. Quam Dei potentiam Iudaeis orantibus manifestam omnibus fieri angelis de coelo missis ostenditur 10,29 seq. 11,8. Adversarios

vero iisdem puniri quibus antea peccassent iusto Dei iudicio exemplis et verbis explicite asseritur; ita Iason qui multos de patria sua expulerat, peregre periit et qui insepultos multos abiecerat, ipse et illamentatus et insepultus abiicitur (5,7-10) et Antiochus qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, diro viscerum dolore cruciatus est (9,5. 6) et Menelaus, qui multa erga aram Dei delicta commiserat, cuius ignis et cinis sanctus erat, iuste ipse in cineris morte damnatus est (13,8). Eadem poena talionis effertur in Nicanore (15, 32 seq.).

Hisce itaque satis demonstratur modum agendi Deum qui olim in libris sacris exhibitus erat etiam tempore recenti Machabaeorum eundem esse ac permansisse ratione habita populi et eius adversariorum. Verum praeter haec documenta generalia quibus admonentur ut in foedere ac lege Dei fideliter consistant, praeprimis effertur honor et gloria templi. Praemittuntur epistolae duae quibus ad dedicationem templi celebrandam invitantur; narratio de igne coelitus dato altare et cultum divinitus commendat et approbat; templum insigni miraculo a profanatione custoditur (cap. 3); a sacerdotibus despectum (4,14), ab alienigenis spoliatum (5,15) et profanatum (6,2-6) victoria a Deo concessa per pios legis defensores dedicatur purgatum et emundatum cultui Dei consecratur (10,1 seq.), ad quem cultum augendum et ad honorem templi declarandum duo festi dies instituuntur, quibus et restitutio templi grata memoria recolatur (10,8) et praeservatio a profanatione et vindicta Dei in sacrilegum devoluta celebretur (15,36. 37). Est quippe templum famosissimum in toto orbe (2,23), sanctissimum (5,15) quod reges et principes etiam exteri honorarunt et muneribus ditarunt (3,2; 9,16; 13,23), pro cuius incolumitate et sanctitate piis Iudaeis maximus erat atque primus timor et sollicitudo maior quam pro uxoribus et filiis (15,18). Diligenter notatur cur Deus profanationem templi permiserit (5,17-20) et quomodo templum protexerit, scelus in illud commissum vindicaverit (3,24 seq. 39; 9,16; 13, 8; 14,33; 15,32).

Quibus omnibus in aperto est auctorem voluisse reverentiam templi eiusque cultus omnibus commendare. Vera enim templi religione ac pietate constituta firmum habetur fulcrum unitatis et prosperitatis nationis iudaicae et pignus certissimum benedictionis divinae. Nam Dominus sanctificavit domum hanc, « ut ponerem nomen meum ibi et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus » (3 Reg. 9,3).

4. *De fide narrationis.*

Librum hunc omni fide narrationis destitui *Wellhausen* audacter asseruit (völlig unzuverlässig, Isr. und jüd. Geschichte p. 235). Librum esse dubiae fidei et minime ab erroribus immunem communis est sententia interpretum protestantium, dum catholici interpretes eius libri, utpote inspirati, fidem tuentur. Ante omnia advertendum est ipsum auctorem clare et aperte profiteri se epitomen fecisse ex maiore opere Iasonis (2,26 seq.); unde si quid minus accurate narratum est, non epitomatoris culpa est. Ceterum aequus rerum iudex cuncta quae contra fidem narrationis proferri solent haud operose dissolvet. Potissimum quod obiicitur iam refutavi demonstrans 11,1 seq. sermonem esse de altera expeditione Lysiae, quae 1 Mach. 4,35 innuatur; plura vide in Commentario. Dein advertunt narrationem de martyrio 6,18-7,42 esse exaggeratam et exornatam. Si id intelligitur de genere poenarum et cruciatuum, uti gratis asseritur exaggeratio, ita gratis negatur. Ipsa colloquia non ita ad verbum esse habita, per se patet; inducuntur ad animorum sensus demonstrandos et ad fidem eorum declarandam et commendandam. Regem non potuisse adesse asseritur quidem, at ipsa assertio non statim ut probatio accipienda erit. Neque enim habemus diurnos commentarios de itineribus ac vita Antiochi; unde nemo a priori dicere merito potest eum non potuisse interesse martyrio. Neque error latet 10,3 in biennio; nam auctor sumit exordium biennii non a templo polluto, sed ab initio principatus et rerum a Iuda gestarum. Id colligitur eo quod maior libri pars res Iudae complectitur et has perstringere auctor sibi proposuit (2,20-23). « Eae comprehenduntur spatio quinque annorum et octo circiter mensium. Earum autem rerum duae potissimum sunt atque omnium Iudae laudum quasi capita, sacrorum inquam instauratio, de qua est in hoc loco, et Nicanor eiusque exercitus ad internecionem trucidatus, quod ipsius Iudae postremum fuit. Haec ergo duo, utpote maxima et nobilissima inter Iudae gesta, quo tempore acciderint, scriptor indicandum esse censuit nota annorum, non Seleucidarum, sed quos Iudas exegerat in principatu » (cf. Patritius p. 256). Ceterum vide in Comment. ad 4,23; 10,3; 14,1.

Quae bella narrantur 1 Mach. 5, haec in altero libro commemorantur partim 10,14-38 partim 12,10 seq. alio itaque tempore neque una serie continua. Neque tamen ideo error habetur. Nam etiam 1 Mach. 5 non colligitur ea facta esse eodem tempore et una quasi serie non interrupta. Porro ex utriusque libri narratione constat plura

ab alterutro afferri quae ab alterutro non commemorentur; alia omitti, addi alia. Contendit *Gr.* plane falsa tradi de loco et genere mortis Antiochi. Sufficeret responsio auctorem profiteri se dare epitomen et accuratam rerum descriptionem relinquere Iasoni. At nequit ostendi eius narrationem esse erroneam.

Rem ita componit *Patritius* (p. 258) : « direptione urbis Persepolis intra aestatem aut primum autumnum (anno 166 ante Chr.) frustra tentata Antiochus per Mediam (2 Mach. 9,3) reversus est in Babyloniam (1 Mach. 6,4). In itinere, Ecbatanis cum substitisset nuntiatum ipsi est primo de Nicanore, deinde de Timotheo a Iuda devictis (2 Mach. 9,3), iraeque impotens ultimam Iudaeorum perniciem meditari coepit (2 Mach. 9,4). Post hiemem Babylone traductam bellum intulit Artaxiae regi Armeniorum, idque postremum ipsius gestorum fuit, nam, ut Appianus ait, αὐτὸν ἑλὼν ἐτελεύτησεν, ipsum Artaxiam cum cepisset, mortuus est (App. Syr. 46), tametsi non statim. Hoc bello confecto in Persidem reversus audivit primo de Lysiae clade fugaque, postque aliquot menses, cum venisset in eam Persidis regionem quae Paraetacene vocatur, nuntius ei affertur ut Iudaei templum Hierosolymae atque Bethsuram muris communissent (1 Mach. 6,5-7). Quo nuntio commotus statim iter aggreditur consilia in Iudaeos excogitata exsecuturus, sed a numine percussus moxque lapsus e curru morbo ingravescente subsistere coactus est ac decumbere (2 Mach. 9,4-10 et 1 Mach. 6,8) Tabis urbe Paraetacenes, ubi diu cum morbo conflictatus (1 Mach. 6,9), seraeque poenitentiae poenas luens (1 Mach. 6,10-13; 2 Mach. 9,11-27) cum Antiochum filium qui sibi in regnum succederet designasset, tandem diem vixit supremum ». Genus morbi accuratius describitur quam in priore libro; cum cuncta verbotenus dixisse quae cap. 9 habentur, nemo prudens assumit. Depingitur scil. homo scelerum sibi conscius et vindictae iusti numinis subiectus qui vehementissime exoptat liberari a cruciatu intolerabili ideoque summis votis et omni genere promissionum numen flectere et dolores avertere satagit.

Neque 9,29 affirmatur Philippum *statim post mortem* Antiochi in Aegyptum abiisse. Id iam elucet ex eo quod idem auctor 13,23 narrat. Ipse *Gr.* fatetur 13,2 servari memoriam de puerili aetate Eupatoris. Ergo non debuit asserere 10,11 auctorem nescire aetatem novem annorum Eupatoris. Ceterum edictum de regno capessendo et de Lysia constituendo super negotio regni proponi debuit nomine regis, etsi iste erat puer novem annorum. Insuper ex 11,1 et 14,2 etiam clare elucet auctorem bene nosse Eupatorem sub Lysia tutore esse constitutum. Contendit *Gr.* 14,1 asseri Demetrium cum multitudine valida

et navibus appulisse ad terram patrum suorum, id quod falsum sit (cf. 1 Mach. 7,1). At 14,1 enuntiatur eum ex portu Tripolis solvisse cum multitudine valida, διὰ τοῦ κατὰ Τρίπολιν λιμένος (vide Comment.). Neque 15,31. 35 affirmatur arcem iam eo tempore a Iudaeis esse occupatam; nam v. 31 οἱ ἐκ τῆς ἄκρας omnino distinguuntur a contribulibus i. e. a Iudaeis et v. 35 caput suspenditur ex muro arcis, ut Iudaei in urbe habitantes cernere possint; proin non intra arcem suspenditur caput, sed ex muro exteriore, ut in urbe caput conspiciatur.

Haec sunt quae communiter afferuntur ad fidem narrationis negandam. Praeterea epistolas esse confictas 11,16-38 contendunt. At nihil contra eas afferri potest quo id probetur. Ipse modus quo documenta illa confecta sunt nullatenus prodit falsarium, verum plane ad singulorum conditionem consentaneus est. Plura vide in Comment.

Ceterum bene advertendum est in hoc libro multa afferri particularia quibus accurata rerum notitia apparet, etiam complures nominari viros quorum alibi mentio non occurrit et qui tamen suas agunt partes in rebus gerendis. Compara v. g. quot iam res particulares exhibeantur in cap. 4 de Simone, Onia, Iasone, de sacerdotibus in palaestra ludentibus, de Apollonio, Antiocho, Menelao, Lysimacho, Sostrato, de seditione Tarsensium et Mallotarum, de Andronico, de Ptolemaeo, de Tyriis; item 5,5-11. 21 seq. 6,1 seq. 8,30 seq. de Timotheo, Bacchide, Callisthene; 10,12 seq. de Ptolemaeo qui dicitur Macer, 12,2-11. 33-44; et 13,4-8 de mortis genere Menelai; 14,3 de Alcimo; 14,37 seq. de Razia. Ad eventus qui in priore libro narrantur, hic alia quaedam et nova adduntur; cf. 8,10. 11. 30 seq. 9,19 seq. 10,3. 7. 12 seq. 32-38; 12,19. 21-25; 13,12-15. 24-26; 14,17. 20-30 etc.

Praeterea advertit *Niese* (l. c. p. 28), quam accurate notata et nominata reperiantur munera et tituli magistratuum; cf. 3,5 et 14,12 ἐλεφαντάρχης, 8,9 τῶν πρώτων φίλων, 9,29 σύντροφος, quae appellationes apud rerum scriptores et in monumentis et inscriptionibus eodem modo occurrant. Heliodorus dicitur ὁ ἐπὶ τῶν πραγμάτων (3,7), qui est titulus in aula regum seleucidarum datus summo magistratui et Heliodorum eum gessisse titulum etiam ostenditur inscriptione in eius honorem in Delo facta. Eodem modo tituli Lysiae 11,1 accurate et ad rei veritatem recensentur. Accurate refertur quis fuerit dux in arce, quis dux in Iudaea, in Samaria, in Coelesyria 4,27; 5,22 seq.; 8,8. Mirum, imo incredibile diutissime videbatur quod 6,7 affirmatur de die regis natali singulis mensibus celebrando; at quam vere ea quoque in re auctor sacer retulerit, recentiore tempore testimoniis inscriptionum repertum est (vide in Commentario ad 6,7).

Ex quibus satis patet librum hunc plane immerito a plerisque minus

aestimari, cum tamen tot res contineat quae fidem et scientiam epitomatoris seu Iasonis maxime comprobent. Id quod *Niese* sincere fassus est, qui errorem plerorumque interpretum protestantium relinquens sat multa fide digna narrari agnoscit.

5. *Quo tempore liber scriptus sit.*

De hac quaestione interpretes in partes maxime varias abeunt. Haec diversitas oritur ex variis opinionibus quas de epistolis praemissis, de fide narrationum, de dependentia a priore libro sibi quisque efformavit. Si quis enim epistolam priorem vel fictam putaverit, vel postea assutam libro, ille iam non uti permittet tempore illo epistolae assignato (188 sel. i. e. 125 ante Ch.) ad libri originem definiendam. Item qui omnem fere fidem libro abiudicaverit, eum quam longissime ab ipsis rebus gestis collocabit. Librum esse compositum vel Ioanne Hyrcano superstite vel non diu post eius mortem et certe ante annum 63 ante Chr., ante exstinctionem dynastiae Machabaeorum, scribit *Keil; Grimm* id solum certum esse censet librum esse scriptum ante destructionem urbis Ierusalem, ante annum 70 p. Ch.; alii Iasonem tempori Herodis attribuunt.

Quaestione de fide libri soluta, cum accuratam rerum cognitionem in libro exhiberi commemoratis multorum nominibus ac titulis sciamus, profecto nihil iam obstat, quominus librum integrum eo modo consideremus quo nobis traditus est. Epistolae sunt prooemium libri plane necessarium; nam fieri nequit ut initium libri sit 2,19 τὰ δὲ etc. Et tamquam prooemium prior epistola statim intelligitur mitti cum ipso libro, esse comitem libri. Nam quod epistola commendatur ἵνα ἄγητε τὰς ἡμέρας τῆς σκηνοπηγίας τοῦ χασελεῦ μηνός, id tota quoque libri narratione et praesertim decreto publico 10,8 et explicatur et sancitur. Ad quam sollemnitatem commendandam altera quoque epistola quam maxime spectat. Cum itaque prior epistola scripta sit anno 188 sel. i. e. 125 ante Ch., etiam librum hunc eo anno esse absolutum constat. Quam sententiam *Niese* quoque propugnat (Kritik der beiden Makkabäerbücher, Berlin 1900, p. 25).

Hoc autem prooemium nullo modo ab ipso libro separari posse facile demonstratur. Nam praeterea quod 2,19 τὰ δὲ non potest esse initium, etiam 2,32 clare indicatur hoc prooemium quod ante ipsam epitomatoris praefationem positum sit; ἐντεῦθεν οὖν ἀρξώμεθα τῆς διηγήσεως τοῖς προειρημένοις τοσοῦτον ἐπιζεύξαντες, hanc enim suam praefationem dicit se adiunxisse iis quae antea dicta sunt; quare ante 2,19 plura dicta esse debebant. Neque iure quis existimare poterit initium

libri olim fuisse a capite tertio. Repugnat statim iam ipsa phrasis τῆς ἁγίας τοίνυν πόλεως etc.; particula enim τοίνυν necessario indicat aliqua praecedere, sicut latinum igitur, itaque, proinde, inservit scil. transitionibus inchoativis, uti hic; alias est illativum conclusionis vel etiam collectivum (cf. Devarii liber, ed. Klotz I p. 208); nullo autem modo absolute sententiam incipit. Neque sufficit eam particulam delere (id quod arbitrarium est); nam epilogo 15,38. 39 certe alluditur ad id quod auctor dixerat 2,24 seq. Quare undequaque prooemium et praefatio in tuto collocatur. Et a primo iam libri teste quem habemus, a Clemente alexandrino, prooemium fuisse iunctum libro discimus: Ἀριστοβούλῳ, οὗ μέμνηται ὁ συνταξάμενος τὴν τῶν Μακκαβαϊκῶν ἐπιτομήν (1,10; Strom. V 14,97; cf. Euseb. Praep. ev. 8,9; vide ad 1,10). In codicibus et versionibus pariter prooemium et praefatio simul cum narratione exhibentur. Unde merito concluditur rationibus internis et externis librum ab initio ita esse editum.

Librum hunc esse epitomen ex quinque libris Iasonis affirmat qui epitomen se fecisse profitetur. Mirum sane est quod ipsum hoc epitomatoris de se testimonium a viro critico negatum sit. Contendit enim *Kosters* decipiendi causa auctorem librum suum vocare epitomen (Theol. Tijd. XII,1878,491 seq. cf. *Niese* l. c. p. 7) et non dubitat *Kamphausen* (Kautzsch, Apocr. p. 84) eam opinionem vocare probabilem. Sed nulla ratio excogitari potest, cur auctoris nomine repudiato partes epitomatoris ille voluerit profiteri. Num prae nimia modestia? Quam affert *Kosters*, ea ratio nullatenus subsistit, sc. omnia esse desumpta ex priore libro.

De Iasone nihil certi innotuit praeter ea quae 2,19 seq. leguntur. Quae ille quinque libris comprehendit, uno volumine epitomator exhibere vult, uti clare dicit 2,23 τὰ.. δεδηλωμένα διὰ πέντε βιβλίων, πειρασόμεθα δι' ἑνὸς συντάγματος ἐπιτεμεῖν. Unde victoria Iudae reportata de Nicanore opus Iasonis absolvebatur. Quare merito inferimus Iasonem opus suum circa idem tempus composuisse, cum ne de morte quidem Iudae mentionem faciat, i. e. mox post annum 162 ante Chr. Quis ille fuerit nescimus. Ex nomine Iason (quod a Iudaeo hellenista pro nomine hebraeo Iesus assumi solebat) aliqui inducti sunt, ut opinarentur eum esse illum Iasonem, filium Eleazari, qui a Iuda legatus Romam missus est. Ille legatus gnarus utique debuit esse linguae graecae; eum commentarios scripsisse quibus Romanis causam Iudaeorum exponeret ac commendaret, suspicari quis poterit (cf. *Cornely*, Introd. II, 1 n. 155).

Ex ratione et inquisitione temporis idem itaque nacti sumus, quod supra ex comparatione inter utrumque librum instituta eruimus,

librum hunc omnino non dependere a priore libro; imo nunc dicere licet nomen libri primi et libri secundi Machabaeorum usurpatum esse errore. Nam qui dicitur primus scriptus est post annum 105 ante Ch.; qui dicitur secundus in fonte, unde derivatus est, ascendit ad annum 162, ipse compositus iam erat anno 125 ante Chr.

6. *De lingua.*

Scribit S. Hieronymus : Machabaeorum primum librum hebraicum reperi. Secundus graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest (Prolog. gal.). Huic quidem sententiae omnes consentiunt, si de ipso libro eiusque narratione agitur. At non defuerunt qui epistolas praemissas (vel saltem unam ex eis) ex hebraeo ab epitomatore esse versas existimarint; ita *Berthold*, Einleitung III p. 1072; *Geiger*, Urschriften und Uebersetzungen, p. 227; *Grätz*, in Monatschrift f. Geschichte und Wissenschaft des Iudentums, 1877; *Brüll*, in Jahrbücher f. jüd. Geschichte und Literatur, 1887; *Torrey*, in Zeitschrift f. alttest. Wissenschaft 1900; *Ewald* saltem alteram vult esse versam (Geschichte des Volkes Israel IV, 3. ed. p. 610), dum *Schlünkes* id solum de priore postulat (Epistolae quae 2 M. legitur explicatio; cf. *Cornely*, Introd. II 1 2. ed. p. 457; *Herkenne*, Die Briefe zu Beginn des 2. Mach. p. 21; Bibl. Studien VIII p. 399).

Sed quod S. Hieronymus dicit, procul dubio de integro libro, etiam de epistolis praemissis intellexit. Atque ita plerique interpretes iudicant; cf. *Welte*, Einl. p. 32; *Scholz*, Einl. II p. 654; *Kaulen*, Einl. 3. ed. p. 275; *Grimm*, Handbuch zu den Apocryphen IV p. 24; *Keil*, Commentar p. 275, *Kamphausen*, in Apocryphen, ed. Kautzsch p. 85; *Cornely* l. c. *Herkenne* l. c. etc. Iam epistolae destinatae erant Iudaeis in Aegypto degentibus, quibus cum lingua hebraea vel aramaica minime esset familiaris, sane hebraeae epistolae mitti non poterant. Notum est Iudaeos alexandrinos indiguisse versione graeca librorum sacrorum, pariter constat Philonem eas proferre nominum hebraeorum interpretationes, quibus se linguae ignarum satis declarat. Praeterea ea est phrasis epistolarum, quae a phrasi libri haud multum discrepet, quae paucis, iisque alias quoque usitatis, hebraismis sit aspersa; unde nulla apparet ratio affirmandi pro epistolis originem hebraeam. Carent utique epistolae genere turgido, artificiose quaesito, fucato, quod haud raro in narratione deprehenditur; id quod plane consentaneum esse videtur, cum alterius epistolae auctor nullo modo ipse epitomator esse possit.

Graeca libri origo elucet ex paronomasiis; ἄγειν ἀγῶνα 4,18; παραδεχ-

θεὶς... εἰςεδέχθη 4,22; ὑποτοθεύσας, ὑποτοθευθείς 4,26; δεξιασθείς... δεξιάν 4,34; βελῶν βολάς 5,3; εὐημερίαν δυςημερίαν 5,6; ἀποξενώσας... ξένης 5,9; ἀγωγὴν ἄγειν 6,8; κρεμάσαντες.. ἐκρήμνισαν 6,10; εὐμένειαν εἰς δυςμένειαν 6,29; δυςφόρως ἔφερεν 14,28 etc.; elucet ex dictionibus, copia verborum eleganti; lege v. g. 3,28.30; 4,15.25.37.47; 5,13.20; 6,7; καλὸς καὶ ἀγαθός 15,12; κατάρχεσθαι χειρῶν ἀδίκων 4,40; ἐντυγχάνειν τῇ βίβλῳ 2,25; 6,12; 15,39. Pro simplici expressione haud raro eligere solet dictionem ornatam, arte quaesitam, turgidam; adhibet v. g. periphrasin ποιεῖσθαι τὴν ἀναζυγὴν 9,2, ἀπαίτησιν 4, 27 τὴν δικαιολογίαν 4, 44; τὸν ἱλασμόν 3,33; τὸν ἐξιλασμὸν 12,45; ἱκετείαν 8,29; τὴν λιτανείαν 3,20; τὴν κρίσιν 14,18, κοινολογίαν 14,22; τὸν διωγμὸν 12,23; κατασκευάσματα 12,43 etc. Lege v. g. 5,3 ἀσπίδων κινήσεις, χρυσῶν κόσμων ἐκλάμψεις καὶ παντοίους θωρακισμούς; 5,13 ἐγίνοντο ἀναιρέσεις ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν καὶ τέκνων ἀφανισμὸς, παρθένων τε καὶ νηπίων σφαγαὶ etc. generatim gaudet epitomator quadam prolixitate in describenda hostium superbia, in enumerandis populi urbisque calamitatibus, in piis orationibus referendis, quibus Dei misericordia imploratur vel militum animi ad certamen roborantur. Haud raro utitur verbis et dictionibus alias parum vel non usitatis: φιλοφρονεῖν εἰς τὸ, δυςπέτημα 5,20, προςαναλέγεσθαι 8,19; ὁπλολογεῖν 8,27.31; πολεμοτροφεῖν 10,14; 14,6; διάσταλσις 13,25; προςπυροῦν 14,11; πεφρενωμένος mente elatus 11,4; φυγαδεύειν τὸν Ἰούδαν, Iudam fugere, evitare; ἀνδρολογία 12,43 etc. Hebraismi reperiuntur pauci; contribules appellantur ἀδελφοί, quod legitur 8,15 διὰ τῆς ἐπ' αὐτοὺς ἐπικλήσεως τοῦ σεμνοῦ... ὀνόματος αὐτοῦ, est quasi terminus technicus in re religiosa; in aliis cernitur quandoque adoptatus usus apud LXX; v. g. ἐξομολογεῖσθαι τῷ κυρίῳ 8,27, σπέρμα proles, filius 7,17. Singularis est phrasis 14,24 εἶχε τὸν Ἰούδαν ἐν προςώπῳ familiariter eum habuit.

7. *De textu et versionibus.*

De codicibus idem valet quod iam supra in priore libro adnotatum est; solum deest pro textu huius libri ex uncialibus codex sinaiticus. Versio latina vulgata satis presse sequitur textum graecum. Aliam latinam versionem vel versionis antiquae recensionem edidit *Ceriani* (Monumenta sacra et profana, I fasc. 3) qui textus etiam arctius graeco adhaeret et graecas dictiones magis retinuit (v. g. 1,22 pyra; 2,10 holocaustomata; cf. *Herkenne* l. c. p. 14). Alia quaedam ex codicibus latinis edidit *Berger,* Notice sur quelques textes latins inédits de l'Ancien Testament, Paris 1893 (cf. *Herkenne* l. c.). Altera textus recensio reperiri dicitur in codice quodam Matriti qui asservatur, nondum ta-

men in lucem est editus (cf. *Berger*, Notices et extraits p. 148; *Kamphausen* in Apokryphen, ed. Kautzsch p. 85).

Versio syra edita est a *de Lagarde* (Libri vet. test. apocryphi, Lipsiae 1861) et a *Ceriani* (Translatio syra ex codice Ambrosiano saec. VI photolithographice edita, Mediolani 1876-1883). De qua versione fere valent quae de versione libri primi notata sunt, unum si excipias; nam dici nequit eam satis fideliter textum graecum sequi. Ubi enim textus est verbosior, saepe ieiuno quodam modo sensus redditur; saepe non tam versio quam paraphrasis quaedam exhibetur. En aliqua exempla eius versionis : 1,10 seniores Iudaeae (omittitur Iudas); 1,18 dicemus vobis etiam de igne; duo adhiberi verba pro uno graeco, etiam frequenter usuvenit, v. g. 1,26 pars et hereditas, 1,31 sacrificia et oblationes; ut ponerent et circumdarent locum lapidibus magnis; 2,6 ut scirent viam et locum; 2,10 Salomon quoque oravit et descendit ignis et consumpsit sacrificia et holocausta; 2,11 hircus pro peccato non manducabatur, manducavit eum ignis; 2,21 omnes gentes regionum illarum quae in audacia et ira venerunt super eos persecuti sunt et disperserunt; 2,25 explicatur ψυχαγωγία ut admoneamus animas eorum (legentium) in firmitate; ponuntur 2,26 tria verba : in fatigatione, labore, defatigatione; retinetur 3,10 verbum graecum παραθήκας; explicatur εἰς τὸν οὐρανὸν ad habitatorem coeli 3,20; 7, 11; 4,6 ἄνευ βασιλικῆς προνοίας exponitur de Dei misericordia et Dei auxilio et de ope coelesti; 4,9 declaratur ἐφηβεῖον, ut erigat agonem pugnae quem dimicant in stadio, et ad gymnasium apponitur : secundum legem gentium. Et 5,6 ita redditur : Iason autem occidit filios urbis suae, nec vidit neque intellexit impius, gaudium suum tristitiam efficere filiis populi sui et tribus suae, v. 7 et quando haec omnia fecit, principatum non potuit consequi, sed finis eius erat in ignominia.

Ut specimen generis interpretationis etiam inservire potest 6,28 : et iunioribus relinquam exemplum fortitudinis et roboris et dabo illis confortationem, ut cum gaudio tradant se cruciatibus et tormentis et morti propter legem puram et sanctam et eximiam, et cum haec dixisset, statim ducebant et venire fecerunt eum ad tormenta et cruciatus; graece autem : τοῖς δὲ νέοις ὑπόδειγμα γενναῖον καταλελοιπὼς εἰς τὸ προθύμως καὶ γεννοίως ὑπὲρ τῶν σεμνῶν καὶ ἁγίων νόμων ἀπευθανατίζειν· τοσαῦτα δὲ εἰπὼν ἐπὶ τὸ τύμπανον εὐθέως ἦλθε. Quandoque oratio ponitur directa pro indirecta graece 7,26; 9,14; 13,13. Quomodo interpres sensum exprimat, minime sollicitus de versione accurata, exemplum habetur 10,28 et graece quidem legitur : ἄρτι δὲ τῆς ἀνατολῆς διαχεομένης προσέβαλον ἑκάτεροι, οἱ μὲν ἔγγυον ἔχοντες εὐημερίας καὶ νίκης μετ' ἀρετῆς τὴν ἐπὶ τὸν Κύριον καταφυγήν, οἱ δὲ καθηγεμόνα τῶν ἀγώνων ταττόμενοι τὸν θυμόν — syre vero :

quando ascendit dies et refulsit sol, inceperunt duae partes pugnare; hi quidem confidebant in Domino Deo, qui fecit eis victoriam et redemptionem, et illi in ducibus exercitus sui. Quandoque sensum non est assecutus; perperam v. g. vertit 11,3 sacerdotium solvet et abolebit πρατὴν τὴν ἀρχιερωσύνην κατ' ἔτος ποιήσειν et eiusmodi plura.

Inde iam satis manifestum est versionem hanc in quaestionibus criticis haud multum utilitatis nobis afferre ad textus formam genuinam inveniendam.

8. *De divisione libri.*

Introductionis loco praemittuntur duae epistolae, quarum prior est quasi prooemium ad ipsum librum eiusque transmittendi comes, altera intime cohaeret cum consilio quod auctor libro suo prosequitur; demum altero prooemio auctor nos certos reddit de re quam tractaturus est, de suo fonte et de modo scribendi (1,1-2,33). In parte priore enarrantur varii eventus et certamina usque ad purificationem templi (3,1-10,9); in altera, quae gesta sint a Machabaeis sub Antiocho Eupatore (10,10-15,39).

INTRODUCTIO 1,1-2,33.

1. *Epistola prior* 1,1-10[a].

1,1. *Fratribus qui sunt per Aegyptum Iudaeis salutem dicunt fratres qui sunt in Ierosolymis Iudaei et qui in regione Iudaeae et pacem bonam.* 2. *Benefaciat vobis Deus et meminerit testamenti sui quod locutus est ad Abraham et Isaac et Iacob, servorum suorum fidelium;* 3. *et det vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis eius voluntatem corde magno et animo volenti;* 4. *adaperiat cor vestrum in lege sua et in praeceptis suis et faciat pacem;* 5. *exaudiat orationes vestras et reconcilietur vobis nec vos deserat in tempore malo.* 6. *Et nunc hic sumus orantes pro vobis.*

7. *Regnante Demetrio anno centesimo sexagesimo nono nos Iudaei scripsimus vobis in tribulatione et impetu qui supervenit nobis in istis annis, ex quo recessit Iason a sancta terra et a regno.* 8. *Portam succenderunt et effuderunt sanguinem innocentem; et oravimus ad Dominum et exauditi sumus et obtulimus sacrificium et similaginem et accendimus lucernas et proposuimus panes.*

9. *Et nunc frequentate dies scenopegiae mensis Casleu.* 10. *Anno centesimo octogesimo octavo.*

1,1. Τοῖς ἀδελφοῖς τοῖς κατ' Αἴγυπτον Ἰουδαίοις χαίρειν, οἱ ἀδελφοὶ οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις Ἰουδαῖοι καὶ οἱ ἐν τῇ χώρᾳ τῆς Ἰουδαίας εἰρήνην ἀγαθήν.

2. Καὶ ἀγαθοποιήσαι ὑμῖν ὁ Θεὸς καὶ μνησθείη τῆς διαθήκης αὐτοῦ τῆς πρὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ τῶν δούλων αὐτοῦ τῶν πιστῶν· 3. καὶ δώῃ ὑμῖν καρδίαν πᾶσιν εἰς τὸ σέβεσθαι αὐτὸν καὶ ποιεῖν αὐτοῦ τὰ θελήματα καρδίᾳ μεγάλῃ καὶ ψυχῇ βουλομένῃ· 4. καὶ διανοίξαι τὴν καρδίαν ὑμῶν ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ καὶ ἐν τοῖς προστάγμασι, καὶ εἰρήνην ποιήσαι· 5. καὶ ἐπακούσαι ὑμῶν τῶν δεήσεων καὶ καταλλαγείη ὑμῖν καὶ μὴ ὑμᾶς ἐγκαταλίποι ἐν καιρῷ πονηρῷ. 6. Καὶ νῦν ὧδέ ἐσμεν προσευχόμενοι περὶ ὑμῶν.

7. Βασιλεύοντος Δημητρίου ἔτους ἑκατοστοῦ ἑξηκοστοῦ ἐννάτου ἡμεῖς οἱ Ἰουδαῖοι γεγραφήκαμεν ὑμῖν ἐν τῇ θλίψει καὶ ἐν τῇ ἀκμῇ τῇ ἐπελθούσῃ ἡμῖν ἐν τοῖς ἔτεσι τούτοις ἀφ' οὗ ἀπέστη Ἰάσων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ἁγίας γῆς καὶ τῆς βασιλείας. 8. Καὶ ἐνεπύρισαν τὸν πυλῶνα καὶ ἐξέχεαν αἷμα ἀθῶον· καὶ ἐδεήθημεν τοῦ Κυρίου καὶ εἰσηκούσθημεν καὶ προσηνέγκαμεν θυσίαν καὶ σεμίδαλιν καὶ ἐξήψαμεν τοὺς λύχνους καὶ προσεθήκαμεν τοὺς ἄρτους.

9. Καὶ νῦν ἵνα ἄγητε τὰς ἡμέρας τῆς σκηνοπηγίας τοῦ Χασελεῦ μηνός. 10. Ἔτους ἑκατοστοῦ ὀγδοηκοστοῦ καὶ ὀγδόου.

Cum longe pluribus interpretibus existimandum est 1,1-10 a esse unam epistolam. Nam non desunt qui contendant 1,1-2,18 unam constitui epistolam; insuper secundum alios iam in 1,1-10 a agnoscendae essent duae epistolae scil. 1,1-7 a et 1,7 b 10-a. Priorem opinionem de una epistola (1,1-2,18) tenent *Herzfeld, Grätz, Brüll, Niese* (cf. *Herkenne*, Die Briefe zu Beginn des 2. Makkabäerbuches, Freiburg i. Br. 1904; p. 19; Biblische Studien 8,4 p. 397). Verum

transmissis aliis admitti nequit in una epistola duas poni inscriptiones ac salutationes; nam 10 b iterum legitur ea formula qua epistolae inscribi solent, neutiquam autem continuari. Priorem nostram epistolam in duas discerpunt *Bruston, Wilbrich;* unam scil. ex anno 169 sel. v. 7 a; alteram ex anno 148 sel. 10 a (secundum lectionem in 55. 62); verum rationes discerpendi plane esse insufficientes ostendit *Herkenne* l. c.

In textu graeco tradito leguntur in v. 1 duae formulae salutationis incompletae, cum in priore non nominentur salutantes, in altera autem taceantur salutati; in vulg. lectione *et* pacem bonam una effertur formula; item S : fratres Iudaei qui sunt in Ierusalem et in terra Iudaeae fratribus Iudaeis qui sunt in Aegypto salutem (pacem שלם); pax et prosperitas (sit) vobiscum. In hac formula syra etiam mos servatur consuetus, quo qui mittunt epistolam priore loco nominantur, id quod in altera epistola v. 10 b etiam observatur; κατ' Αἴγυπτον per Aegyptum, scil. longe lateque qui sunt dispersi; pacem adprecantur *bonam*, plenam ac perfectam prosperitatem. In v. 2-6 sequuntur preces sollemnes quas in testimonium fraternitatis et amicitiae pro illis persolvunt atque iis perscribunt. Adprecantur illis benevolentiam ac beneficia Dei, quae ultimatim speranda esse et repetenda dicuntur ex foedere Dei cum patriarchis inito; quod iniit cum iis tamquam cum servis fidelibus, τῶν δούλων *servorum fidelium* (cf. 1 Mach. 2,52), est anacoluthon, vel refer ad meminerit, vel, ut alii malunt, explica ex dictione frequenti τῆς διαθήκης τῶν πατέρων ἡμῶν (1 Mach. 2,20. 50; 4,10; LXX Mal. 2,10).

In dictione *servorum fidelium* iam indicatur quid requiratur ad Dei foederisque beneficia acquirenda; quare imploratur Deus, ut ad id largiatur gratiam copiosam v. 3; τὰ θελήματα quae scil. in variis praeceptis ac mandatis exprimuntur, ut ea exsequantur animis firmis ac promptis, libenter; hilarem enim datorem diligit Deus. Ad id autem opus est, ut Deus veram eis tribuat intelligentiam legis v. 4; *in lege* in eis quae ad legem bene intelligendam spectant; item ut praeceptorum utilitatem, necessitatem accurate percipiant, *faciat pacem*, observatione legis enim promissa est pax, prosperitas; quem fructum itaque exoptant et efflagitant, postquam de observatione legis mentio facta est. Istius pacis fructus et effectus ex parte Dei ulterius commemorantur v. 5 exauditio precum, Dei favor, benignitas, venia de peccatis concessa, auxilium et consolatio in *tempore malo*, in rebus adversis; dictio haec est valde generalis (cf. Ps. 36,19. Eccl. 9,12 etc.); quare ex ea immerito concludit *Bruston,* epistolam hanc non posse esse scriptam anno 188 sel. i. e. 124 ante Ch. quo tempore scil. Pto-

lemaeus Euergetes II Physcon, rex Aegypti, benigne se habuisset in Iudaeos; verum epistolam debere pertinere ad tempus circa annum 169 sel. i. e. 143 ante Ch. ad tempus persecutionis. Sed *in tempore malo* non potest ita urgeri; si de oppressione et persecutione Iudaei loquuntur, gravioribus utuntur verbis; opem in rebus adversis possumus unicuique omni tempore adprecari. Ideo v. 6 *et nunc* i. e. secundum nostra pro vobis optata et desideria *hic* in Ierusalem pro vobis *sumus orantes,* saepe, ex longo iam tempore, et continuabimus.

Dein v. 7 referunt se iam anno 169 i. e. 143 ante Ch. litteras dedisse *regnante Demetrio* II qui Nicator, Nicanor cognominatur; γεγραφήκαμεν ipsa hac forma indicatur prisca quaedam epistola, non ea quam nunc scribunt (ἐγράψαμεν alias requireretur); Demetrius rex factus est post mortem Alexandri et Ptolemaei Philometoris anno 167 sel. cf. 1 Mach. 11,15-19; *in tribulatione et impetu,* ex qua versione *Herkenne* coniectat pro ἀκμῇ legendum esse ἀλκῇ (bello); illud ἀκμῇ exponunt: in summa, vel extrema necessitate. Quae tribulatio iis contigit ex tempore quo Iason sacerdotium pecunia sibi acquisivit et mores gentilium introduxit (cf. 2 Mach. 4,7 seq.), quem impium agendi modum apostasiam (ἀπέστη) nominant *a sancta terra,* Iudaea, quae est terra populi Dei electi, hereditatis Domini (cf. 1 Reg, 26,19; 2 Reg. 14,16; 21,3. Ps. 32,12; 46,5 etc.) et *a regno* scil. Dei, a theocratia; ipse prodidit sacra instituta. De tribulatione a Demetrio inflicta mentio quoque fit 1 Mach. 11,53: vexabat eum valde. Immerito explicat *Bruston* ἀπέστη de fuga in Ammanitem (4,26; 5,7); obstat ἀπὸ; neque fuga impii Iasonis initium erat tribulationis piorum; neque quidquam legitur de fuga asseclarum impietatis eius οἱ μετ' αὐτοῦ (gr, S).

Ex serie tribulationum commemorant v. 8 ea quae sub Antiocho Epiphane experti erant; πυλῶνα explica de portis templi 1 Mach. 4,38; 2 Mach. 8,33; effuderunt sanguinem 1 Mach. 1,39; in rebus adversis Dominum deprecati sunt et sanctuarium iterum restituere potuerunt; cf. 1 Mach. 4,50-53; similago, σεμίδαλις, simila, flos farinae triticeae; θυσία sacrificium cruentum; σεμίδαλις sacrificium incruentum? fertum? tamquam pars pro toto? sed secundum *Hatch* (Concordance to LXX) pro hebr. מנחה nunquam legitur apud LXX σεμίδαλις.

In epistola illa 169 sel. scripta Iudaei persecutionem Antiochi et restitutionem cultus exposuerant, uti ex hoc quoque loco v. 7. 8 patet. Haec Iudaeis in Aegypto degentibus non prima vice esse nuntiata aut innotuisse, elucet ex altera epistola v. 10 seq.; occasione enim rumoris de morte Antiochi invitantur ad festum dedicationis templi celebrandum. Cur in epistola 169 sel. data iterum eiusdem eventus mentionem faciant, ratio erit eadem, scil. invitatio ad festum dedicationis

templi celebrandum. Ea enim occasione paucis in memoriam revocari originem festi plane decuit; quomodo enim rite perageretur celebratio festi, si eius causa et origo nesciretur? Alia quoque affertur ratio. Circa illud tempus (150 ante Ch.) templum in Aegypto, templum leontopolitanum erat aedificatum (cf. Iosephus Ant. 12,9,7 et 13,3,1-3); unde quam maxime consultum erat, ne studium languesceret adeundi templum hierosolymitanum, illa in memoriam reducere (cf. Herkenne).

Haec eadem etiam Iudaeis aegyptiacis nunc dicunt et scribunt v. 9 ut eos ad idem festum celebrandum invitent; καὶ νῦν ἵνα... et nunc scripsimus vobis, ut agatis dies scenopegiae i. e. festum dedicationis templi quod per dies octo in modum festi scenopegiae seu tabernaculorum celebrabatur (10,6), unde vocatur scenopegia mensis Casleu (1 Mach. 4,59) et distinguitur a scenopegia mensis Tisri. Et haec invitatio facta est 10 a anno 188 sel. i. e. 124 ante Ch. Designationem temporis spectare ad hanc epistolam hodie communiter agnoscitur et confirmatur ex eo quod in epistolis aliis designatio temporis constanter in fine epistolae legitur; cf. 11,21. 33. 38.

2. *Altera Epistola* 1,10-2,19.

a) *Aguntur gratiae de salute concessa* 1,10-17.

1,10. *Populus qui est Ierosolymis et in Iudaea senatusque et Iudas Aristobolo magistro Ptolemaei regis qui est de genere christorum sacerdotum et his qui in Aegypto sunt Iudaeis salutem et sanitatem.* 11. *De magnis periculis a Deo liberati magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus.* 12. *Ipse enim ebullire fecit de Perside eos qui pugnaverunt contra nos et sanctam civitatem.* 13. *Nam cum in Perside esset dux ipse et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneae, consilio deceptus sacerdotum Naneae.* 14. *Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus et amici eius, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine;* 15. *cumque proposuissent eas sacerdotes Naneae, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum;* 16. *cum intrasset Antiochus, apertoque occulto*

1,10. Οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ ἡ γερουσία καὶ Ἰούδας Ἀριστοβούλῳ διδασκάλῳ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως, ὄντι δὲ ἀπὸ τοῦ τῶν χριστῶν ἱερέων γένους, καὶ τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ Ἰουδαίοις χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν.

11. Ἐκ μεγάλων κινδύνων ὑπὸ τοῦ Θεοῦ σεσωσμένοι μεγάλως εὐχαριστοῦμεν αὐτῷ ὡς ἂν πρὸς βασιλέα παρατασσόμενοι. 12. Αὐτὸς γὰρ ἐξέβρασε τοὺς παραταξαμένους ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει. 13. Εἰς τὴν Περσίδα γενόμενος γὰρ ὁ ἡγεμὼν καὶ ἡ περὶ αὐτὸν ἀνυπόστατος δοκοῦσα εἶναι δύναμις, κατεκόπησαν ἐν τῷ τῆς Ναναίας ἱερῷ, παραλογισμῷ χρησαμένων τῶν περὶ τὴν Ναναίαν ἱερέων. 14. Ὡς γὰρ συνοικήσων αὐτῇ παρεγένετο εἰς τὸν τόπον ὅ τε Ἀντίοχος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ φίλοι χάριν τοῦ λαβεῖν τὰ χρήματα πλείονα εἰς φερνῆς λόγον· 15. καὶ προθέντων αὐτὰ τῶν ἱερέων τοῦ Ναναίου, κἀκείνου προελθόντος μετ' ὀλίγων εἰς τὸν περίβολον τοῦ τεμένους, συγκλείσαντες τὸ ἱερόν, ὡς εἰσῆλθεν Ἀντίοχος, 16. ἀνοίξαντες

aditu templi mittentes lapides percusserunt ducem et eos qui cum eo erant et diviserunt membratim et capitibus amputatis foras proiecerunt.

17. *Per omnia benedictus Deus qui tradidit impios.*

τὴν τοῦ φατνώματος κρυπτὴν θύραν βάλλοντες πέτρους συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα, καὶ μέλη ποιήσαντες καὶ τὰς κεφαλὰς ἀφελόντες τοῖς ἔξω παρέρριψαν.

17. Κατὰ πάντα εὐλογητὸς ἡμῶν ὁ Θεὸς ὃς ἔδωκε τοὺς ἀσεβήσαντας.

Haec altera epistola, quamvis sine determinato anno proponatur, tamen ipsa iam inscriptione et re narrata certo tempori attribuitur. Nominatur enim in inscriptione Aristobulus magister Ptolemaei. Eum esse notum illum philosophum peripateticum Aristobulum, qui sub Ptolemaeo Philometore (180-146 ante Ch.) in Aegypto vixit et eidem regi explicationem allegoricam Pentateuchi dedicavit communiter assumitur; Clemens alex. eum Philometori librum obtulisse scribit : Ἀριστόβουλος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς τὸν Φιλομήτορα Strom. 1,22,150; idem apud Euseb. Praep. ev. 9,6; Euseb. Chron. ad Olymp. 151, ed. Schoene 2,124 seq. textus eius legitur in Chronico pasch. (ed. Dindorf 1,337) : Ἀρ. Ἰουδαῖος περιπατητικὸς φιλόσοφος ἐγνωρίζετο, ὃς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλομήτορι ἐξηγήσεις τῆς Μωυσέως γραφῆς ἀνέθηκεν. Quem Aristobulum Clemens (Strom. 5,14,97) et Eusebius (Praep. evang. 8,9) eum esse dicunt qui in nostra epistola nominatur (cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes in Zeitalter I. Ch. 3. ed. III p. 384 seq.). Eundem Aristobulum agnoscunt *Gr. K. Ks. Herkenne*, *Fillion*, alii.

Quae narrantur de Antiocho ea sunt quae ad Antiochum Epiphanem quam maxime conveniant, dummodo concedas Iudaeis primo de ipso mortis eius genere falsum esse rumorem allatum. Hoc supposito omnia unice ad eum referri possunt. Ille enim oppressit Iudaeos, pugnavit contra sanctam civitatem; ille templum spoliare aggressus est (cf. 1 Mach. 1,22 seq. 6,1-4). Qui negant agi de Antiocho Epiphane, vel Antiochum III, cognomento Magnum, vel Antiochum VII Sideten intelligendum esse censent. Illum praeferunt Dionysius Carth. Melchior Canus, Niebuhr; hunc plures : Serarius, Lap. Frölich, Khell, Scholz, Patritius, Torrey, Niese (apud *Herk.*).

Antiochus III quidem, ut Diodorus sic. narrat (29,15), Beli templum in Elymaide expilavit et brevi meritas diis poenas dedit (cf. 28,3); idem Iustinus 32,2; Strabo 16,744. Verum de eo sermo hic esse nequit; nam ipse non oppressit Iudaeos, sed testimonium perhibuit Iudaeis quam praeclare de ipso meriti essent simul significans litteris scriptis quae munera illis vicissim dare decreverat (cf. Iosephus, Ant. 12,3,3). Insuper in nostra epistola v. 18 iam commemoratur celebratio festi dedicationis templi, quae sollemnitas instituta est a Iuda anno 148 sel., at Antiochus III iam 126 sel. diem obierat; ergo eius

mors certe non post annum 148 sel. Iudaeis in Aegypto degentibus tamquam eventus recens narrari potuit (cf. v. 11. 12).

Quid de Antiocho VII, fratre iuniore Demetrii II? Hic regnavit 174-183 sel. 138-129 ante Ch. De eo nihil refertur, quod narrationi v. 13-16 occasionem vel ansam dare potuit; nam Appianus scribit : Antiochus cum Parthis proelio congressus et victus, seipsum occidit (ἑαυτὸν ἔκτεινεν, Syr. 68); eum in bello cum Parthis periisse (Iosephus, Ant. 13,8, 4. Iustinus 38,10) plerique scribunt (cf. *Herk.*; ita Orosius, Iulius Obsequens, Eusebius Chron.); praecipitio obiisse Aelianus scribit (natura animalium 10,34). Nullibi quidquam vestigii seu indicii reperitur eum obiisse in exspoliatione templi. Quod Torrey dicit (Zeitschrift für alttest. Wissenschaft 1900 p. 231) : Iudaeos talia opinatos esse a probabilitate non abhorrere; etiam Antiochum III simili modo periisse, unde idem facillime etiam de Antiocho VII potuisse assumi; vel narrationem de Antiocho Magno et Epiphane ad eum esse translatam, id certe rem non evincit, cum meris coniecturis sine ullo fundamento historico procedatur. Et si Torrey cum aliis designationem temporis in v. 10 anno 188 ad hanc epistolam spectare vult, ipsum hoc tempus quoque contra illam opinionem militat. Nam Antiochus iam anno 183 sel. e vita excessit. Ceterum iam monui tempus adscribi in fine epistolae solere, non initio ante ipsam inscriptionem.

Demum cur in inscriptione legatur Iudas, ex dictis iam per se explicatur. Est Iudas Machabaeus, heros ille insignis, Iudaeis notus et in maximo honore habitus, qui solo nomine satis innotescit et simul cum γερουσίᾳ singulari modo efferendus erat, quippe qui festum dedicationis instituit hostibus devictis et restitutione sanctuarii facta (1 Mach. 4,36-61) et qui princeps erat et dux populi. Cur itaque Iudas Machabaeus nominetur, ratio gravissima habetur. At nihil afferri potest, cur explicita fiat mentio Iudae cuiusdam, quem Iosephus nominat Ἰούδαν τινὰ, Ἐσσηνὸν τὸ γένος, qui vates habebatur veridicus (Ant. 13,11,2. Bell. 1,3,5) — hunc intelligi volunt Serarius, Lap. Calm. — neque opus est cum Grätz mutato textu scribere Ἰούδᾳ Ἀριστοβούλῳ, ut Aristobulos, filius Ioannis Hyrcani, designetur cui cognomen Iudae erat (Ant. 20,10,1), de quo iam Sanchez cogitavit. Verum ad alium Iudam quaerendum solum inducti sunt, quia annum 188 ad hanc epistolam pertinere existimarunt. Quo errore dimisso omnis porro difficultas et obscuritas est dimissa.

Quo tempore haec epistola scripta sit, ex ipsa epistola haud operose eruitur. Duo enim clare exhibentur. Unum est mortuo Antiocho Epiphane, cum tamen de vero mortis genere certus nuntius nondum communiter haberetur, sed rumor esset sparsus eum in ipsa templi

spoliatione esse occisum. Alterum est v. 18 invitari Iudaeos Aegyptios ad diem anniversariam dedicationis templi celebrandam. Dedicatio templi facta est die 25 mense Casleu 148 sel.; dies itaque anniversaria est eodem die et mense 149 sel. 150 etc.; Antiochus diem obiit anno 149 sel.; itaque epistola attribuitur anno 149 vel 150 sel.

Senatus v. 10 γερουσία, cf. 1 Mach. 12,6; alias nominantur seniores et sacerdotes, vel etiam soli seniores πρεσβύτεροι (cf. 1 Mach. 12,35; 13,36; 14,20); postea similis conventus nomine synedrii habetur. Uni Iudae, principi et duci, convenit, ut singulari ratione nominetur. Dirigitur epistola praeprimis ad Aristobulum *magistrum* Ptolemaei, ob allegoricam explicationem Pentateuchi ei dedicatam? vel potius consiliarius erat Philometoris et ab eo magni aestimatus. Fragmenta libri eius nobis servarunt Clemens alex. (Strom. 1,15,72; 1,22,150; 5,14,97; 6,3,32), Eusebius (Hist. eccl. 7,32,16-19; Praep. evang. 7,14; 8,10; 13,12; cf. *Schürer* l. c. p. 385). Aristobulus erat ex genere unctorum sacerdotum i. e. ex genere pontificali; nam solus summus sacerdos dicitur sacerdos unctus (Lev. 4,3. 5. 16 hebr), isque solus unctione ad munus obeundum consecrabatur (*Gr. K. Herk.*). Ipse itaque et genere et sapientiae laude et gratia dignitateque qua apud regem fruebatur praeprimis idoneus erat, cui res iudaicae commendarentur, utpote qui apud Iudaeos quoque maxima pollebat auctoritate. Apud S non legitur Iudas, sed : omnes seniores Iudaeae.

Agunt Deo magnificas gratias v. 11, quia a magnis periculis liberati sunt; istam liberationem esse recenti tempore iis concessam et quidem morte regis oppressoris, ipsis verbis clare indicatur, ὡς ἂν παρατασσόμενοι i. e. sicut decet eos qui contra regem dimicant; vel sicut fere gratias agunt qui contra regem dimicant; de usu ac notione ὡς ἂν cum participio valet haec norma, ut ad plenam sententiam habendam aut idem verbum, quod in primaria enuntiatione est, aut simile repetendum sit (cf. Devarii liber, ed. Klotz II p. 767). Unde ex magnitudine periculi et laboris pugnae contra regem aiunt dimetiendam esse magnitudinem actionis gratiarum de liberatione. S ita v. 11 habet : multum et valde gratias agimus nos Deo qui opitulatus est nobis et liberavit nos ab omnibus angustiis quae venerunt super nos. Cum Herkenne dicendum est melius cum Burston scribi παρατασσομένῳ (cf. Zeitschrift für alttest. Wissenschaft 1890 p. 115), scil. gratias agimus Deo sicut par et consentaneum est ei qui contra regem pugnat gratias agere. Et Deum contra regem dimicasse statim effertur cum emphasi v. 12 αὐτὸς γὰρ *ipse enim ebullire fecit* ἐξέβρασε vi eiecit eos qui copias instruxerunt in urbe sancta, vel secundum hebr ב contra urbem sanctam. Sed cum milites Antiochi in ipsa urbe plagam ma-

gnam ediderunt multosque occiderunt (1 Mach. 1,32), minime opus est in epistola graece scripta ad hebraismum recurrere. Quomodo a Deo cum vi et ignominia eiecti sint hostes qui in urbe sancta furorem bellicum exercuerant, narratur v. 13 seq.; scil. ille ipse rex, auctor caedium illarum in urbe sancta, cum amicis suis periit.

Rege, duce exercitus, interempto maxima clades ipsi exercitui est inflicta; unde in v. 13 graece κατεκόπησαν concisi sunt, quamvis solum pauci cum rege in templum ingressi et percussi sint; et duce occiso ipse exercitus cessavit videri is, cui resistere nemo possit ἀνυπόστατος. Nanea est Nana, dea apud Babylonios fertilitatis et generationis; in cuneiformibus legitur Na na a, et Na na nai (cf. *Schrader*, Keilschriften und A. T. 1883 p. 457); legitur Ναναι quoque in inscriptione graeca in Piraeo : Ἀρτέμιδι Νάνα εὐξάμενοι ἀνέθηκαν (*Herk.*). Quali dolo vel stratagemate usi sint sacerdotes, narratur v. 15. 16. Antiochus opum ac pecuniarum cupidus praetendit se deam in uxoris locum accipere velle; ut scil. opes et pecunias templi ratione et nomine dotis sibi acquireret. Uti Herkenne refert, simile quid narrat Granius Licinianus de eodem Antiocho Epiphane, qui Hierapoli in Syria affirmans se in matrimonium ducere Dianam, eius templi thesauros sibi arripuerit. Affine est quod Seneca habet : « cum Antonius vellet se Liberum patrem dici et hoc nomen statuis subscribi iuberet, habitu quoque et comitatu Liberum imitaretur, occurrerunt venienti ei Athenienses et Διόνυσον salutaverunt; ... dixerunt despondere ipsos in matrimonium Minervam suam et rogaverunt ut duceret. Ac Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta » (Oratio suasoria 1; *Gr. Herk.*).

Sacerdotes τοῦ Ναναίου, templi seu sanctuarii Naneae opes templi proponunt seu expandunt in ipso interiore sanctuario; Antiochus cum paucis ingreditur *intra ambitum fani* εἰς τὸν περίβολον τοῦ τεμένους in septum, murum loci sacrati, delubri; illi vero simulac rex ingressus est, clauserunt templum et aperuerunt ianuam occultam τοῦ φατνώματος lacunaris, tabulati et inde proiectis lapidibus συνεκεφαύνωσαν quasi iactis fulminibus percusserunt ducem; addit vulg. *et eos qui cum eo erant;* nam id sequitur ex graeco quoque τὰς κεφαλὰς, at τὴν κεφαλὴν (55. S) id quod *K. Ks.* praeferunt; dein solus rex ingressus est in ipsam cellam; pauci comites remanserunt in septo seu peribolo; μέλη ποιήσαντες membratim concidere, dissecare in partes; τοῖς ἔξω iis proiecerunt qui foris stabant, qua enuntiatione commendatur illa lectio τὴν κεφαλὴν, ita, ut solus rex in cellam ingressus sit, et caput eius comitibus in peribolo exspectantibus sit proiectum. Insuper suadetur haec acceptio, quia explicite dicitur eum cum paucis ingres-

sum esse in septum delubri, et dein iterum συγκλείσαντες τὸ ἱερὸν ὡς εἰςῆλθεν Ἀντίοχος, unde distinguitur ingressus cum paucis et ingressus eius solius.

Morte oppressoris narrata iterum Deo laudes dicunt κατὰ πάντα secundum omnia, in omnibus agnoscentes providam Dei pro suis curam, ὃς ἔδωκε qui *tradidit* scil. in mortem, adhibetur διδόναι eadem notione qua παραδιδόναι cf. 1 Mach. 6,44. Ioan. 3,16. Gal. 1,4. Tit. 2,4.

Manifestum est discrimen huius de morte Antiochi narrationis et illius narrationis quae refertur 1 Mach. 6,1-4 et 2 Mach. 9,1 seq. Sed ipsum hoc discrimen et contradictio aperta nobis est testimonio certo hanc epistolam non esse confictam ab auctore libri, sed ab eo fideliter traditam sicut illam invenerat. Item nobis est testimonio epistolam esse scriptam eo tempore quo falsus rumor de fato regis in Iudaeam perlatus est, quando nondum vera de singulis conditionibus habebatur notitia. Uti dicunt, fama crescit eundo. Rumor quidam spargebatur de infelici regis tentamine spoliandi templum; statim additur numinis vindicta, quae per ministros numinis exercetur; fertilis est fama in rebus magna cum pompa vestiendis.

b) *De celebritate ignis sacri* 1,18-36.

1,18. *Facturi igitur quinta et vigesima die mensis Casleu purificationem templi necessarium duximus significare vobis, ut et vos quoque agatis diem scenopegiae et diem ignis qui datus est, quando Nehemias aedificato templo et altari obtulit sacrificia.* 19. *Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes qui tunc cultores Dei erant acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus, et in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus.* 20. *Cum autem praeterissent anni multi et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum qui absconderant misit ad requirendum ignem; et sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam;* 21. *et iussit eos haurire et afferre sibi; et sacrificia quae imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua et ligna quae erant superposita.* 22. *Utque hoc factum est et tem-*

1,18. Μέλλοντες ἄγειν ἐν τῷ Χασελεῦ πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τὸν καθαρισμὸν τοῦ ἱεροῦ δέον ἡγησάμεθα διασαφῆσαι ὑμῖν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἄγητε τῆς σκηνοπηγίας τρόπον καὶ εἰς μνημόσυνον τοῦ πυρὸς τοῦ δοθέντος ὅτε Νεεμίας οἰκοδομήσας τό τε ἱερὸν καὶ τὸ θυσιαστήριον ἀνήνεγκε θυσίαν. 19. Καὶ γὰρ ὅτε εἰς τὴν Περσικὴν ἤγοντο οἱ πατέρες ἡμῶν, οἱ τότε εὐσεβεῖς ἱερεῖς λαβόντες ἀπὸ τοῦ πυρὸς τοῦ θυσιαστηρίου λαθραίως κατέκρυψαν ἐν κοιλώματι φρέατος τάξιν ἔχοντος ἄνυδρον, ἐν ᾧ κατησφαλίσαντο ὥςτε πᾶσιν ἄγνωστον εἶναι τὸν τόπον. 20. Διελθόντων δὲ ἐτῶν ἱκανῶν, ὅτε ἔδοξε τῷ Θεῷ, ἀποσταλεὶς Νεεμίας ὑπὸ τοῦ βασιλέως τῆς Περσίδος τοὺς ἐκγόνους τῶν ἱερέων τῶν ἀποκρυψάντων ἔπεμψεν ἐπὶ τὸ πῦρ· ὡς δὲ διεσάφησαν ἡμῖν, μὴ εὑρηκέναι πῦρ, ἀλλὰ ὕδωρ παχύ, ἐκέλευσεν αὐτοὺς ἀποβάψαντας φέρειν· 21. ὡς δὲ ἀνηνέχθη τὰ τῶν θυσιῶν, ἐκέλευσε τοὺς ἱερεῖς Νεεμίας ἐπιρραῦναι τῷ ὕδατι τά τε ξύλα καὶ τὰ ἐπικείμενα. 22. Ὡς δὲ ἐγένετο τοῦτο καὶ χρόνος διῆλθεν, ὅτε ἥλιος ἀνέλαμψε πρότερον ἐπινεφὴς ὤν, ἀνήφθη πυρὰ μεγάλη, ὥςτε θαυμάσαι πάντας.

pus affuit quo sol refulsit qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. 23. *Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante ceteris autem respondentibus;* 24. *et Nehemiae erat oratio hunc habens modum :*

Domine Deus omnium creator, terribilis et fortis, iustus et misericors, qui solus es bonus rex, 25. *solus praestans, solus iustus et omnipotens et aeternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos et sanctificasti eos;* 26 *accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel et custodi partem tuam et sanctifica.* 27. *Congrega dispersionem nostram, libera eos qui serviunt gentibus, et contemptos et abominatos respice, ut sciant gentes quia tu es Deus noster.* 28. *Afflige opprimentes nos et contumeliam facientes in superbia.* 29. *Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses.*

30. *Sacerdotes autem psallebant hymnos usquequo consumptum esset sacrificium.* 31. *Cum autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias iussit lapides maiores perfundi.* 32. *Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est; sed ex lumine quod refulsit ab altari consumpta est.* 33. *Ut vero manifestata est res, renuntiatum est regi Persarum, quod in loco, in quo ignem absconderant hi qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias et qui cum eo erant purificaverunt sacrificia.* 34. *Considerans autem rex et rem diligenter examinans fecit ei templum, ut probaret quod factum erat.* 35. *Et cum probasset, sacerdotibus donavit multa bona et alia atque alia munera et accipiens manu sua tribuebat eis.*

36. *Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.*

23. Προςευχὴν δὲ ἐποιήσαντο οἱ ἱερεῖς δαπανωμένης τῆς θυσίας, οἵ τε ἱερεῖς καὶ πάντες καταρχομένου Ἰωνάθου, τῶν δὲ λοιπῶν ἐπιφωνούντων ὡς Νεεμίου· 24. ἦν δὲ ἡ προςευχὴ τὸν τρόπον ἔχουσα τοῦτον.

Κύριε, κύριε, ὁ Θεὸς ὁ πάντων κτίστης, ὁ φοβερὸς καὶ ἰσχυρὸς καὶ δίκαιος καὶ ἐλεήμων, ὁ μόνος βασιλεὺς καὶ χρηστὸς, 25. ὁ μόνος χορηγὸς, ὁ μόνος δίκαιος καὶ παντοκράτωρ καὶ αἰώνιος, ὁ διασώζων τὸν Ἰσραὴλ ἐκ παντὸς κακοῦ, ὁ ποιήσας τοὺς πατέρας ἐκλεκτοὺς καὶ ἁγιάσας αὐτούς· 26. πρόςδεξαι τὴν θυσίαν ὑπὲρ παντὸς τοῦ λαοῦ σου Ἰσραὴλ καὶ διαφύλαξον τὴν μερίδα σου καὶ καθαγίασον. 27. Ἐπισυνάγαγε τὴν διασπορὰν ἡμῶν, ἐλευθέρωσον τοὺς δουλεύοντας ἐν τοῖς ἔθνεσι, τοὺς ἐξουθενημένους καὶ βδελυκτοὺς ἔπιδε, καὶ γνώτωσαν τὰ ἔθνη ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς ἡμῶν. 28. Βασάνισον τοὺς καταδυναστεύοντας καὶ ἐξυβρίζοντας ἐν ὑπερηφανίᾳ. 29. Καταφύτευσον τὸν λαόν σου εἰς τὸν τόπον τὸν ἅγιόν σου, καθῶς εἶπε Μωυσῆς.

30. Οἱ δὲ ἱερεῖς ἐπέψαλλον τοὺς ὕμνους.

31. Καθὼς δὲ ἀνηλώθη τὰ τῆς θυσίας, καὶ τὸ περιλειπόμενον ὕδωρ ὁ Νεεμίας ἐκέλευσε λίθους μείζονας καταχεῖν. 32. Ὡς δὲ τοῦτο ἐγενήθη, φλὸξ ἀνήφθη· τοῦ δὲ ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου ἀντιλάμψαντος φωτὸς ἐδαπανήθη. 33. Ὡς δὲ φανερὸν ἐγενήθη τὸ πρᾶγμα, καὶ διηγγέλη τῷ βασιλεῖ τῶν Περσῶν ὅτι εἰς τὸν τόπον οὗ τὸ πῦρ ἀπέκρυψαν οἱ μεταχθέντες ἱερεῖς τὸ ὕδωρ ἐφάνη, ἀφ' οὗ καὶ οἱ περὶ τὸν Νεεμίαν ἥγνισαν τὰ τῆς θυσίας, 34. περιφράξας δὲ ὁ βασιλεὺς ἱερὸν ἐποίησε δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα. 35. Καὶ οἷς ἐχαρίζετο ὁ βασιλεὺς πολλὰ διάφορα ἐλάμβανε καὶ μετεδίδου.

36. Προςηγόρευσαν δὲ οἱ περὶ τὸν Νεεμίαν τοῦτο Νέφθαρ, ὃ διερμηνεύεται καθαρισμός· καλεῖται δὲ παρὰ τοῖς πολλοῖς Νεφθαεί.

Ex modo loquendi in v. 18 collato cum 2,16 agere hos dies apparet sermonem esse non de prima purificatione templi, sed celebritate anniversaria. Quod eo quoque patet, quia haec celebritas nota supponitur: nihil enim dicitur, cur agatur aut quomodo agenda sit aut unde tale nomen gerat. Scribunt autem, ut illi quoque agant *diem scenopegiae*, i. e. agant per modum scenopegiae (cf. 10,6), quod mense Casleu et die 25 commemorato iam satis indicatur. Textus grecus communiter fertur ἄγητε τῆς σκηνοπηγίας καὶ τοῦ πυρός, sed certe textus mancus est; bene supplet vulg *diem;* melius fortasse ex 2,16 supplebis τὰς ἡμέρας. S agatis sicut festum tabernaculorum; dicemus enim vobis etiam de igne; *Fr.* supplet ex 10,6 τρόπον, quam lectionem S exprimere videtur. Huic celebritati alia additur, quae nova esse videtur, quia eius origo tam accurate enarratur, scil. dies ignis (vulg.); unde simul cum memoria templi purificationis recolitur memoria ignis. Intelligitur ignis ille qui in altari semper ardebit (Lev. 6,12) et qui, uti in v. 19 dicitur, absconsus est et demum iterum accensus (v. 22. 31. 32). Haec celebritas ignis in prima institutione festi purificationis non occurrit (cf. 1 Mach. 4,54-59), neque alibi eius occurrit mentio, neque in 2,16 ad eam alluditur. Quod S habet: dicemus vobis etiam de igne, quando aedificavit Nehemias etc., ad celebritatem quandam ignis quae eo tempore agenda sit nullatenus refertur; quare cum textus graecus mancus sit, tota haec celebritas seu memoria ignis in dubium vocatur; imo iam propter ipsam narrationem non immerito in dubium vocari potest.

Quae enim subditur narratio, non una premitur difficultate. Mirum iam videtur assignari tempus Nehemiae quo miraculo quodam ignis altaris olim absconditus iterum sit accensus. Nam si ignis ille olim fuit absconditus, potius exspectaremus, ut in primo reditu et in prima oblatione ille ignis requireretur, et ita altari holocaustorum aedificato ignis ille perpetuus iterum excitaretur ex illis ignis prioris quasi reliquiis, uti hic narratur. Hac ratione habetur apta ignis perpetui continuatio, habetur nexus plane consentaneus. Ergo talem desideraremus narrationem qua narratio de primo sacrificio post reditum facto suppleretur et qua pro Nehemia (qui non aedificavit templum et altare) legeretur Zorobabel, qui aedificavit altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi (Esdr. 3,2). Anno 516 completum est aedificium templi templumque dedicatum; Nehemias prima vice venit Ierusalem anno 445; per illos annos 516-445 multoties sacrificia offerebantur, ignis ardebat in altari holocaustorum. Cur eo tempore mitteret Nehemias ad requirendum ignem?

Refertur itaque in epistola traditio quaedam popularis qua mandatum illud legis Lev. 6,12 de igne in altari semper ardenti illustratur; quae traditio ad primum refertur sacrificium, post reditum oblatum, et qua errore populari (uti fieri solet in eiusmodi traditionibus) Nehemias nominatur, qui scil. in restitutione rerum iudaicarum partes egit insignes, unde eius nomen prae aliis celebre factum est. Tali autem viro insigniter noto solent in traditione populari etiam plura attribui quae ab aliis gesta sunt. Traditio haec pia est et si ad primum sacrificium refertur, pulcherrimam habet applicationem simulque veram illustrat doctrinam de Deo fideli foederis custode eiusque restitutore. Quare sane digna erat, ut per auctorem inspiratum epistola hac nobis tradita in perpetuum servaretur et praeprimis ad cultum Dei in animis aequalium augendum cum illis communicaretur.

Attamen non certum videtur Nehemiam inepte inferri. Etenim Nehemias moenibus urbis exstructis profecto etiam censeri poterat οἰκοδομήσας τό τε ἱερὸν καὶ τὸ θυσιαστήριον i. e. illud confirmasse; vel si malueris, recursum habe cum *Herkenne* ad unius codicis (125) lectionem οἰκονομήσας, rebus scil. templi altarisque dispositis. Dein in dedicatione muri Ierusalem immolatae sunt victimae magnae (Neh. 12,42); in ea autem sollemnitate, postquam tandem moenibus exstructis templum et altare in tuto collocatum est ab incursibus hostium, apparuisse dicitur ignis sacer ab illo antiquo quasi resuscitatus ac propagatus, qui ignis tum demum munitione urbis perfecta pariter tutus erat a profanatione hostium. Utique eius rei insignis et tanti honoris Nehemiae operi collati nulla mentio fit in narratione historica (Neh. 12). Quare traditionem popularem referri etiam in hac acceptione merito dixeris.

Neque obstat in v. 19 dici Iudaeos abductos esse εἰς τὴν Περσικὴν scil. χώραν in regionem; ita enim usu posteriore regio trans Euphraten designabatur (cf. 1 Mach. 3,31), idque eo magis quia Iudaei qui non statim in primo reditu redierunt, revera in regno persico degebant. Quare tempore Nehemiae iam poterat usus invaluisse, ut de abductione patrum in Persicam regionem sermo fieret. Pii quidam sacerdotes ignem sacrum ab altari holocautomatum sumptum clam absconderunt ἐν κοιλώματι in cavitate putei habentis conditionem siccam τάξιν ἄνυδρον vel locum siccum; secundum aliam lectionem τάξιν ἀνύδρου habentis statum (qualitatem) carentis aqua. Quam absconsionem dicitur Ieremias praecepisse 2,1. Post multos annos (586-445) Nehemias ab Artaxerxe rege (cf. Neh. 2,1) impetravit ut mitteretur Ierusalem, et quidem anno vigesimo regis; idem anno trigesimo

secundo regis rediit ad regem. Duo reges nomine Artaxerxes regnabant tanto temporis spatio : Artaxerxes I Longimanus (465-424) et Artaxerxes II Mnemon (405-358). Communiter assumitur Artaxerxes I (cf. *Fischer*, Bibl. Studien VIII, 3 p. 83. 89. 91 et *Nikel* l. c. V p. 316 sq.). Nehemias misit posteros illorum sacerdotum qui ignem absconderant ad requirendum ignem; tale quid factum esse in primo exsulum reditu, cum cultus sacrificalis denuo instauraretur et ideo ignis sacer qui antea ardebat reducendus esse videretur ad altare, certe multo maiore probabilitate commendaretur, quam Nehemiae tempore cultu iamdudum restituto. Inventa est aqua crassa, liquor quidam spissus, limosus, *sicut narraverunt nobis*, nobis, Iudaeis in Ierusalem (*K.*), sed melius explicatur *nobis* cum *Gr. Herk.*, eo quod qui epistolam scripserint hanc vocem ex antiquiore narratione tamquam ex fonte huius traditionis retinuerint. Ceterum *nobis* deest in S et 64,93.

In v. 21 in vulg perperam appellatur Nehemias sacerdos, etiam *ligna quae erant superposita* perperam dicitur. Planus est textus graecus : cum allata essent quae ad sacrificia requiruntur, Nehemias mandavit sacerdotibus, ut aqua superfunderent et ligna et imposita, scil. carnes sacrificales lignis impositas. Mox sole nebulam dispergente ac fulgente accensus est ignis magnus cum omnium admiratione v. 22; πυρά strues lignorum ardens, rogus. Dum carnes sacrificales igne absumerentur, orabant et sacerdotes et omnes incipiente Ionatha et reliquis succlamantibus ad exemplum Nehemiae (ita graece). Similiter Iudith 15,14 καὶ ἐξῆρχεν Ἰουδὶθ τὴν ἐξομολόγησιν ταύτην καὶ ὑπεφώνει πᾶς ὁ λαὸς τὴν αἴνεσιν ταύτην. S ita habet v. 23 sacerdotes autem in oratione stabant, donec consummaretur ministerium ignis; sacerdotes autem et Ionathan et reliqui cum descenderent, dicebant, quod per orationem Nehemiae accensus est ignis ; oratio autem eius erat haec. Nomen Ionathan erat satis frequens (Esdr. 8,6; 10,15. Neh. 12,14. 18). Mentione dignum est quod hic narratur, preces esse fusas uno praeeunte ceteris subsequentibus, dum sacrificium igne absumeretur.

Invocatione pluribus titulis praemissa Deus imploratur, ut sacrificium benigne suscipiat, populum suum favore prosequatur, dispersos et male oppressos congreget ac liberet, oppressores reprimat, populum suum in loco sancto constituat (v. 24-29). Κύριε, Κύριε cf. LXX Ps. 71,5. 16, hebr. אדני יהוה; repetitione declaratur vehementia affectus. In ipsis titulis quibus Deus compellatur, primo mentione creatoris quasi monetur : nihil odisti eorum quae fecisti, neque enim odiens aliquid constituisti, diligis enim omnia quae sunt (Sap. 11,25); effertur dein eius potentia : *terribilis*, *fortis;* dein quibus quasi poten-

tia temperatur in rerum administratione : *iustus, misericors;* tum eius dominium, perfectissimum, ὁ μόνος βασιλεύς, sed benignum, clemens est illud καὶ χρηστός: et tale dominium exercet, quo cuncta singulis largiatur ὁ μόνος χορηγός; quo iustitia omnibus numeris perfecta norma statuitur ὁ μόνος δίκαιος, quo omnia pro omni tempore complectuntur : *omnipotens aeternus.* Iam enumeratur, quid singulari ratione Deus fecerit pro suo populo; διασώζων per omnes res adversas Israel incolumem perducens servat, patres seu patriarchas constituit electos; eorum electio permanenter facta simul est ratio illius διασώζων, eos a mundo profano segregatos ad suum cultum et servitium addixit i. e. ἁγιάσας αὐτούς. Hisce titulis ipse Deus quasi monetur et imploratur, ut suorum preces benigne suscipiat, et ipsorum precantium confidentia stimulatur. Unde v. 26 precantur : *accipe* etc. *custodi partem tuam*, proprietatem tuam i. e. populum quem tibi elegisti in peculium (Ex. 19,5), in hereditatem (Deut. 9,29; 32,9 etc.); ita dicitur populus חלק יהוה Deut. 32,9 pars Domini; *sanctifica* fac ut populus a mundo profano separetur, cultui tuo consecretur. Ad quod pertinet, ut v. 27 ex dispersione reducantur, ab oppressione et servitute inter gentes liberentur, ut oppressores divino iudicio affligantur; quibus omnibus ipsa Dei gloria et potestas gentibus innotescet. Demum efflagitant id quo quasi reliqua cuncta comprehenduntur, ut Deus populum suum *plantet* εἰς τὸν τόπον τὸν ἅγιόν σου, secundum promissiones antiquas cf. Ex. 15,7. Deut. 30,5. 6. 9, ut stabili ratione eos constituat in terra sibi consecrata, ut in ea crescant, prospere agant; cf. Ier. 24,6. Am. 9,15.

Sacerdotes autem cantabant psalmos (v. 30), τοὺς ὕμνους qui scil. inter sacrificandum cantari solebant. Sacrificio peracto iussit Nehemias etiam (καὶ cf. v. 21) reliquam aquam crassam superfundi lapidibus maioribus; καταχεῖν iungitur cum duplici accusativo (hebraismus? cf. Iud. 9,45), vel supple ἐπί, quod forte excidit, lectio κατασχεῖν sensu caret. Quo facto etiam hac secunda vice, uti v. 22, exoritur flamma, quae tamen igne ex altari effulgente absorpta est; ignis enim sacer et sacrificalis in altari ipsa combustione victimae maiorem nactus est gradum consecrationis et exstinctione alterius ignis solum demonstratur, ignem in altari debere permanere, uti igne secundo accenso miraculum comprobatur, ne quis prius illud v. 22 fortuito evenisse existimet. Res haec nuntiatur regi Persarum, qui ignem symbolum habet numinis; v. 33; ἡγνισαν τὰ τῆς θυσίας igne scil. illo mirabiliter exorto consecrata sunt quae pertinebant ad sacrificia. Rex autem iussit locum obsepiri eumque sacrum ἱερὸν fecit re explorata; *considerans, rem diligenter examinans* vulg. περιφρασάμενος loco περιφραξάμενος?

fecit templum; locum declaravit sacrum, sicut veteres saepimento locum efficere sacrum, inaccessum solebant; vulg *ut probaret,* regia itaque auctoritate eventus ille comprobabatur.

Praeterea favor regius exhibebatur eo quod iis quibus favebat, οἷς ἐχαρίζετο. multa dona, διάφορα. commoda, pecunias (cf. 3,6) largiebatur; ἐλάμβανε καὶ μετεδίδου explica cum vulg *accipiens manu sua* tribuebat. S et dedit illis rex dona multa et eximia. Locus ille quo repertus est ignis sacer appellabatur Nephthar, ab aliis Nephthaei (Nephtha), vox declaratur καθαρισμός. Ita secundum vulg; sed τοῦτο refertur non ad locum sed ad ὕδωρ, ad aquam repertam, vel generatim ad eventum totum. Cum explicite dicatur προσηγόρευσαν οἱ περὶ Ν. τοῦτο Νέφθαρ, ipsum hoc nomen videtur debere explicari ex hebraeo vel aramaeo. Nam οἱ περὶ Ν. socii et comites Nehemiae vix selegerint vocem zendicam vel bactricam, quare explicationes propositas a Benfey, Stern, Lagarde (cf. *K. Herk.*) omittere possumus. Verum in hebraeo, aramaeo non reperitur vocabulum eius notionis; neque cernitur quomodo populari quadam etymologia ex Nephthar extundi possit καθαρισμός. Quare dicere possumus cum *Herk.* coniecturam a Grotio factam simplici modo solvere quaestionem, legendum esse Νέχφαρ a נכר expiare, purgare. Aliud proponit Riehm : Persas qui venerint cum Nehemia (Neh. 2,9) aquam crassam vocasse nomine medico Naphtha, quod est notum illud bitumen liquidum.

c) *De arca et libris collectis* 2,1-19.

2,1. *Invenitur autem in descriptionibus Ieremiae prophetae, quod iussit eos ignem accipere qui transmigrabant, ut significatum est et ut mandavit transmigratis;* 2. *et dedit illis legem, ne obliviscerentur praecepta Domini et ut non exerrarent mentibus videntes simulacra aurea et argentea et ornamenta eorum.* 3. *Et alia huiusmodi dicens hortabatur ne legem amoverent a corde suo.* 4. *Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum et arcam iussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit et vidit Dei hereditatem;* 5. *et veniens ibi Ieremias invenit locum speluncae, et tabernaculum et arcam et altare incensi intulit illuc et ostium obstruxit.* 6. *Et accesserunt quidam simul qui seque-*

2,1. Εὑρίσκεται δὲ ἐν ταῖς ἀπόγραφαῖς Ἱερεμίας ὁ προφήτης ὅτι ἐκέλευσε τοῦ πυρὸς λαβεῖν τοὺς μεταγινομένους, ὡς σεσήμανται καὶ ὡς ἐνετείλατο τοῖς μεταγενομένοις ὁ προφήτης, 2. δοὺς αὐτοῖς τὸν νόμον, ἵνα μὴ ἐπιλάθωνται τῶν προσταγμάτων τοῦ Κυρίου καὶ ἵνα μὴ ἀποπλανηθῶσιν ταῖς διανοίαις βλέποντες ἀγάλματα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ καὶ τὸν περὶ αὐτὰ κόσμον. 3. Καὶ ἕτερα τοιαῦτα λέγων παρεκάλει μὴ ἀποστῆναι τὸν νόμον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν.

4. Ἦν δὲ ἐν τῇ γραφῇ ὡς τὴν σκηνὴν καὶ τὴν κιβωτὸν ἐκέλευσεν ὁ προφήτης χρηματισμοῦ γενηθέντος αὐτῷ συνακολουθεῖν· ὡς δὲ ἐξῆλθεν εἰς τὸ ὄρος οὗ ὁ Μωυσῆς ἀναβὰς ἐθεάσατο τὴν τοῦ Θεοῦ κληρονομίαν, 5. καὶ ἐλθὼν ὁ Ἱερεμίας εὗρεν οἶκον ἀντρώδη, καὶ τὴν σκηνὴν καὶ τὴν κιβωτὸν καὶ τὸ θυσιαστήριον τοῦ θυμιάματος εἰσήνεγκεν ἐκεῖ καὶ τὴν θύραν ἐνέφραξε. 6. Καὶ προσελθόντες τινὲς

bantur, ut notarent sibi locum et non potuerunt invenire. 7. Ut autem cognovit Ieremias, culpans illos dixit : quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi et propitius fiat; 8. et tunc Dominus ostendet haec et apparebit maiestas Domini et nubes erit, sicut et Moysi manifestabatur, et sicut cum Salomon petiit, ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat haec; 9. magnifice enim sapientiam tractabat, et ut sapientiam habens obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi. 10. Sicut et Moyses orabat ad Dominum et descendit ignis de coelo et consumpsit holocaustum, sic et Salomon oravit et descendit ignis de coelo et consumpsit holocaustum. 11. Et dixit Moyses, eo quod non sit comestum quod erat pro peccato consumptum est. 12. Similiter et Salomon octo diebus celebravit dedicationem.

13. Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiae haec eadem, et ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros et prophetarum et David et epistolas regum et de donariis. 14. Similiter autem et Iudas ea quae deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia et sunt apud nos; 15. si ergo desideratis haec, mittite qui perferant vobis.

16. Acturi itaque purificationem scripsimus vobis; bene ergo facietis, si egeritis hos dies. 17. Deus autem qui liberavit populum suum et reddidit hereditatem omnibus et regnum et sacerdotium et sanctificationem, 18. sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur et congregabit de sub coelo in locum sanctum; 19. eripuit enim nos de magnis periculis et locum purgavit.

τῶν συνακολουθούντων ὥςτε ἐπισημήνασθαι τὴν ὁδὸν καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν εὑρεῖν. 7. Ὡς δὲ ὁ Ἱερεμίας ἔγνω, μεμψάμενος αὐτοῖς εἶπεν· ὅτι καὶ ἄγνωστος ὁ τόπος ἔσται ἕως ἂν συναγάγῃ ὁ Θεὸς ἐπισυναγωγὴν τοῦ λαοῦ καὶ ἵλεως γένηται· 8. καὶ τότε ὁ Κύριος ἀναδείξει ταῦτα, καὶ ὀφθήσεται ἡ δόξα τοῦ Κυρίου καὶ ἡ νεφέλη, ὡς καὶ ἐπὶ Μωυσῆ ἐδηλοῦτο, ὡς καὶ ὁ Σαλωμὼν ἠξίωσεν, ἵνα ὁ τόπος καθαγιασθῇ μεγάλως· 9. διεσαφεῖτο δὲ καὶ ὡς σοφίαν ἔχων ἀνήνεγκε θυσίαν ἐγκαινισμοῦ καὶ τῆς τελειώσεως τοῦ ἱεροῦ. 10. Καθὼς καὶ Μωυσῆς προςηύξατο πρὸς Κύριον καὶ κατέβη πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὰ τῆς θυσίας ἐδαπάνησεν, οὕτως καὶ Σαλωμὼν προςηύξατο καὶ καταβὰν τὸ πῦρ ἀνήλωσε τὰ ὁλοκαυτώματα. 11. Καὶ εἶπε Μωυσῆς· διὰ τὸ μὴ βεβρῶσθαι τὸ περὶ τῆς ἁμαρτίας ἀνηλώθη. 12. Ὡςαύτως καὶ ὁ Σαλωμὼν τὰς ὀκτὼ ἡμέρας ἤγαγεν.

13. Ἐξηγοῦντο δὲ καὶ ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς καὶ ἐν τοῖς ὑπομνηματισμοῖς τοῖς κατὰ τὸν Νεεμίαν τὰ αὐτὰ καὶ ὡς καταβαλλόμενος βιβλιοθήκην ἐπισυνήγαγε τὰ περὶ τῶν βασιλέων καὶ προφητῶν καὶ τὰ τοῦ Δαυὶδ καὶ ἐπιστολὰς βασιλέων περὶ ἀναθημάτων. 14. Ὡςαύτως δὲ καὶ Ἰούδας τὰ διαπεπτωκότα διὰ τὸν πόλεμον τὸν γεγονότα ἡμῖν ἐπισυνήγαγε πάντα καὶ ἔστι παρ' ἡμῖν· 15. ὧν οὖν ἐὰν χρείαν ἔχητε, τοὺς ἀποκομιοῦντας ὑμῖν ἀποστέλλετε.

16. Μέλλοντες οὖν ἄγειν τὸν καθαρισμὸν ἐγράψαμεν ὑμῖν· καλῶς οὖν ποιήσετε ἄγοντες τὰς ἡμέρας. 17. Ὁ δὲ Θεὸς ὁ σώσας τὸν πάντα λαὸν αὐτοῦ καὶ ἀποδοὺς τὴν κληρονομίαν πᾶσι καὶ τὸ βασίλειον καὶ τὸ ἱεράτευμα καὶ τὸν ἁγιασμὸν, 18. καθὼς ἐπηγγείλατο διὰ τοῦ νόμου, ἐλπίζομεν γὰρ ἐπὶ τῷ Θεῷ ὅτι ταχέως ἡμᾶς ἐλεήσει καὶ ἐπισυνάξει ἐκ τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν εἰς τὸν ἅγιον τόπον· 19. ἐξείλετο γὰρ ἡμᾶς ἐκ μεγάλων κακῶν καὶ τὸν τόπον ἐκαθάρισε.

Quod supra 1,19 seq. narratum est, invenitur quoque ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς, in scriptis, certe eadem notione qua ἀναγραφαί (v. 13; cf. LXX Dan. 10,21 in aliquibus ἐν ἀπογραφῇ ἀληθείας in libro veritatis); S in

libro; in vulg et S hae descriptiones Ieremiae prophetae dicuntur; at non ita graece, verum in illo libro solum referebatur, quod Ieremias iusserit de igne sumere, τοὺς μεταγινομένους transmigrantes, qua notione verbum tamen nullibi usurpatur; nec facile is significatus ex verbo eruitur; nam μεταγίνεσθαι est postea fieri, aliter fieri; aliqui codices habent μεταγομένους hic et in v. 2; Herkenne vertit etymo vocis insistens : generatio subsequens; quae explicatio ad v. 1 aptari potest, si τοῦ πυρὸς λαβεῖν refertur ad v. 20, ita ut in illo libro generationibus subsequentibus quae scil. reduces futurae essent praeceptum sit de illo igne abscondito sumere; verum ea notio non quadrat ad v. 2; nam Ieremias legem dedit etc. aequalibus. S quoque habet : praecepit ut sumant ignem illi qui post eos sunt; ὡς σεσήμανται respicit 1,19 seq. Pariter in illo libro invenitur scriptum ὡς ἐνετείλατο quomodo Ieremias transmigrantibus praecepta dederit, δοὺς αὐτοῖς τὸν νόμον, dedit illis exemplar legis, volumen legis; solumne Deuteronomium? de significatione legis vide *de Hummelauer*, Comment. in Deut. p. 66 seq.; videtur contineri allusio ad epistolam Ieremiae exsulibus missam (Bar. 6), in qua eadem praecepta continentur, praesertim contra idololatriam, cuius perversitas, stultitia, malitia describitur.

In eodem scripto τῇ γραφῇ, cf. v. 1 etiam narrabatur, prophetam oraculo divino ipsi facto mandasse, ut tabernaculum et arca secum deferretur a sociis; et ex v. 5 etiam altare incensi; praecipua igitur sacra nominantur; tabernaculum foederis scil. illud, quod 3 Reg. 8,4 et 2 Par. 5,5 (hebr) in templum Salomonis asservandum inferebatur; arca autem erat thronus Dei (Ex. 25,22; 30,6. Num. 7,89) sedentis super cherubim (1 Reg. 4,4; 2 Reg. 6,2; 4 Reg. 19,15); altare incensi positum erat immediate ante sanctum sanctorum, in quo sacrificium incensi offerebatur. Quod dicitur *comitari secum* συνακολουθεῖν, etiam intelligi potest de rebus quas comites Ieremiae portarunt. Nullo modo vi vocis cum Serario dicendum est angelos illa detulisse, vel illa miraculoso modo secuta esse Ieremiam. Nam eodem modo etiam apud Aelianum (Varia hist. 12,40) legitur : τά τε ἄλλα ἐφόδια εἵπετο τῷ Ξέρξῃ... καὶ ὕδωρ ἠκολούθει τὸ ἐκ τοῦ Χοάσπου (cf. *Gr. Herk.*). Ceterum in v. 6 mentio quoque fit sociorum Ieremiae, Ieremias autem se contulit in montem, ex quo Moses terram promissam « hereditatem Domini » aspexit, in montem Nebo in terra Moab contra Iericho (Deut. 32,49); ibi itaque, ubi Moses sepultus erat (Deut. 34,5) etiam sacra illa antiqua condita sunt. Invenit ibi Ieremias οἶκον ἀντρώδη habitaculum antri speciem habens; ibi recondidit sacra illa et introitum obstruxit v. 5. Aliqui ex comitibus prophetae accesserunt, ut sibi viam

notarent, signis quibusdam conspicuam facerent; at frustra v. 6. Eorum studium rem investigandi propheta reprehendit declarans locum mansurum ignotum, donec Deus populum suum congregaturus sit venia perfecta concessa; καὶ ἄγνωστος etiamsi quis viam sibi notaret, locum debere manere ignotum (*Herk.*). In hac ultima et felicissima populi epocha sacra illa manifestabuntur, iterum super arcam apparebit ἡ δόξα, schechina Domini et nubes, sicut tempore Mosis apparebat Ex. 40,34 seq. Num. 9,15; 14,10; et sicut Salomon oravit, ut locus sacer, templum eximio modo sanctificaretur; Salomonis oratio commemoratur 2 Par. 6,41; exaudita est; nam nebula implevit domum Domini (3 Reg. 8,10), ignis descendit de coelo et devoravit holocausta et victimas et maiestas Domini (כבוד, δόξα) implevit domum (2 Par. 7,1). — Verum hanc exspectationem de veteribus sacris renovandis esse vanam et eam solum in scriptis apocryphis enuntiari, ex ipso propheta Ieremia ostendi potest. Ille enim vaticinatus est de tempore messiano : non dicent ultra : arca testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur nec fiet ultra (Ier. 3,16). Servatur itaque in hac epistola nobis testimonium, qualiter sibi tempus instaurationis finxerint, tempus scil. cultus veteris, et quam parum intellexerint oracula prophetarum de regno Dei universali, complectente omnes gentes.

In eodem scripto etiam διεσαφεῖτο v. 9 clare et distincte exponebatur, quomodo Salomon sapientia praeditus sacrificium dedicationis et consummationis templi obtulerit; cf. 3 Reg. 8,5 seq. 2 Par. 5,6; 7,4. Ad eius scil. orationem accidit idem quod Deus Mosi oranti concesserat; cf. Lev. 9, 24. Ad indolem libri apocryphi etiam spectat quod in v. 11 effatum Mosis affertur, quod neque ad rem modo narratam congruit neque ad rem similem in Lev. 10,16. 17, ex quo loco verba deprompta esse videntur. Nam hircus ille non est consumptus igne sacro, de quo Lev. 9,24. Quodsi malueris, dices cum *Herk.* textum esse mancum, excidisse plura; unde iam neque v. 11 satis intelligi, neque in v. 12 illud ὡσαύτως καὶ satis perspici; ad quid enim refertur illa comparatio? neque enim ullius per octo dies celebrationis mentio facta est. Saltem deberet addi dedicationem templi a Iuda institutam ab iis agi per octo dies (1 Mach. 4,59), simili modo uti olim a Salomone sollemnitas est celebrata (3 Reg. 8,65. 2 Par. 7,9). Ergo etiam ad v. 12 aliud quid desideratur supplendum.

Eadem etiam narrabantur in descriptionibus et memorabilibus Nehemiae; illud *et* explicative accipitur, ita ut ἀναγραφαὶ sint iidem ὑπομνηματισμοί, ἐξηγοῦντο narrabant i. e. narrabatur; κατὰ in graecitate seriore etiam auctorem dicit, uti in inscriptionibus evangelio-

rum; neque id plane alienum est ab usu prisco; cf. Plato, Phaedr. 227 B κατὰ Πίνδαρον i. e. ut Pindarus ait (*Herk.*); τὰ αὐτά videtur referri debere ad omnia quae 1-12 narrantur; S vero aliter : et narrant in libris et memorabilibus quod Nehemias similiter (ita) fecit; quae enuntiatio certe spectat ad complendam comparationem in v. 12 : uti Salomon, ita tradunt etiam Nehemiam per octo dies celebrasse dedicationem. S nihil habet de Nehemia auctore memorabilium, qui tamen auctor tam clare in textu graeco designatur τοῖς κατὰ τὸν N. memorabilia prout conscripsit Nehemias (*K.*)

In iisdem memorabilibus etiam exponebatur καὶ ὡς etc. quomodo condens bibliothecam collegerit τὰ περὶ τῶν βασιλέων libros regum; S libros regnorum, id quod congruit cum LXX βίβλοι βασιλειῶν i. e. libri 4 Regum; unde putat *Herk.* etiam in nostro textu melius legi περὶ τῶν βασιλειῶν et intelligi 3 et 4 Reg. qui libri teste Hieronymo (in prologo galeato) apud Hebraeos praeter nomen melachim (reges) etiam mamlachot (regna) vocentur. Dein καὶ προφητῶν i. e. καὶ τὰ περὶ τῶν προφητῶν; A καὶ προφητῶν βιβλία, similiter S : libros regnorum et prophetarum et Davidis, τὰ τοῦ Δαυὶδ i. e. sine dubio intelliguntur psalmi; et epistolas regum περὶ ἀναθημάτων de donis sacris. Quod vulg habet *congregavit de regionibus libros* exhibet cum S testimonium legi oportere βασιλειῶν; etiam 19,23. 52 al. addunt post βασιλεων βιβλια. Hisce de aliqua librorum collectione refertur; verum quid de singulis censendum sit, parum constat neque iuvat multorum recensere coniecturas. Nehemiam curam impendisse libris sacris colligendis certum est; vide quae *Cornely,* Introd. I 2. ed. p. 52 de hoc loco disputat. Uti Nehemias olim, ita nuper quoque Iudas ea quae tempore persecutionis dispersa erant (cf. 1 Mach. 1,59. 60) denuo colligenda curavit v. 14. Horum librorum exemplar parati sunt Iudaeis in Aegypto degentibus mittere. Non agi unice de libris sacris, apparet ex eo quia Nehemias etiam collegit epistolas regum de donariis. Hisce enim non tantum intelligi possunt quae in libris Esdrae referuntur (Esdr. 6,2; 7,11. Neh. 2,7); nam praeter illa alia quoque donaria a regibus esse facta, vide 2 Mach. 3,2 et 1,35; quorum documenta certe etiam in archivio templi asservabantur (cf. *Herk.*).

In fine epistolae iterum invitantur ad celebrandam purificationem v. 16; cf. 1,18. Concludunt epistolam pia adprecatione, quae ex Ex. 19,6 enascitur : Deus qui olim totum populum liberavit ex servitute aegyptiaca et qui terram promissam, hereditatem tradidit omnibus, qui populum suum fecit regnum sacerdotale et gentem sanctam (Ex. 19,6); iis adscripsit dignitatem regiam, utpote qui sint eximii prae omnibus gentibus, dignitatem sacerdotalem, quippe quos Deus

sibi consecratos ex gentibus separavit et in peculium ac gentem sanctam assumpsit. Et verba illa τὸ βασίλειον, τὸ ἱεράτευμα, τὸν ἁγιασμόν explicanda esse ex Ex. 19,5 clare indicatur, quia adiungitur v. 18 *sicut promisit in lege,* et hisce promissis confisi spem firmam profitentur, fore ut omnes tandem Iudaei ex omnibus nationibus — longe lateque dispersi — colligantur ad templum sanctum Domini; quam exspectationem et Moyses et prophetae enuntiarunt (Deut. 30,3 seq. Is. 49,22. Ier. 29,14; 32,37. Am. 9,14 etc.). Et tamquam huius spei pignus efferunt favorem duplicem quem modo experti sunt a Deo v. 19 *eripuit nos de magnis periculis* illis scil. quae Antiochus suis mandatis et persecutionibus, quae duces eius Seron, Ptolemaeus, Nicanor, Gorgias, Lysias iis attulerant (1 Mach. 3,13-4,35) *et locum purgavit,* cultus Dei restitutus est, templum ab immunditiis idololatriae purgatum (1 Mach. 4,43 seq.). En, ultima quoque epistolae verba plane congruunt ad tempus Iudae, sicut inscriptio 1,10.

Saepe v. 17 accipiunt de liberatione eadem, de qua in v. 19 mentio fit. At perperam; nam in v. 17 sermo est de liberatione totius populi ὁ σώσας τὸν πάντα λαὸν αὐτοῦ, id vero non convenit ad tempus Iudae, de quo solum dicitur *eripuit nos;* porro ἀποδοὺς τὴν κληρονομίαν πᾶσι nequit dici de tempore Iudae, ac si post mortem Antiochi omnes ad possessiones suas reversi fuerint; verum omnes fuisse exturbatos a possessionibus et iterum restitutos, prorsus gratuito fingeretur, dum e contra ad illam primam populi epocham verba illa optime conveniunt, qua Deus populum suum in terram promissam introduxit. Insuper tempore Iudae de regno frustra quaeres; Simon tandem princeps populi factus est; sub ipso vel potius sub eius nepote, Iuda Aristobulo, qui regium nomen assumpsit, βασίλειον potuit commemorari. Omnia autem bene ad rem dicuntur, si v. 17 explicatur, uti supra et uti aperta allusio ad Ex. 19,5. 6 requiritur. Ita simul probatum est, verba illa v. 17 minime convenire ad annum 124 ante Ch. id quod Torrey vult; nam neque σώσας τὸν πάντα λαὸν neque ἀποδοὺς τὴν κληρονομίαν πᾶσι eo tempore completum est; valet idem quod modo dixi; insuper neque ἁγιασμὸς, neque provocatio ad Dei in lege promissionem ullo pacto favere potest opinioni a Torrey propositae; ipse a falsa opinione progreditur verba illa referri ad tempus Iudae de quo non possent dici nisi cum quadam ironia (cf. Zeitschrift für alttest. Wissenschaft 1900 p. 231 seq.).

3. *Prologus auctoris (epitomatoris)* 2,20-33.

2,20. *De Iuda vero Machabaeo et fratribus eius et de templi magni purificatione et de arae dedicatione,* 21. *sed et de proeliis quae pertinent ad Antiochum nobilem et filium eius Eupatorem,* 22. *et de illuminationibus quae de coelo factae sunt ad eos qui pro Iudaeis fortiter fecerunt, ita ut universam regionem, cum pauci essent, vindicarent et barbaram multitudinem fugarent,* 23. *et famosissimum in toto orbe templum recuperarent et civitatem liberarent et leges quae abolitae erant restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis;* 24. *itemque ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare.*

25. *Considerantes enim multitudinem librorum et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum,* 26. *curavimus volentibus quidem legere ut esset animi oblectatio; studiosis vero ut facilius possint memoriae commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur.* 27. *Et nobis quidem ipsis qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus;* 28. *sicut hi qui praeparant convivium et quaerunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus;* 29. *veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes.*

30. *Sicut enim novae domus architecto de universa structura curandum est, ei vero qui pingere curat quae apta sunt ad ornatum exquirenda sunt, ita aestimandum est et in nobis.* 31. *Etenim intellectum colligere et ordinare sermonem et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiae congruit auctori;* 32. *brevitatem vero dictionis*

2,20. Τὰ δὲ κατὰ τὸν Ἰούδαν τὸν Μακκαβαῖον καὶ τοὺς τούτου ἀδελφοὺς καὶ τὸν τοῦ ἱεροῦ τοῦ μεγάλου καθαρισμὸν καὶ τὸν τοῦ βωμοῦ ἐγκαινισμὸν, 21. ἔτι τε τοὺς πρὸς Ἀντίοχον τὸν Ἐπιφανῆ καὶ τὸν τούτου υἱὸν Εὐπάτορα πολέμους, 22. καὶ τὰς ἐξ οὐρανοῦ γενομένας ἐπιφανείας τοῖς ὑπὲρ τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ φιλοτίμως ἀνδραγαθήσασιν, ὥςτε τὴν ὅλην χώραν ὀλίγους ὄντας λεηλατεῖν καὶ τὰ βάρβαρα πλήθη διώκειν, 23. καὶ τὸ περιβόητον καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην ἱερὸν ἀνακομίσασθαι καὶ τὴν πόλιν ἐλευθερῶσαι καὶ τοὺς μέλλοντας καταλύεσθαι νόμους ἐπανορθῶσαι τοῦ Κυρίου μετὰ πάσης ἐπιεικείας ἵλεω γενομένου αὐτοῖς, 24. τὰ ὑπὸ Ἰάσωνος τοῦ Κυρηναίου δεδηλωμένα διὰ πέντε βιβλίων πειρασόμεθα δι' ἑνὸς συντάγματος ἐπιτεμεῖν.

25. Συνορῶντες γὰρ τὸ χῦμα τῶν ἀριθμῶν καὶ τὴν οὖσαν δυςχέρειαν τοῖς θέλουσιν εἰςκυκλεῖσθαι τοῖς τῆς ἱστορίας διηγήμασι διὰ τὸ πλῆθος τῆς ὕλης, 26. ἐφροντίσαμεν τοῖς μὲν βουλομένοις ἀναγινώσκειν ψυχαγωγίαν, τοῖς δὲ φιλοφρονοῦσιν εἰς τὸ διὰ μνήμης ἀναλαβεῖν εὐκοπίαν, πᾶσι δὲ τοῖς ἐντυγχάνουσιν ὠφέλειαν. 27. Καὶ ἡμῖν μὲν τοῖς τὴν κακοπάθειαν ἐπιδεδεγμένοις τῆς ἐπιτομῆς οὐ ῥᾴδιον, ἱδρῶτος δὲ καὶ ἀγρυπνίας τὸ πρᾶγμα, 28. καθάπερ τῷ παρασκευάζοντι συμπόσιον καὶ ζητοῦντι τὴν ἑτέρων λυσιτέλειαν οὐκ εὐχερὲς μὲν, ὅμως διὰ τὴν τῶν πολλῶν εὐχαριστίαν ἡδέως τὴν κακοπάθειαν ὑποίσομεν, 29. τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς διαπονοῦντες.

30. Καθάπερ γὰρ τῆς καινῆς οἰκίας ἀρχιτέκτονι τῆς ὅλης καταβολῆς φροντιστέον, τῷ δὲ ἐγκαίειν καὶ ζωγραφεῖν ἐπιχειροῦντι τὰ ἐπιτήδεια πρὸς διακόσμησιν ἐξεταστέον, οὕτω δοκῶ καὶ ἐπὶ ἡμῶν. 31. Τὸ μὲν ἐμβατεύειν καὶ περίπατον ποιεῖσθαι λόγων καὶ πολυπραγμονεῖν ἐν τοῖς κατὰ μέρος τῷ τῆς ἱστορίας ἀρχηγέτῃ καθήκει· 32. τὸ δὲ σύντομον τῆς λέξεως μεταδιώκειν καὶ τὸ ἐξεργαστικὸν

sectari et exsecutiones rerum vitare brevianti concedendum est. 33. Hinc ergo narrationem incipiemus; de praefatione tantum dixisse sufficiat; stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

τῆς πραγματείας παραιτεῖσθαι τῷ τὴν μετάφρασιν ποιουμένῳ συγχωρητέον. 33. Ἐντεῦθεν οὖν ἀρξώμεθα τῆς διηγήσεως τοῖς προειρημένοις τοσοῦτον ἐπιζεύξαντες· εὔηθες γὰρ τὸ μὲν πρὸ τῆς ἱστορίας πλεονάζειν, τὴν δὲ ἱστορίαν ἐπιτεμεῖν.

Haud immerito vocat *Calmet* hoc prooemium opus plane politum et castigatum, ubi pulcherrima historiae pronuntiata leguntur. Quae Iason Cyrenaeus de rebus a Machabaeis gestis in bellis contra Antiochum Epiphanem et Eupatorem, de instauratione templi et legis in quinque libris digessit, ea uno volumine breviter complecti vult auctor ad aliorum delectationem, retinendi facilitatem, utilitatem. Opus asserit haud leve fuisse; accuratam rerum narrationem proponere esse illius; suum esse negotium ea breviter complecti.

Ipso transitu τὰ δὲ κατὰ τὸν Ἰούδαν aperte demonstratur, epistolas illas ab ipso auctore esse praemissas, et quam arcte cum scopo eius libri cohaereant ipse statim pandit, cum inter prima, quae ad Iudam et fratres eius pertineant, non temporis serie sed dignitatis ordine efferat templi purificationem. De ea autem celebritate quotannis acta epistolae testimonium exhibent; eius cultus sublimitatem et sanctitatem testantur quae in altera epistola perhibentur de Moyse, Salomone, Ieremia, Nehemia. Quare hae epistolae intime nectuntur cum libri scopo atque consilio auctoris.

Recensentur a v. 20-24 quae Iason quinque libris complexus est et quae uno libro auctor comprehendere sibi proposuit. Τὰ δὲ κατὰ ea quae spectant seu pertinent ad Iudam etc.; quod additur Μακκαβαῖον, temporis posterioris nota est, quando iam necesse erat et usu introductum uti cognomine; simplici nomine 1,10 et 2,14 priscum denotatur tempus. Quem in finem scribat auctor statim prodit primo loco enumerans quod tempore quidem posterius est, sed quasi praemium exstitit laborum et pugnarum, et suam in templum venerationem exprimens *templi magni* et vide v. 23; de purificatione cf. 1 Mach. 4,43; fratres Iudae 1 Mach. 2, 2 seq.; Antiochus IV Epiphanes, cf. 1 Mach. 1,11.17 seq. 6,1-16; Eupator, agnomen Antiochi V filii Antiochi IV, de quo 1 Mach. 6,17. 2 Mach. 10,10; 13,1; de variis apparitionibus de coelo factis cf. 3,24; 5,2; 11,8. Huiusmodi apparitiones, manifestationes auxilii divini datae sunt iis qui pro lege et institutis sacris, ὑπὲρ τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ gloriose, φιλοτίμως veri honoris amantes tamquam viri praeclari eximie egerunt, ita quidem ut quamvis numero pauci essent (habita ratione multitudinis hostium), tamen universam regionem tamquam praedam agerent

hostibus ereptam, ὥστε λεηλατεῖν, et barbaras multitudines persequerentur v. 22, copias regis, ducum eius; vocantur βάρβαρα πλήθη utpote alienigenae, alieni a moribus et cultu Iudaeorum; cf. Ez. 21,31 36, Ps. 113,1 de Aegypto, de populo barbaro. Inter eorum res praeclaras praecipue refertur ἀνακομίσασθαι, quod ad usum sacrum recuperaverint templum περιβόητον celeberrimum, *famosissimum in toto orbe:* iam habes specimen quoddam μεγαληγορίας et iactantiae popularis — item gloriae eis vertitur merito ἐπανορθῶσαι, quod leges quas impii abrogare niterentur, in integrum restituerint, collapsas erexerint Domini clementia et gratia suffulti, ἐπιείκεια aequitas, lenitas, benignitas.

Haec longiore sermone enarrata brevi compendio auctor proponere vult v. 24, qua ratione sperat lectionem ipsam se effecturum iucundam, retentu facilem, utilem omnibus v. 25. 26; consideravit enim in illa longiore narratione non exiguam reperiri difficultatem, tum ob multitudinem *librorum* (vulg.) — quinque libris rem exposuit Iason — aliter graece, τὸ χῦμα τῶν ἀριθμῶν numerorum scil. annorum, copiarum, dierum ac mensium quibus singuli eventus acciderint, tum ob animi contentionem molestam, quae requiratur ob multitudinem materiae, si quis longioribus rerum gestarum disquisitionibus sese quasi involvere voluerit v. 25; εἰςκυκλεῖσθαι τοῖς τῆς ἱστορίας διηγήμασι, sese intromittere. Abbreviatione legentibus procurare vult ψυχαγωγίαν delectationem, voluptatem; iis qui historiae rerumque gestarum cognitionis amantes sunt, τοῖς φιλοφρονοῦσι, praebere optat modum facilem res memoriae tradendi, omnibus denique qui forte in librum inciderint, τοῖς ἐντυγχάνουσιν, utilitatem. Sibi tamen fatetur rem haud ita facile cessisse v. 27, loquitur de molestia excerpendi, de sudore et vigiliis. Accidisse nempe sibi idem quod evenire solet convivium paranti v. 28 qui omnium aliorum convivarum desideriis et utilitati prospicere debeat, ut scil. singulis provideat quod placeat; id quidem exigit laborem, οὐκ εὐχερὲς μὲν, attamen ratione habita approbationis et gratiarum actionis multorum eiusmodi molestia libenter suscipitur.

Iam ulterius exponit, qualem modum secuturus sit in expositione rerum v. 29-32; sibi scil. solum esse propositum brevitati studere in iis apte ad compendium redigendis quae fuse exsecutus sit Iason. Accuratam perscrutationem et expositionem singularum rerum relinquit historiographo, παραχωρήσαντες, id agendum rerum scriptori committit; sibi autem tribuit studium sequendi normas, regulas τῆς ἐπιτομῆς, epitomes, compendii, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς incedere secundum lineamenta, praecepta. Res gestas, materias historiae,

facta historica desumit ex libris Iasonis; confidit itaque Iasonem τὸ διακριβοῦν περὶ ἑκάστων fecisse, diligenter in eventus singulos inquisivisse; unde eius narrationem fide dignam certe habuit; alioquin non eam dignam iudicasset quam suis popularibus in compendium redactam traderet. Et quomodo illud τὸ μὲν... παραχωρήσαντες intelligendum sit, similitudine quadam ex alio genere deprompta ostendit v. 30; novae domus architectus curam habere debet totius structurae; debet aedificium domus erigere; sed pictor qui ad exornandam domum advocatur, solum ea exquirit quae apta sunt ut vario pingendi genere domum exornet; ἐγκαίειν inurere, picturam inurere, ceris pingere, encaustica pingere, cauteriis, cestris in ebore pingere; ζωγραφεῖν (animalia) pingere; ita etiam de me iudico οὕτω δοκῶ. Quid hac similitudine docemur? aliqui eam inveniunt ineptam, quia pictor non faciat epitomen, et epitomator opus non exornet (ita Reuss apud *Ks.*). Verum isti non attendunt, illustrari similitudine hac quod v. antecedenti dictum est, neque tamen epitomatorem pictori comparari. Pictor scil. non curam suam impendit ut domus bene et solide aedificetur, neque ut bona materia, lapides firmi adhibeantur etc.; sed si arcessitur ad domum exornandam, non ei in mentem venit dubitare de sinceritate ac fide architecti, qua scil. bonis materiis adhibitis firmam construxerit domum. Omnia in aedificio rite esse peracta tacite concedit architecto. Eodem modo auctor non in dubium vocat, sed supponit Iasonem diligenter suis partibus, suo officio functum esse; ei itaque tuto fidi posse in rerum narratione.

Diligenter singula explorare rerum scriptoris est, non epitomatoris; pariter illius est ἐμβατεύειν singula in enarratione persequi, singula quasi intrare narrando, καὶ περίπατον ποιεῖσθαι λόγων (ita *Fr.* 23.44.55 al.), vulgo περὶ πάντων π. λόγον de omnibus narrare; inquisitionem instituere rationum et causarum (λόγων), καὶ πολυπραγμονεῖν studiose indagare de singulis rebus, ἐν τοῖς κατὰ μέρος de particularibus conditionibus cuiuscumque rei gestae. Haec utique facere convenit τῷ τῆς ἱστορίας ἀρχηγέτῃ auctori historiae primario, qui scil. quasi dux aliis praeit; nomen hoc videtur selectum ob illam similitudinem τῆς καίνης οἰκίας ἀρχιτέκτονι v. 30. Aliud est epitomatoris munus v. 31: concisum, compendiosum dicendi genus diligenter prosequi, declinare seu evitare longiorem tractationem seu exsecutionem operis historici, πραγματείαν Polybius vocat et suum historiae opus (1,1.4; 1,3,1) et aliorum historias conscriptas (ita Phylarchi 2,56,3; cf. 5,33,8; Theopompi 8.11,1 etc.) et similiter Dionysius halicarn., Iosephus opus historicum πραγματείαν dicunt

(c. Ap. 1,9), item Diodorus sic. (20,2,1 cf. *Gr.*). Brevi itaque dictione utendum est ei qui longius opus in formam compendiariam transfert: μετάφρασις translatio in aliam dictionem, quae hoc loco concisa intelligitur.

Inde, ab his igitur incipiamus (ἀρξώμεθα) narrationem, ἐπιζεύξαντες postquam tantum adiunximus prooemio; πλεονάζειν verbosum, copiosum esse; ἐπιτέμνειν ipsam vero historiam concidere, i. e. brevem reddere; eius epitomen facere.

De v. 29-32 recenti tempore saepius actum est. In periodico Revue du Clergé français (15 août 1902; t. XXXI p. 650 seq.) scribit *O. Marcault :* L'auteur du IIe livre des Machabées nous prévient qu'il se propose avant tout de faire une œuvre littéraire, une œuvre intéressante et utile, mais qu'il laisse à l'historien la responsabilité des renseignements qu'il lui emprunte.

On a prétendu que Dieu avait préservé l'auteur des Machabées de toute erreur, sans qu'il s'en doutât. La chose est possible, mais il semble bien que Dieu ne s'y est pas engagé; autrement on ne comprendrait pas pourquoi il aurait poussé cet abréviateur à nous dire qu'il laisse à l'historien Iason la responsabilité de son récit. Car il ne faut pas l'oublier, la préface du IIe livre des Machabées est inspirée comme le reste du livre. C'est Dieu lui-même qui parle par la bouche de l'écrivain sacré. Cet exemple me paraît décisif en faveur de ceux qui croient que des inexactitudes de détail ne sont pas incompatibles avec l'inspiration des Livres saints. Je dis inexactitudes, et non erreurs, car l'écrivain sacré, dans le cas qui nous occupe, nous met en garde contre lui-même; et s'il se trouve dans son récit quelque détail matériellement erroné, l'erreur ne lui est pas imputable, mais au lecteur imprudent qui demande à un abrégé la rigoureuse exactitude que l'auteur inspiré de Dieu n'a pas voulu lui donner.

L'écrivain sacré n'a pas erré, puisqu'il n'a rien affirmé d'une façon ferme; d'autre part il n'a pas voulu nous tromper, puisqu'il nous avertit de n'accepter son récit que sous bénéfice d'inventaire. Si erreur il y a, elle ne peut venir que de notre ignorance et de notre présomption.

Le P. Durand a donc eu raison de recommander au lecteur des Livres saints de faire une critique aussi judicieuse que possible des documents « dont l'hagiographe ne pouvait juger que par à peu près ou même point du tout, mais que par inspiration divine il a néanmoins consignés dans son ouvrage ». L'exégète a non seulement le droit, mais le devoir de contrôler par lui-même les assertions dont l'écrivain sacré refuse de se porter garant.

Contra ea hanc posuit quaestionem in eodem periodico (1 oct. 1902; t. XXXII, p. 332) *Gayraud :* dans l'Église, le second livre des Machabées n'a-t-il pas d'autre autorité historique que celle de Iason de Cyrène? En d'autres termes, l'inspiration divine de l'écrivain sacré n'a-t-elle pas porté que sur le *fait* d'écrire et nullement sur la *vérité* des choses écrites?

Ut huic quaestioni respondeatur, illa poterunt afferri quae inter alia scripsit Durand S. I. in eodem periodico (1er déc. 1902; t. XXXIII, p. 24) : Le rôle d'abréviateur n'est pas incompatible avec l'inspiration. L'auteur du second livre des Machabées nous prévient qu'il veut s'en contenter; en fait d'histoire il se bornera à résumer de son mieux l'ouvrage que Iason de Cyrène avait composé en cinq livres.

Qu'il s'agisse de citation explicite ou implicite, de rapsodie ou de résumé, on peut dire en général qu'un historien, soucieux de renseigner ses lecteurs, est censé prendre à son compte les témoignages et documents qu'il introduit dans son propre texte sans le frapper d'aucune suspicion. S'il les rapporte pour alimenter ou justifier son récit, c'est qu'il les estime véridiques. En matière d'histoire, on peut arriver à se faire une certitude digne de ce nom, sans avoir pris soi-même contact avec les événements; il n'est pas non plus nécessaire de dépendre d'un texte écrit par un témoin immédiat. En dehors de ces conditions exceptionnellement favorables, il est permis à l'historien de croire savoir ce qu'il dit et de s'en porter garant. On ne doit pas supposer qu'un écrivain n'entend pas certifier son récit, mais le conclure, quand il y a lieu, à des indices positifs et non équivoques. Ériger en principe que les historiens ne croient pas à ce qu'ils écrivent, serait également contraire à l'expérience et à l'honnêteté. L'œuvre des historiens bibliques n'échappe à cette règle générale de l'herméneutique; elle a le droit d'en bénéficier. Nous n'avons pas à suspecter leur conviction aussi souvent qu'ils s'identifient avec le héros dont ils rapportent les discours, ou qu'un document profane a manifestement été accueilli par eux comme l'expression de leur propre pensée.

Etiam eo quod epitomator sit inspiratus ad epitomen operis Iasonis Cyrenaei faciendam concludi oportet opus illud fuisse secundum modum et rationem scribendi historiam fide dignum et utile ad pietatem fovendam et Dei circa populum suum providentiam ac protectionem ostendendam. Ipsum porro epitomatorem in eadem de opere opinione fuisse et ipsum epitomes faciendae consilium demonstrat et similitudine pictoris adhibita declaratur quoque. — Ceterum vide quoque Études 1903 I p. 226. Revue biblique VI p. 370.

PARS PRIOR

EVENTUS USQUE AD PURIFICATIONEM TEMPLI 3,1-10,9.

1. *Simonis malitia* 3,1-8.

3,1. *Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniae pontificis pietatem et animos odio habentes mala,* 2. *fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent et templum maximis muneribus illustrarent;* 3. *ita ut Seleucus Asiae rex de redditibus suis praestaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* 4. *Simon autem de tribu Beniamin praepositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri.* 5. *Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsaeae filium, qui eo tempore erat dux Coelesyriae et Phoenicis;* 6. *et nuntiavit ei pecuniis innumerabilibus plenum esse aerarium Ierosolymis, et communes copias immensas esse, quae non pertinent ad rationem sacrificiorum; esse autem possibile sub potestate regis cadere universa.* 7. *Cumque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis quae delatae erant, ille accitum Heliodorum qui erat super negotia eius misit cum mandatis, ut praedictam pecuniam transportaret.* 8. *Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Coelesyriam et Phoenicen civitates esset peragraturus, re vera autem regis propositum perfecturus.*

3,1. Τῆς ἁγίας τοίνυν πόλεως κατοικουμένης μετὰ πάσης εἰρήνης καὶ τῶν νόμων ἔτι κάλλιστα συντηρουμένων διὰ τὴν Ὀνίου τοῦ ἀρχιερέως εὐσέβειάν τε καὶ μισοπονηρίαν, 2. συνέβαινε καὶ αὐτοὺς τοὺς βασιλεῖς τιμᾶν τὸν τόπον καὶ τὸ ἱερὸν ἀποστολαῖς ταῖς κρατίσταις δοξάζειν, 3. ὥςτε καὶ Σέλευκον τὸν τῆς Ἀσίας βασιλέα χορηγεῖν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων πάντα τὰ πρὸς τὰς λειτουργίας τῶν θυσιῶν ἐπιβάλλοντα δαπανήματα. 4. Σίμων δέ τις ἐκ τῆς Βενιαμὶν φυλῆς προστάτης τοῦ ἱεροῦ καθεσταμένος διηνέχθη τῷ ἀρχιερεῖ περὶ τῆς κατὰ τὴν πόλιν ἀγορανομίας. 5. Καὶ νικῆσαι τὸν Ὀνίαν μὴ δυνάμενος ἦλθε πρὸς Ἀπολλώνιον Θρασαίου, τὸν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν Κοίλης Συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγόν, 6. καὶ προσήγγειλε περὶ τοῦ χρημάτων ἀμυθήτων γέμειν τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις γαζοφυλάκιον, ὥςτε τὸ πλῆθος τῶν διαφόρων ἀναρίθμητον εἶναι, καὶ μὴ προσήκειν αὐτὰ πρὸς τὸν τῶν θυσιῶν λόγον, εἶναι δὲ δυνατὸν ὑπὸ τὴν τοῦ βασιλέως ἐξουσίαν πεσεῖν ταῦτα. 7. Συμμίξας δὲ ὁ Ἀπολλώνιος τῷ βασιλεῖ περὶ τῶν μηνυθέντων αὐτῷ χρημάτων ἐνεφάνισεν· ὁ δὲ προχειρισάμενος Ἡλιόδωρον τὸν ἐπὶ τῶν πραγμάτων ἀπέστειλε δοὺς ἐντολὰς τὴν τῶν προειρημένων χρημάτων ἐκκομιδὴν ποιήσασθαι. 8. Εὐθέως δὲ ὁ Ἡλιόδωρος ἐποιεῖτο τὴν πορείαν, τῇ μὲν ἐμφάσει ὡς τὰς κατὰ Κοίλην Συρίαν καὶ Φοινίκην πόλεις ἐφοδεύσων, τῷ πράγματι δὲ τὴν τοῦ βασιλέως πρόθεσιν ἐπιτελέσων.

A praefatione ad ipsam historiam transitus fit voce τοίνυν *igitur*. Et prius quidem nobis exhibet auctor, quantum commodum attulerit

civitati sanctae pietas pontificis : sine ulla infestatione urbs habitabatur, legum observantia vigebat propter Oniae pietatem et odium mali μισοπονηρίαν, qui malum et improbitatem odio habet et abominatur, vindex est et propugnator iustitiae; Onias III intelligitur, ut recte *Lap.* habet. Eius auctoritate, exemplo, gubernandi ratione florens civitatis conditio efficiebatur et in tantam apud exteros quoque existimationem evehebatur civitas, ut reges ipsi locum honorarent i. e. templum optimis donariis exornarent; συνέβαινε contigit, cum quadam emphasi res effertur; ἀποστολαί cf. 1 Mach. 2,18. Saepius id evenisse ipsa verbi forma indicatur. Onias erat pontifex sub Antiocho III et Seleuco IV; Iosephus mentionem facit Ptolemaei II et Ptolemaei III Euergetis qui praeclara munera templo miserint (Ant. 12,2,4. 5. 15; c. Ap. 2,5; *K.*) et Antiochi III (Ant. 12,3,3). Auctor ipse unum nominat Seleucum, qui postea templum spoliare nitebatur; Seleucus IV Philopator, filius Antiochi Magni, regnavit 187-176; ὥστε καὶ ita ut etiam Seleucus praestaret; illud καὶ *etiam* Seleucus, vel uti pater eius, vel ipse ille qui postea pecunias templi rapere voluit; *omnes sumptus*, sed vide v. 6, ubi pars sumptuum ex templi thesauro solvitur, unde ipse auctor illud πάντα limitat. Dicitur rex Asiae, quem titulum reges Seleucidae retinebant, quamvis Antiochus Magnus, a Romanis victus, omnes regiones Asiae cis Taurum cedere debuisset — Mysiam, Lydiam, Phrygiam Romani dederunt Eumeni II (Livius 37,55; 38,39) — cf. 1 Mach. 8,6. 8; 11,13; 12,39; 13,32.

De Simone v. 4 nihil notum est nisi quod hoc loco traditur. Erat προστάτης τοῦ ἱεροῦ, sed quali munere functus sit, varie concipiunt : στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ cf. Act. 4,1; 5,24, praetor templi, qui praeerat excubiis templi; cum Anania pontifice Iosephus quoque nominat τὸν στρατηγὸν Ἄνανον (Ant. 20,6,2, et Bell. 6,5,3 οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες ἤγγειλαν τῷ στρατηγῷ); alii putant eum fuisse bonorum templi administratorem; praepositum in rebus politicis v. g. ut praeesset templi praediis, agris, redditibus, vel militibus ad templi custodiam deputatis (*Lap.*); eum fuisse occupatum curandis templi sartis tectis et annona vestibusque sacerdotum comparandis *Calm.* putat; alii ex v. 6 colligunt fuisse praepositum thesauris templi i. e. γαζοφύλαξ, custodem sacri aerarii (cf. Iosephus, Ant. 20,8,11; Bell. 6,8,3); verum talem custodiam homini non levitae, non sacerdoti esse commissam vix est credibile; duo γαζοφύλακες apud Iosephum nomina gerunt sacerdotalia : Helcias, Phinees (l. c.); neque in v. 6 eam pandit cognitionem pecuniarum templi, qua solus custos possit esse praeditus. Cum ἐκ τῆς φυλῆς lectio sit indubitata, φυλή autem de tribubus ex filiis Iacob ortis adhibeatur plerumque, raro de familia (cf. *Hatch*, Concordance

LXX, II p. 1444 sq.), omittenda est coniectura legendum esse pro Beniamin Miniamin, qua lectione scil. Simon adscriberetur sacerdotali generi (cf. 1 Par. 24,9. Neh. 12,5. 17). Melius cum aliis eius munus derivandum videtur ex lectione περὶ τῆς.. ἀγορανομίας (A. 23. 44. 52 al.); quae lectio, utpote difficilior, retinenda est contra aliam nimis facilem, quae vix aptum fundat sensum παρανομίας (S, vulg.); ἀγορανομία autem est munus ἀγορανόμου i. e. munus magistratus qui foro rerum venalium praeest, iisque et commercio invigilat, cui itaque, uti aedilibus romanis, cura annonae erat demandata. Tamquam ἀγορανόμος ea quoque procurasse censeri potest quae pro templo eiusque ministris requirebantur; unde titulum quendam honoris nactus est προστάτης τοῦ ἱεροῦ.

Iam inter Simonem et Oniam discordia orta est; Simon litigabat cum Onia, ab eo differebat in negotio praefecturae urbanae fori, quam praefecturam iudice Onia non κατὰ τὴν πόλιν administrabat modo urbi convenienti et utili. Cum Oniam ad suam sententiam pertrahere non valeret neque ipse contra Oniam eiusque auctoritatem id quod volebat perficere posset, ira inflammatus vindictam capere statuit. Se confert ad Apollonium, qui circa illud tempus στρατηγός praefectus erat Coelesyrias et Phoenices. Meminit Polybius (31,21,3) Apollonii cuiusdam qui plurimum gratia apud Seleucum valebat et qui, ubi ad Antiochum regnum fuit translatum, Miletum ex aula migravit, cuius filius, nomine Apollonius a Demetrio dux est constitutus (ita probabiliter; cf. 1 Mach. 10,69; Polybius 31,19,6 et 31,21,2). Apollonio indicavit Simon aerarium in Ierusalem plenum esse opibus ineffabilibus, ita ut copia pecuniarum numerari non possit neque pecunias illas competere, requiri ad rationem sacrificiorum; fieri posse ut in regis potestatem veniant. Apollonius autem, quamprimum regem convenit (συμμίσγειν 1 Mach. 11,22; 2 Mach. 13,3; 14,14) regem certiorem reddit de pecuniis sibi significatis; is commisit Heliodoro negotium illas pecunias afferendi; erat ὁ ἐπὶ τῶν πραγμάτων (cf. 1 Mach. 3,32), negotiis regni praepositus. Videtur idem esse Heliodorus, de quo scribit Appianus (Syr. 45), Seleucum, filium Antiochi Magni, insidiis obiisse alicuius Heliodori τινὸς τῶν περὶ τὴν αὐλήν, et Heliodorum regnum vi occupare conantem expulsum esse ab Eumene et Attalo, Antiochumque in possessionem regni deductum.

Statim Heliodorus v. 8 iter arripuit; sed ne quid sinistri Iudaei suspicantes pecunias removerent, absconderent, ita viam selegit quasi obiturus civitates Coelesyriae et Phoenices. — Simon ille ex thesauris illis quos indicaverat, si regi obvenissent, magnum sibi praemium promisit: homo igitur perfidus censeri potest abusum fuisse munere

ἀγορανόμου ad lucrum iniustum faciendum, ad res templi maiori pretio vendendas, ad pecunias iniuste extorquendas. Hisce cum Onias fortiter obsisteret et auctoritate sua machinationes Simonis eluderet, tandem Simon proditione thesaurorum templi adnisus est et vindictam capere de Onia et suae avaritiae satisfacere. At Deo rem aliter vertente spe sua excidit.

2. *Magnà de Heliodori consilio consternatio* 3,9-22.

3,9. *Sed cum venisset Ierosolymam, et benigne a summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum, et cuius rei gratia adesset, aperuit; interrogabat autem, si vere haec ita essent.* 10. *Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse haec et victualia viduarum et pupillorum;* 11. *quaedam vero esse Hircani Tobiae viri valde eminentis, in his quae detulerat impius Simon, universa autem argenti talenta esse quadringenta et auri ducenta;* 12. *decipi vero eos qui credidissent loco et templo, quod per universum mundum honoratur pro sui veneratione et sanctitate, omnino impossibile esse.* 13. *At ille pro his quae habebat in mandatis a rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda.* 14. *Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per universam civitatem erat trepidatio.*

15. *Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactaverunt se et invocabant de coelo eum, qui de depositis legem posuit, ut his qui deposuerant ea salva custodiret.* 16. *Iam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur; facies enim et color immutatus declarabat internum animi dolorem.* 17. *Circumfusa enim erat moestitia quaedam viro et horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur.* 18. *Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes pro eo quod in contemptum locus esset venturus.* 19. *Accinctaeque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant, sed et*

3,9. Παραγενηθεὶς δὲ εἰς Ἱεροσόλυμα καὶ φιλοφρόνως ὑπὸ τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς πόλεως ἀποδεχθεὶς ἀνέθετο περὶ τοῦ γεγονότος ἐμφανισμοῦ, καὶ τίνος ἕνεκεν πάρεστι διεσάφησεν· ἐπυνθάνετο δὲ εἰ ταῖς ἀληθείαις ταῦτα οὕτως ἔχοντα τυγχάνει. 10. Τοῦ δὲ ἀρχιερέως ὑποδείξαντος παραθήκας εἶναι χηρῶν τε καὶ ὀρφανῶν, 11. τινὰ δὲ καὶ Ὑρκανοῦ τοῦ Τωβίου σφόδρα ἀνδρὸς ἐν ὑπεροχῇ κειμένου, οὐχ ὥςπερ ἦν διαβάλλων ὁ δυςσεβὴς Σίμων, τὰ δὲ πάντα ἀργυρίου τετρακόσια τάλαντα, χρυσίου δὲ διακόσια· 12. ἀδικηθῆναι δὲ τοὺς πεπιστευκότας τῇ τοῦ τόπου ἁγιωσύνῃ καὶ τῇ τοῦ τετιμημένου κατὰ τὸν σύμπαντα κόσμον ἱεροῦ σεμνότητι καὶ ἀσυλίᾳ, παντελῶς ἀμήχανον εἶναι. 13. Ὁ δὲ Ἡλιόδωρος, δι' ἃς εἶχε βασιλικὰς ἐντολάς, πάντως ἔλεγεν εἰς τὸ βασιλικὸν ἀναληπτέα ταῦτα εἶναι. 14. Ταξάμενος δὲ ἡμέραν εἰςῄει τὴν περὶ τούτων ἐπίσκεψιν οἰκονομήσων· ἦν δὲ οὐ μικρὰ καθ' ὅλην τὴν πόλιν ἀγωνία.

15. Οἱ δὲ ἱερεῖς πρὸ τοῦ θυσιαστηρίου ἐν ταῖς ἱερατικαῖς στολαῖς ῥίψαντες ἑαυτοὺς ἐπεκαλοῦντο εἰς οὐρανὸν τὸν περὶ παραθήκης νομοθετήσαντα τοῖς παρακαταθεμένοις ταῦτα σῶα διαφυλάξαι. 16. Ἦν δὲ ὁρῶντα τὴν τοῦ ἀρχιερέως ἰδέαν τιτρώσκεσθαι τὴν διάνοιαν· ἡ γὰρ ὄψις καὶ τὸ τῆς χρόας παρηλλαγμένον ἐνέφαινε τὴν κατὰ ψυχὴν ἀγωνίαν. 17. Περιεκέχυτο γὰρ περὶ τὸν ἄνδρα δέος τι καὶ φρικασμὸς σώματος, δι' ὧν πρόδηλον ἐγένετο τοῖς θεωροῦσι τὸ κατὰ καρδίαν ἐνεστὸς ἄλγος. 18. Οἱ δὲ ἐκ τῶν οἰκιῶν ἀγεληδὸν ἐξεπήδων ἐπὶ πάνδημον ἱκετείαν διὰ τὸ μέλλειν εἰς καταφρόνησιν ἔρχεσθαι τὸν τόπον. 19. Ὑπεζωσμέναι δὲ ὑπὸ τοὺς μαστοὺς αἱ γυναῖκες σάκκους κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐπλήθυον· αἱ δὲ κατάκλειστοι τῶν παρθένων, αἱ μὲν συνέτρεχον ἐπὶ

virgines quae conclusae erant procurrebant ad Oniam, aliae autem ad muros, quaedam vero per fenestras aspiciebant; 20. universae autem protendentes manus in coelum deprecabantur. 21. Erat enim misera commistae multitudinis et magni sacerdotis in agone constituti exspectatio. 22. Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur.

τοὺς πυλῶνας, αἱ δὲ ἐπὶ τὰ τείχη, τινὲς δὲ διὰ τῶν θυρίδων διεξέκυπτον· 20. πᾶσαι δὲ προτείνουσαι τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐποιοῦντο τὴν λιτανείαν. 21. Ἐλεεῖν δ' ἦν τὴν τοῦ πλήθους παμμιγῆ πρόπτωσιν τήν τε τοῦ μεγάλως διαγωνιῶντος ἀρχιερέως προςδοκίαν. 22. Οἱ μὲν οὖν ἐπεκαλοῦντο τὸν παντοκράτορα Θεὸν τὰ πεπιστευμένα τοῖς πεπιστευκόσι σῶα διαφυλάσσειν μετὰ πάσης ἀσφαλείας.

Heliodorus in urbe benevole exceptus est, utpote a rege missus, cuius imperio Iudaei subiecti erant; S exceptus cum multo honore a pontifice et a civitate; legit itaque καὶ τῆς πόλεως, uti 23. 55. 62. 64. 93, quae lectio praeferenda videtur, quia pontifex urbis certe est dictio satis mira. Quid Simon indicaverit exponit; pariter cur missus sit: interrogat, retuleritne Simon vera v. 9. Onias ei declarat esse deposita viduarum et orphanorum; esse itaque pecunias, quas viduae et tutores orphanorum templo, utpote loco sacrosancto ac tutissimo commiserint; alia quaedam esse Hyrcani, viri praeclarissimi — de Hyrcano nepote Tobiae narratur apud Iosephum, Ant. 12,4,6 seq.; eum hic commemorari aliqui putabant aliis merito negantibus — οὐχ ὥςπερ rem autem se non ita habere, uti impius Simon calumniatus sit. Reposita erant in templo 400 talenta argenti et 200 auri. Talentum syrum non uno modo aestimatur; talentum leve 30,3 Kgr; aliud talentum 34,1 Kgr; aliud 40,92 Kgr; aliud 43,66 Kgr (cf. *Nissen*, Metrologie in 1 tomo Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft p. 846). Talentum argenti aequare 7500 M, talentum auri 135000 M aestimat *Riehm-Baethgen* (Handwoerterbuch des biblischen Altertums II p. 1634); ita si talenta hebraea intelliguntur, quae tamen ab aliis paulo aliter aestimantur; auri talentum 90000 M; argenti 7800 M.); talentum auri gravius 6150 L (libras anglicas), levius 3075 L; talentum argenti Phoenices gravius 410 L, levius 205 L; argenti Babylonis gravius 615 L, levius 307 L (cf. *Cheyne-Black*, Encyclopaedia biblica v. s. Shekel). Dein exposuit Onias, *decipi*, ἀδικηθῆναι summam iniuriam iis inferri qui pecuniam suam sanctitati inviolabili templi celeberrimi tradidissent, si pecuniae in alienum usum auferrentur; nullo pacto fieri posse, ut illorum fiducia deciperetur, quam in dignitate et inviolabilitate ἀσυλίᾳ templi posuissent v. 12. Verum frustra; Heliodorus mandata regis praetendens, omnino in aerarium regium εἰς τὸ βασιλικόν (cf. 1 Mach. 13,15) pecunias esse transferendas affirmabat v. 13. Et die statuta intravit, ut de illis pecuniis inspectionem cape-

ret; consultum erat prius inspicere et explorare, qualia pecuniarum genera adessent, quo facilius modum ea asportandi decerneret et praepararet.

Quam primum autem intentio Heliodori innotuit per urbem, maximo quodam angore omnium animi corripiebantur; et sacerdotes quidem vestibus sacris induti, ut scil. sua sacerdotali dignitate coram Deo exhibita Deum flecterent ad misericordiam, prosternebant se ante altare et clamabant εἰς τὸν οὐρανὸν et eum invocabant qui de depositis leges tulerat, ut illa servaret integra iis qui deposuerant; cf. Ex. 22,6. Narrat Iosephus Alexandro regi obviam ivisse sacerdotes in byssinis tunicis et pontificem in veste hyacinthina et auro distincta atque tiaram in capite gerentem (Ant. 11,8,5); etiam ibi periculum imminens avertere conati sunt manifestata dignitate sacerdotali. Summum animi moerorem cernebant omnes in vultu pontificis expressum, ita ut quicumque in eum oculos intenderet, quasi vulnere doloris se percussum sentiret, τιτρώσκεσθαι τὴν διάνοιαν mente, animo sauciari. Totus enim corporis habitus et tremor quidam moestitiam manifestabat et animi conflictationem aspicientibus pandebat v. 17. Cives quoque magna trepidatione continebantur: gregatim ex domibus prosiliebant ad publicam supplicationem pro contumelia et contemptu loci sacri; A διὰ τὸ μὴ μέλλειν, S propter templum, ne esset in derisum et contemptum. Mulieres quoque sub pectus saccis (ciliciis; cf. 1 Mach. 2,14) accinctae magno numero per vias vagabantur; virgines etiam, quae alias nequaquam in publicum prodire solebant, aliae currebant ad portas (gr. S), aliae ad muros, aliae ex fenestris prospiciebant.

Manus in coelum protendentes ἐποιοῦντο τὴν λιτανείαν faciebant supplicationem v. 21. Erat miseratione digna vulgi ex omni genere iuncta prostratio, ἐλεεῖν δ' ἦν licebat misereri, τὴν παμμιγῆ πρόπτωσιν prostrationem quae ex omni hominum ordine et aetate varia quasi efficitur et coalescit. Omnes autem Deum invocabant omnipotentem, ut deposita servaret cum omni securitate iis qui deposita tradiderant; τὰ πεπιστευμένα concredita τοῖς πεπιστευκόσι qui bona fide illa commiserant templo.

3. *Heliodoro quid acciderit* 3,23-40.

3,23. *Heliodorus autem quod decreverat perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa aerarium praesens;* 24. *sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suae ostensionis evidentiam, ita ut omnes qui ausi fuerant parere ei,*

3,23. Ὁ δὲ Ἡλιόδωρος τὸ διεγνωσμένον ἐπετέλει· αὐτόθι δὲ αὐτοῦ σὺν τοῖς δορυφόροις κατὰ τὸ γαζοφυλάκιον ἤδη παρόντος, 24. ὁ τῶν πατέρων κύριος καὶ πάσης ἐξουσίας δυνάστης ἐπιφάνειαν μεγάλην ἐποίησεν, ὥςτε πάντας τοὺς κατατολμήσαντας συνελθεῖν κατα-

ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur. 25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus; isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat videbatur arma habere aurea. 26. Alii etiam apparuerunt duo iuvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant sine intermissione multis plagis verberantes. 27. Subito autem Heliodorus concidit in terram eumque multa caligine circumfusum rapuerunt atque in sella gestatoria positum eiecerunt; 28. et is qui cum multis cursoribus et satellitibus praedictum ingressus est aerarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente manifesta Dei cognita virtute. 29. Et ille quidem per divinam virtutem iacebat mutus, atque omni spe et salute privatus. 30. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum, et templum quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino gaudio et laetitia impletum est.

31. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vitam donaret ei qui in supremo spiritu erat constitutus. 32. Considerans autem summus sacerdos ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Iudaeis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. 33. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem iuvenes eisdem vestibus amicti astantes Heliodoro dixerunt: Oniae sacerdoti gratias age; nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. 34. Tu autem a Deo flagellatus nuntia omnibus magnalia Dei et potestatem. Et his dictis non comparuerunt. 35. Heliodorus autem hostia Deo oblata et votis magnis promissis ei qui vivere illi concessit, et Oniae gratias agens recepto exercitu repedabat ad regem. 36. Testabatur autem omnibus ea quae sub oculis suis viderat opera magna Dei.

πλαγέντας τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν εἰς ἔκλυσιν καὶ δειλίαν τραπῆναι. 25. Ὤφθη γάρ τις ἵππος αὐτοῖς φοβερὸν ἔχων τὸν ἐπιβάτην καὶ καλλίστῃ σαγῇ διακεκοσμημένος, φερόμενος δὲ ῥύδην ἐνέσεισε τῷ Ἡλιοδώρῳ τὰς ἐμπρόσθιους ὁπλάς· ὁ δὲ ἐπικαθήμενος ἐφαίνετο χρυσῆν πανοπλίαν ἔχων. 26. Ἕτεροι δὲ δύο προεφάνησαν αὐτῷ νεανίαι τῇ ῥώμῃ μὲν ἐκπρεπεῖς, κάλλιστοι δὲ τῇ δόξῃ, διαπρεπεῖς δὲ τὴν περιβολήν· οἳ καὶ παραστάντες ἐξ ἑκατέρου μέρους ἐμαστίγουν αὐτὸν ἀδιαλείπτως πολλὰς ἐπιρριπτοῦντες αὐτῷ πληγάς. 27. Ἄφνω δὲ πεσόντα πρὸς τὴν γῆν καὶ πολλῷ σκότει περιχυθέντα συναρπάσαντες καὶ εἰς φορεῖον ἐνθέντες, 28. τὸν ἄρτι μετὰ πολλῆς παραδρομῆς καὶ πάσης δορυφορίας εἰς τὸ προειρημένον εἰςελθόντα γαζοφυλάκιον ἔφερον ἀβοήθητον ἑαυτῷ καθεστῶτα, φανερῶς τὴν τοῦ Θεοῦ δυναστείαν ἐπεγνωκότες. 29. Καὶ ὁ μὲν διὰ τὴν θείαν ἐνέργειαν ἄφωνος καὶ πάσης ἐστερημένος ἐλπίδος καὶ σωτηρίας ἔρριπτο. 30. Οἱ δὲ τὸν Κύριον εὐλόγουν τὸν παραδοξάζοντα τὸν ἑαυτοῦ τόπον, καὶ τὸ μικρῷ πρότερον δέους καὶ ταραχῆς γέμον ἱερὸν τοῦ παντοκράτορος ἐπιφανέντος Κυρίου, χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης ἐπεπλήρωτο.

31. Ταχὺ δέ τινες τῶν τοῦ Ἡλιοδώρου συνήθων ἠξίουν τὸν Ὀνίαν ἐπικαλέσασθαι τὸν ὕψιστον καὶ τὸ ζῆν χαρίσασθαι τῷ παντελῶς ἐν ἐσχάτῃ πνοῇ κειμένῳ. 32. Ὑποπτος δὲ γενόμενος ὁ ἀρχιερεὺς μήποτε διάληψιν ὁ βασιλεὺς σχῇ κακουργίαν τινὰ περὶ τὸν Ἡλιόδωρον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων συντετελέσθαι, προσήγαγε θυσίαν ὑπὲρ τῆς τοῦ ἀνδρὸς σωτηρίας. 33. Ποιουμένου δὲ τοῦ ἀρχιερέως τὸν ἱλασμὸν οἱ αὐτοὶ νεανίαι πάλιν ἐφάνησαν τῷ Ἡλιοδώρῳ ἐν ταῖς αὐταῖς ἐσθήσεσιν ἐστολισμένοι καὶ στάντες εἶπον· πολλὰς τῷ Ὀνίᾳ τῷ ἀρχιερεῖ χάριτας ἔχε, διὰ γὰρ αὐτόν σοι κεχάρισται τὸ ζῆν ὁ Κύριος. 34. Σὺ δὲ ἐξ οὐρανοῦ μεμαστιγωμένος διάγγελε πᾶσι τὸ μεγαλεῖον τοῦ Θεοῦ κράτος. Ταῦτα δὲ εἰπόντες ἀφανεῖς ἐγένοντο. 35. Ὁ δὲ Ἡλιόδωρος θυσίαν ἀνενέγκας τῷ Κυρίῳ καὶ εὐχὰς μεγίστας εὐξάμενος τῷ τὸ ζῆν περιποιήσαντι, καὶ τὸν Ὀνίαν ἀποδεξάμενος ἀνεστρατοπέδευσε πρὸς τὸν βασιλέα. 36. Ἐξεμαρτύρει δὲ πᾶσιν ἅπερ ἦν ὑπ' ὄψιν τεθεαμένος ἔργα τοῦ μεγίστου Θεοῦ.

37. *Cum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait :* 38. *si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem, mitte illuc et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit; eo quod in loco sit vere Dei quaedam virtus.* 39. *Nam ipse qui habet in coelis habitationem, visitator et adiutor est loci illius et venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.*

40. *Igitur de Heliodoro et aerarii custodia ita res se habet.*

37. Τοῦ δὲ βασιλέως ἐπερωτήσαντος τὸν Ἡλιόδωρον, ποῖός τις εἴη ἐπιτήδειος ἔτι ἅπαξ διαπεμφθῆναι εἰς Ἱεροσόλυμα, ἔφησεν· 38. εἴ τινα ἔχεις πολέμιον ἢ πραγμάτων ἐπίβουλον, πέμψον αὐτὸν ἐκεῖ καὶ μεμαστιγωμένον αὐτὸν προσδέξῃ, ἐάνπερ καὶ διασωθῇ, διὰ τὸ περὶ τὸν τόπον ἀληθῶς εἶναί τινα Θεοῦ δύναμιν. 39. Αὐτὸς γὰρ ὁ τὴν κατοικίαν ἐπουράνιον ἔχων ἐπόπτης ἐστὶ καὶ βοηθὸς ἐκείνου τοῦ τόπου καὶ τοὺς παραγινομένους ἐπὶ κακώσει τύπτων ἀπολλύει.

40. Καὶ τὰ μὲν κατὰ Ἡλιόδωρον καὶ τὴν τοῦ γαζοφυλακίου τήρησιν οὕτως ἐχώρησεν.

Publica moestitia et obsecratione Heliodorus minime a proposito recedendum esse existimavit, ἐπετέλει conatus est perficere quod decrevit, imperfectum de conatu; unde S : Heliodorus autem studuit perficere propositum propter quod venerat, et coepit intrare in aerarium. Graece : ibi autem, cum ipse iam iuxta aerarium cum satellitibus adesset, patrum Dominus et omnis potentiae dominator eximiam fecit apparitionem, ὁ τῶν πατέρων κύριος patriarcharum et maiorum qui curam ac dominationem ac providentiam exercuit; sed haec dictio est singularis; A et plures minusculi et S praebent : dominus spirituum πνευμάτων (cf. Eccli. 39,33. Hebr. 1,14), id quod hoc loco valde consentaneum est, dum per angelos apparentes Heliodorus castigatur, unde valet illud Eccli. : sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt. Ex illa apparitione omnes qui ausi erant συνελθεῖν eius esse comites, scil. δορυφόροι hastati, satellites, virtute Dei vehementer percussi εἰς ἔκλυσιν in deliquium et formidinem coniiciebantur v. 24. Iam describitur illa ἐπιφάνεια : visus enim est ab illis equus quidam cum terribili equite exornatus pulcherrimis ephipiis, qui equus impetu invectus crebro (ῥύδην, confertim, sine intermissione) concussit in Heliodorum anteriores ungulas; equi enim calcitrando pugnant (Lap.); ungulas anteriores impegit in eum eumque percussit v. 25. Insuper apparuerunt duo iuvenes, robore eximii, splendore pulcherrimi, speciosi amictu, qui ex utraque parte adstantes Heliodorum incessanter flagellabant v. 26. Angeli apparere saepius dicuntur iuvenes, splendore circumfusi; cf. Matth. 28,3. Marc. 16,5; Luc. 2,9; 24,4; Act. 10,30. Apoc. 10,1.

Itaque Heliodorus prostratus est in terram, expertus deliquium i. e. multa caligine circumfusus; et talem eripientes impositum in lectica extulerunt. Oppositionem inter introitum et exitum bene delineat auctor v. 28; μετὰ πολλῆς παραδρομῆς cum multo comitatu καὶ πάσης δο-

φορείας cum toto satellitio ingressus est; verum eum omni auxilio destitutum, plane inopem effectum extulerunt clare agnoscentes Dei dominationem. In quam conditionem redactus sit, declaratur v. 29; ex quo statu etiam sequitur in v. 28 lectionem A 52. 54. 74 al ἐπεγνωκότα minus convenire; nam quamvis revera in se expertus sit dominium Dei, tamen in ea conditione non potest dici agnovisse; reliqui poterant dici aperte illud cognovisse. Quem sensum S exprimit: visa est aperte virtus Dei. Iudaei autem glorificabant Deum, τὸν παραδοξάζοντα qui singulari modo, extraordinario modo locum sibi sacrum illustrem reddit, ita ut id per modum attributi de Deo enuntietur. Eo eventu templum quod paulo antea homines timentes et perturbati impleverunt, iam gaudio et laetitia resonabat vocibus Deum glorificantium; dicitur *apparente Domino*, cuius scil. voluntas per angelos est in opus deducta, qui per angelos se suamque potentiam manifestavit, sicuti orantes et deprecantes Deum invocaverant (v. 15. 22), unde merito dicitur ipsa precum exauditio eo eventu manifestata apparitio Dei omnipotentis.

Sine mora aliqui ex amicis Heliodori seu familiaribus (συνήθων) rogabant Oniam ut apud Altissimum (ita saepius vocatur Deus Iudaeorum ab alienigenis, cf. Gen. 14,18. 19. Is. 14,14. Dan. 3,26. 32) intercederet pro vita eius; ἐν ἐσχάτῃ πνοῇ κεῖσθαι ultimum halitum trahere, in ultimis esse. Petitioni acquievit eo facilius, quia ipse necessario suspicari debebat, fieri omnino posse, ut rex eventum illum machinationibus et malitiae Iudaeorum adscriberet; ὕποπτος, hoc loco idem atque ὑπόπτης suspiciosus; διάληψιν ἔχειν opinionem habere v. 32. Obtulit itaque sacrificium pro eius salute; sacrificium scil. expiationis seu propitiationis, ποιουμένου τὸν ἱλασμόν v. 33, sacrificium pro peccato, quod ipsa voluntate sacrilegium faciendi commissum erat. Dum Onias expiationem perageret, iidem iuvenes adstiterunt Heliodoro monentes, ut maximas ageret gratias Oniae; διὰ γὰρ αὐτόν eius itaque supplicatione, quae ipsa oblatione sacrificii continebatur et exprimebatur, vitam gratiose donari a Domino v. 33. Ipse autem ἐξ οὐρανοῦ (A, 44. 52. 55. al) coelitus, a Deo (S, vulg) flagellatus, scil. ministerio coelicolarum, iubetur Dei eximiam potestatem omnibus nuntiare; ἀφανεῖς ἐγένοντο disparuerunt.

Ipse quoque Heliodorus sanitati restitutus sacrificium pro se offerendum curavit et maxima vota vovit ei qui vitam sibi denuo acquisivit, ἀποδεξάμενος amice excepit Oniam, S eum valde honoravit, et cum exercitu (i. e. satellitibus et hastatis v. 28) rediit ad regem. Iussa fecit v. 36, annuntians quae viderat opera Dei. Rex autem pecuniis renuntiare minime cupiens et conatum irritum attribuens errori cuidam

Heliodori eum interrogat, ποῖός τις qualis aptus esset qui adhuc semel mitteretur? Praeclaram recipit responsionem v. 38: πραγμάτων ἐπίβουλον, bene vulg. regni, negotiorum gerendorum cupidum; προσδέξῃ recipies (? vulg, S) vel: debebis exspectare eum flagellatum, si omnino vivus evaserit; ἐάνπερ καὶ maxima effertur dubitatio; nam Dei quandam virtutem ibi esse efficacem est evidens; etenim qui coelestem habitationem incolit, ipse est inspector, vindex, adiutor loci illius; v. 40 ἐχώρησε talem habuit successum.

Simili forma auxilium divinum exhibitum est ministro Elisei (4 Reg. 6,17): et vidit et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisei; Elias curru igneo et equis igneis raptus est (4 Reg. 2,11): Zachariae forma equorum atque equitum pariter angeli ostensi sunt (1,8-12). Servavit Iosephus fragmentum ex Polybio, quod ad narrationem nostram referri omnino videtur; ex textu critice restituto a Dindorf ita habet: ὑπὲρ οὗ (i. e. de templo in Ierusalem) καὶ πλεῖον λέγειν ἔχοντες, καὶ μάλιστα περὶ τῆς γενομένης περὶ τὸ ἱερὸν ἐπιφανείας, εἰς ἕτερον καιρὸν ὑπερθήσομεν τὴν διήγησιν (cf. Iosephus, Ant. 12,3,3. Polyb. 16,39,5). Polybius autem erat familiaris Demetrii I filii Seleuci IV (cf. Polyb. 31,19,4 seq.); a quo de illo eventu edoceri potuit.

4. *Simonis et Iasonis facinora* 4,1-17.

4,1. Simon autem praedictus pecuniarum et patriae delator, male loquebatur de Onia, tamquam ipse Heliodorum instigasset ad haec et ipse fuisset incentor malorum; 2. provisoremque civitatis ac defensorem gentis suae et aemulatorem legis Dei audebat insidiatorem regni dicere. 3. Sed cum inimicitiae in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent, 4. considerans Onias periculum contentionis et Apollonium insanire, utpote ducem Coelesyriae et Phoenicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit, 5. non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universae multitudinis considerans. 6. Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare a stultitia sua.

7. Sed post Seleuci vitae excessum, cum suscepisset regnum Antiochus qui Nobilis appellatur, ambiebat Iason fra-

4,1. Ὁ δὲ προειρημένος Σίμων ὁ τῶν χρημάτων καὶ τῆς πατρίδος ἐνδείκτης γεγονὼς ἐκακολόγει τὸν Ὀνίαν, ὡς αὐτός τε εἴη τὸν Ἡλιόδωρον ἐπισεσεικὼς καὶ τῶν κακῶν δημιουργὸς καθεστηκώς. 2. Καὶ τὸν εὐεργέτην τῆς πόλεως καὶ τὸν κηδεμόνα τῶν ὁμοεθνῶν καὶ ζηλωτὴν τῶν νόμων ἐπίβουλον τῶν πραγμάτων ἐτόλμα λέγειν. 3. Τῆς δὲ ἔχθρας ἐπὶ τοσοῦτον προβαινούσης ὥςτε καὶ διά τινος τῶν ὑπὸ τοῦ Σίμωνος δεδοκιμασμένων φόνους συντελεῖσθαι, 4. συνορῶν ὁ Ὀνίας τὸ χαλεπὸν τῆς φιλονεικίας, καὶ Ἀπολλώνιον μαίνεσθαι ὡς τὸν Κοίλης Συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγὸν συναύξοντα τὴν κακίαν τοῦ Σίμωνος, ὡς τὸν βασιλέα διεκομίσθη, 5. οὐ γινόμενος τῶν πολιτῶν κατήγορος, τὸ δὲ συμφέρον κοινῇ κατ' ἰδίαν παντὶ τῷ πλήθει σκοπῶν. 6. Ἑώρα γὰρ ἄνευ βασιλικῆς προνοίας ἀδύνατον εἶναι τυχεῖν εἰρήνης ἔτι τὰ πράγματα, καὶ τὸν Σίμωνα παῦλαν οὐ ληψόμενον τῆς ἀνοίας.

7. Μεταλλάξαντος δὲ τὸν βίον Σελεύκου καὶ παραλαβόντος τὴν βασιλείαν Ἀντιόχου τοῦ προσαγορευθέντος Ἐπιφανοῦς ὑπενόθευσεν

ter Oniae summum sacerdotium, 8. adito rege promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta et ex redditibus aliis talenta octoginta; 9. super haec promittebat et alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur gymnasium et ephebiam sibi constituere et eos qui in Ierosolymis erant Antiochenos scribere. 10. Quod cum rex annuisset et obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre coepit; 11. et amotis his quae humanitatis causa Iudaeis a regibus fuerant constituta, per Ioannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia et societate functus est legatione, legitima civium iura destituens prava instituta sanciebat. 12. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.

13. Erat autem hoc non initium sed incrementum quoddam et profectus gentilis et alienigenae conversationis propter impii et non sacerdotis Iasonis nefarium et inauditum scelus; 14. ita ut sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo et sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palaestrae et praebitionis eius iniustae et in exercitiis disci; 15. et patrios quidem honores nihil habentes graecas glorias optimas arbitrabantur. 16. Quarum gratia periculosa eos contentio habebat et eorum instituta aemulabantur ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes et peremptores habuerant. 17. In leges enim divinas impie agere impune non cedit; sed hoc tempus sequens declarabit.

Ἰάσων ὁ ἀδελφὸς Ὀνίου τὴν ἀρχιερωσύνην, 8. ἐπαγγειλάμενος τῷ βασιλεῖ δι' ἐντεύξεως ἀργυρίου τάλαντα ἑξήκοντα πρὸς τοῖς τριακοσίοις καὶ προσόδου τινὸς ἄλλης τάλαντα ὀγδοήκοντα. 9. πρὸς δὲ τούτοις ὑπισχνεῖτο καὶ ἕτερα διαγράψαι πεντήκοντα πρὸς τοῖς ἑκατόν, ἐὰν συγχωρηθῇ διὰ τῆς ἐξουσίας αὐτοῦ γυμνάσιον καὶ ἐφηβαῖον αὐτῷ συστήσασθαι καὶ τοὺς ἐν Ἱεροσολύμοις Ἀντιοχεῖς ἀναγράψαι. 10. Ἐπινεύσαντος δὲ τοῦ βασιλέως καὶ τῆς ἀρχῆς κρατήσας, εὐθέως ἐπὶ τὸν Ἑλληνικὸν χαρακτῆρα τοὺς ὁμοφύλους μετῆγε· 11. καὶ τὰ κείμενα τοῖς Ἰουδαίοις φιλάνθρωπα βασιλικὰ διὰ Ἰωάννου τοῦ πατρὸς Εὐπολέμου τοῦ ποιησαμένου τὴν πρεσβείαν ὑπὲρ φιλίας καὶ συμμαχίας πρὸς τοὺς Ῥωμαίους, παρώσατο· καὶ τὰς μὲν νομίμους καταλύων πολιτείας παρανόμους ἐθισμοὺς ἐκαίνιζεν. 12. Ἀσμένως γὰρ ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν γυμνάσιον καθίδρυσε καὶ τοὺς κρατίστους τῶν ἐφήβων ὑποτάσσων ὑπὸ πέτασον ἦγεν.

13. Ἦν δ' οὕτως ἀκμή τις Ἑλληνισμοῦ καὶ πρόσβασις ἀλλοφυλισμοῦ διὰ τὴν τοῦ ἀσεβοῦς καὶ οὐκ ἀρχιερέως Ἰάσωνος ὑπερβάλλουσαν ἀναγνείαν, 14. ὥστε μηκέτι περὶ τὰς τοῦ θυσιαστηρίου λειτουργίας προθύμους εἶναι τοὺς ἱερεῖς, ἀλλὰ τοῦ μὲν νεὼ καταφρονοῦντες καὶ τῶν θυσιῶν ἀμελοῦντες ἔσπευδον μετέχειν τῆς ἐν παλαίστρᾳ παρανόμου χορηγίας μετὰ τὴν τοῦ δίσκου πρόκλησιν, 15. καὶ τὰς μὲν πατρῴους τιμὰς ἐν οὐδενὶ τιθέμενοι, τὰς δὲ Ἑλληνικὰς δόξας καλλίστας ἡγούμενοι. 16· Ὧν καὶ χάριν περιέσχεν αὐτοὺς χαλεπὴ περίστασις καὶ ὧν ἐζήλουν τὰς ἀγωγὰς καὶ καθάπαν ἤθελον ἐξομοιοῦσθαι, τούτους πολεμίους καὶ τιμωρητὰς ἔσχον. 17. Ἀσεβεῖν γὰρ εἰς τοὺς θείους νόμους οὐ ῥᾴδιον, ἀλλὰ ταῦτα ὁ ἀκόλουθος καιρὸς δηλώσει.

Narratio arcte adnectitur ad antecedentia; quod 3,40 habetur τὰ μὲν, hoc loco excipitur quasi et continuatur ὁ δὲ, de Simone cf. 3,4; ἐνδείκτης qui indicavit, *delator*, qui prodidit non solum pecunias, sed patriam quoque, ei scil. damna inferendo, uti statim declaratur; accusavit enim Oniam, quod ipse Heliodorum *instigasset*, ἐπισεσεικώς (cf. 3,25 ἐνέσεισε) i. e. concussisset, terruisset, male tractasset et ita factus esset malorum architectus. Simonis malitia describitur v. 2;

eum scil. qui benefactor erat civitatis et optimam gessit curam contribulium et qui erat zelator legum, observantissimus legum, eum ausus est nominare *insidiatorem regni;* cf. 3,38 πραγμάτων, i.e. adversarium et inimicum negotiorum publicorum seu dominationis constitutae. Ii qui a partibus Simonis erant οἱ δεδοκιμασμένοι qui ab ipso approbati erant, familiares explorati, in tantum audaciae et inimicitiarum progressi sunt, ut a caedibus non abstinerent v. 3. Qua in rerum conditione Onias bene perspexit τὸ χαλεπὸν τῆς φιλονεικίας, quantum molestiae eiusmodi rixis ac concertationibus crearetur bono publico; praeterea intellexit Apollonium pro sua dignitate ducis, praefecti Coelesyriae et Phoenices augere malitiam Simonis; tantopere quippe insanire Apollonium vidit Onias. Hisce itaque rationibus ductus Onias ad regem se contulit, non ut civium accusator, sed potius id spectans quod κοινῇ κατ' ἰδίαν communiter et privatim toti populo prodesset, quod igitur toti reipublicae communiter et singulis quoque utile ac commodum esset. Nam propter machinationes Simonis, et asseclarum eius et propter auxilium quod Apollonius quasi insaniens auctoritate sua ei praestabat, Oniae persuasum erat pacem rebus publicis sola cura regis restitui adhuc posse, neque aliter Simonem recessurum ac quieturum a temeritate et insania.

Non narratur effeceritne quidquam apud regem. Videtur mox post Oniae ad regem profectionem Seleucum e vivis excessisse; regnavit Seleucus IV Philopator 187-175; uti Appianus refert, insidiis Heliodori τινὸς τῶν περὶ τὴν αὐλήν Seleucus diem obiit; Heliodorum vero regnum vi occupare conantem expulerunt Eumenes et Attalus, Antiochumque in possessionem regni deduxerunt (Syr. 45). De Onia vide ad v. 34. Praeter Simonem alius plurima mala populo intulit; nam Iason, frater Oniae, a successore Seleuci, ab Antiocho Epiphane (cf. 1 Mach. 1,10) multa pecunia obtinuit summum sacerdotium; fratrem ergo Oniam ex ea dignitate eiecit rege pecuniis corrupto et in suas partes adducto. Μεταλλάξαντος τὸν βίον vitam commutare sc. cum morte i. e. obire, vita excedere v. 7; Iason, proprie Iesus vocatus, Ἰάσωνα ἑαυτὸν μετωνόμασεν (Iosephus, Ant. 12,5,1) studio sese iam nomine Graecis commendandi. Is ambiebat, ὑπενόθευσεν tecte et fraudulenter affectabat et procurabat sibi sacerdotium magnum; promisit enim regi δι' ἐντεύξεως occasione congressus, dum forte regem conveniret, occasione per congressum data (*Wahl, Gr.*) talenta argenti 360 (πρὸς τοῖς etc. cf. v. 9; 5,21; 11,11) et ex alio reditu talenta 80; ex alio quodam reditu, ex modo narrandi innui videtur illa 360 ex thesauro templi vel publico aerario esse desumenda (*Gr. K.*). De pecunia vide ad 3,11. Praeterea promisit διαγράψαι se perscripturum, assignaturum talenta 150, si ei venia con-

cederetur, ut sua auctoritate et potestate, scil. non consultis senioribus, etiam iis invitis, sibi constitueret gymnasium et ephebeum et ut Hierosolymitanis civitatem Antiochensem largiri posset, eos cives Antiochenses facere, iura et privilegia concedere v. 9. De gymnasio cf. 1 Mach. 1,15; ephebeum, locus quo iuvenes sese exercent; palaestram eiusque partes et ephebeum describit Vitruvius (5,11); etiam Strabo meminit ad Ἑλληνικὴν ἀγωγὴν pertinere γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβεῖα (5,246, al. 377; 5,4,7). Multum sibi pecuniae ac commodi promisit Iason ex venditione civitatis Antiochenae.

Antiochus rex eius postulationibus eo libentius annuisse censendus est, quia et pecuniae cupidus indigensque erat (cf. 1 Mach. 3,29,30) et ipse volebat Iudaeos graecis moribus imbui (cf. 1 Mach. 1,43 seq.). Itaque Iason occupato sacerdotio atque dominio statim id egit, ut contribulibus notam ac formam graecam imprimeret v. 10. Nam abrogavit, παρώσατο, decreta regia quae Iudaeis favebant et quae impetrata erant per Ioannem patrem Eupolemi illius qui legatione ad Romanos functus est (cf. 1 Mach. 8,17), τὰ κείμενα βασιλικὰ leges seu iura constituta intellige quae Antiochus Magnus Iudaeis concesserat, quibus illis licuit sequi leges paternas, quibus sacerdotes et ministri templi immunes declarabantur a tributis et quaedam ad cultum templi et sacrificia a rege praebebantur (cf. Iosephus, Ant. 12,3,3. 4; *K.*). Ad antecedentia referri διὰ Ἰωάννου bene expressit S: quae posita erant Iudaeis per misericordiam Dei quae acquisita erant per Ioannem... etiam haec removit et abolevit; Ἑλληνικὸν S explicat voce הנביתא apostasia, cultus impius, idololatria, ethnicismus). Quomodo leges moresque mutare studuerit, narratur v. 11-17; aedificavit gymnasium ἀσμένως libenter, cum gaudio, consulto sub ipsa arce, et optimos iuvenum ὑποτάσσων ὑπὸ πέτασον ἦγεν collocans sub petaso ducebat i. e. eis imponens petasum ad exercitia palaestrae ducebat; est petasus pileus latos habens margines, quo utebantur in ludis ut se contra solis aestum et radios tuerentur. Apud Graecos ἔφηβοι portabant petasum; est idem emblema palaestrae; unde ea dictione significatur, iuvenum optimos moribus graecis et palaestrae esse assuefactos. S aliter iungit: robustos subegit et sub מישיחתא transduxit (sub mensuram?). Versionem vulg. explicant, petasum esse cortinam, velum (a πετάννυμι?) expansum, quo tecti turpia exercebant (cf. *Lap. Calm.*).

Hoc modo, οὕτως, exstitit seu inductus est summus quidam gradus (ἀκμή) Graecismi i. e. aemulationis morum Graecorum et transitus (profectus) ad instituta peregrina per eminentem indolem profanam et impuram Iasonis viri impii et pseudo-sacerdotis v. 13, οὐκ ἀρχιερέως qui nihil veri sacerdotis animo et mente habebat. Quid inde conse-

cutum sit, exponitur v. 14 ὥστε, sacerdotes iam non solliciti erant circa ministeria et officia altaris, verum templo neglecto et contempto et sacrificiis posthabitis festinabant, ut partem haberent in illegitimo ludo in palaestra post provocationem ad disci certamen ineundum. Qua invitatione ad discoboliam, ad discum iaciendum, χορηγία ludus in palaestra videtur esse inceptus; χορηγία hoc loco notione usurpatur alias haud usitata; aperte enim certamina illa quae in palaestra fiebant designantur, quae certamina legi contraria, illegitima ab auctore nominantur; cf. v. 11.

Suum de istis studiis alienigenarum aemulis iudicium auctor etiam in sequentibus minime celat; v. 15 contemptis propriis ac paternis externa et aliena maximi aestimabant. Honores paterni consistebant in dignitatibus et officiis sacerdotum, seniorum, iudicum, levitarum, cantorum; Graecorum δόξαι, honores, quales victoribus in variis certaminibus tribuebantur; nam de aliis muneribus in administratione reipublicae hic non est sermo.

Verum ultio divina et castigatio non deerat: ὧν καὶ χάριν propterea etiam illos molesta rerum conditio comprehendit; quia aliena appetebant, in multiplices miserias ac calamitates coniiciebantur. Eiusmodi studium nunquam Iudaeis profuit, verum multarum erat causa vexationum. Dein quorum vitae rationes, ἀγωγάς, sedulo aemulabantur et quibus plane similes effici affectabant, hos experti sunt inimicos et vindices, vexatores, oppressores v. 16; περίστασις status, conditio. Atque iure ita fieri declaratur axiomate generali: nam non est leve quidquam, sed scelus grave, leges divinas spernere, nefarie contra eas agere; revocatur in memoriam illa norma divina quae in libro Iudicum toties inculcatur (Iud. 2,11-18; 3,8-10; 4,1-5 etc.) et quam sequenti quoque tempore exhibitam esse auctor affirmat v. 17. Nam dissolvere et abrogare τὰς νομίμους πολιτείας legitima instituta et eorum loco inducere novos mores eosque παρανόμους ἐθισμούς i. e. usus legi sacrae plane contrarios, impios (v. 11), non potest impune cedere, uti olim idololatria causa erat calamitatum plurimarum.

5. *Iason supplantatur a Menelao* 4,18-29.

4,18. *Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur et rex praesens esset,* 19. *misit Iason facinorosus ab Ierosolymis viros peccatores portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis, quas postulaverunt hi qui asportaverant ne in sacrificiis eroga-*

4,18. Ἀγομένου δὲ πενταετηρικοῦ ἀγῶνος ἐν Τύρῳ καὶ τοῦ βασιλέως παρόντος, 19. ἀπέστειλεν Ἰάσων ὁ μιαρὸς θεωροὺς ὡς ἀπὸ Ἱεροσολύμων Ἀντιοχεῖς ὄντας παρακομίζοντας ἀργυρίου δραχμὰς τριακοσίας εἰς τὴν τοῦ Ἡρακλέους θυσίαν, ἃς καὶ ἠξίωσαν οἱ παρακομίσαντες μὴ χρῆσθαι πρὸς θυσίαν διὰ τὸ

rentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari. 20. *Sed hae oblatae sunt quidem ab eo qui miserat in sacrificium Herculis; propter praesentes autem datae sunt in fabricam navium triremium.* 21. *Misso autem in Aegyptum Apollonio Mnesthei filio propter primates Ptolemaei Philometoris regis, cum cognovisset Antiochus alienum se a negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppen et inde Ierosolymam.* 22. *Et magnifice ab Iasone et civitate susceptus, cum facularum luminibus et laudibus ingressus est; et inde in Phoenicem exercitum convertit.*

23. *Et post triennii tempus misit Iason Menelaum, supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi et de negotiis necessariis responsa perlaturum.* 24. *At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis eius, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta.* 25. *Acceptisque a rege mandatis venit nihil quidem habens dignum sacerdotio, animos vero crudelis tyranni et ferae belluae iram gerens.* 26. *Et Iason quidem, qui proprium fratrem captivaverat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem.* 27. *Menelaus autem principatum quidem obtinuit; de pecuniis vero regi promissis nihil agebat, cum exactionem faceret Sostratus, qui arci erat praepositus,* 28. *(nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat); quam ob causam utrique ad regem sunt evocati.* 29. *Et Menelaus amotus est a sacerdotio succedente Lysimacho fratre suo; Sostratus autem praelatus est Cypriis.*

μὴ καθήκειν, εἰς ἕτεραν δὲ καταθέσθαι δαπάνην. 20. Ἔπεσε μὲν οὖν ταῦτα διὰ μὲν τὸν ἀποστείλαντα εἰς τὴν τοῦ Ἡρακλέους θυσίαν, ἕνεκεν δὲ τῶν παρακομιζόντων εἰς τὰς τῶν τριήρων κατασκευάς. 21. Ἀποσταλέντος δὲ εἰς Αἴγυπτον Ἀπολλωνίου τοῦ Μενεσθέως διὰ τὰ πρωτοκλίσια τοῦ Φιλομήτορος βασιλέως, μεταλαβὼν Ἀντίοχος ἀλλότριον αὐτὸν τῶν αὐτοῦ γεγονέναι πραγμάτων τῆς κατ' αὐτὸν ἀσφαλείας ἐφρόντιζεν· ὅθεν εἰς Ἰόππην παραγενόμενος κατήντησεν εἰς Ἱεροσόλυμα. 22. Μεγαλομερῶς δὲ ὑπὸ τοῦ Ἰάσωνος καὶ τῆς πόλεως παραδεχθεὶς, μετὰ δαδουχίας καὶ βοῶν εἰςεδέχθη, εἶθ' οὕτως εἰς τὴν Φοινίκην κατεστρατοπέδευσεν.

23. Μετὰ δὲ τριετῆ χρόνον ἀπέστειλεν Ἰάσων Μενέλαον τὸν τοῦ προσημαινομένου Σίμωνος ἀδελφὸν, παρακομίζοντα τὰ χρήματα τῷ βασιλεῖ καὶ περὶ πραγμάτων ἀναγκαίων ὑπομνηματισμοὺς τελέσοντα. 24. Ὁ δὲ συσταθεὶς τῷ βασιλεῖ καὶ δοξάσας αὐτὸν τῷ προςώπῳ τῆς ἐξουσίας εἰς ἑαυτὸν κατήντησε τὴν ἀρχιερωσύνην, ὑπερβαλὼν τὸν Ἰάσωνα τάλαντα ἀργυρίου τριακόσια. 25. Λαβὼν δὲ τὰς βασιλικὰς ἐντολὰς παρεγένετο, τῆς μὲν ἀρχιερωσύνης οὐδὲν ἄξιον φέρων, θυμοὺς δὲ ὠμοῦ τυράννου καὶ θηρὸς βαρβάρου ὀργὰς ἔχων. 26. Καὶ ὁ μὲν Ἰάσων ὁ τὸν ἴδιον ἀδελφὸν ὑπονοθεύσας, ὑπονοθευθεὶς ὑφ' ἑτέρου φυγὰς εἰς τὴν Ἀμμανῖτιν χώραν συνήλαστο. 27. Ὁ δὲ Μενέλαος τῆς μὲν ἀρχῆς ἐκράτει, τῶν δὲ ἐπηγγελμένων τῷ βασιλεῖ χρημάτων οὐδὲν εὐτάκτει· ποιουμένου δὲ τὴν ἀπαίτησιν Σωστράτου τοῦ τῆς ἀκροπόλεως ἐπάρχου, 28. πρὸς τοῦτον γὰρ ἦν ἡ τῶν διαφόρων πρᾶξις, δι' ἣν αἰτίαν οἱ δύο ὑπὸ τοῦ βασιλέως προςεκλήθησαν. 29. Καὶ ὁ μὲν Μενέλαος ἀπέλιπε τῆς ἀρχιερωσύνης διάδοχον Λυσίμαχον τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφὸν, Σώστρατος δὲ Κράτητα τὸν ἐπὶ τῶν Κυπρίων.

In v. 24 καταντᾶν adhibetur transitive; id quod alias non reperitur. Quare praeferenda erit lectio 23 κατεστησε, *Niese* corrigit μετεστησε.

Quinquennalis agon Tyri celebratus consideratur tamquam imitatio quaedam ludorum Olympiacorum; celebrabantur quarto quoque anno isti agones, nominabantur tamen quinquennales, quia anni

ambo ludorum etiam computabantur. Ita Pindarus quoque de olympiacis utitur dictione πενταετηρὶς ἑορτά (Ol. 10,69; *Gr.*). Cum rex quoque esset praesens, Iason opportunum censuit demonstrare quale haberet studium cultus idololatrici; unde vocatur v. 19 ὁ μιαρός sceleratus (S abominabilis et impurus); misit itaque spectatores ab Ierusalem qui habebant civitatem Antiochensem i. e. Ἀντιοχεῖς ὄντας, in vulg. *peccatores* certe est mendum, lege spectatores θεωρούς, quo nomine designantur, qui legati civitatis seu reipublicae ad festa deorum seu ludos aliarum civitatum honoris causa mittuntur; et talis legatio θεωρία appellabatur (vide Lexica s. v.); illis simul tradidit Iason drachmas trecentas, quas ad sacrificium Herculi faciendum offerrent. Hercules Tyriorum Melkart nominatur (מלך קרת. מלקרת rex urbis?). Summa drachmarum 300 minor videtur quam pro dignitate reipublicae; S et 19,62,64,93 praebent 3.300. Qui portarunt hanc pecuniam tamen verebantur eam ad magnum illud sacrificium publicum offerre quod cum celebritate ludorum coniungebatur. Conscientia sceleris perculsi postularunt ne in sacrificium erogaretur διὰ τὸ μὴ καθήκειν quia id minime deceret, sed in alium usum, δαπάνην in aliam eamque diversam (ἑτέραν) impensam. Iason utique pecuniam destinarat in sacrificium; verum ob postulationem eorum qui illam attulerant cessit pecunia εἰς τὰς τῶν τριήρων κατασκευάς ad apparatum navium triremium. Ad qualem apparatum? vulg in fabricam; S ut adhiberent simpliciter ad opus pro ministerio alio. Narrat Arrianus (Expeditio Alexandri 2,24,6) Tyro occupata « Alexander Herculi sacrificium fecit et pompam cum exercitu armato misit; naves etiam Herculi pompam peregerunt, καὶ αἱ νῆες ξυνεπόμπευσαν τῷ Ἡρακλεῖ, ludos quoque gymnicos in aede Herculi sacra et certamina quibus lampades gestantes cursu certant edidit. » Qua narratione patet simul cum sacrificio ludisque pompam quandam festivam navium fuisse institutam. Unde valde fit probabile pecuniam ad τὰς κατασκευάς datam referri ad exornandas pro illa pompa naves : ad apparatum navium.

Ptolemaeus Philometor, filius Cleopatrae, sororis Antiochi Epiphanis, mortua matre tutores habuit Eulaeum et Lenaeum usque ad aetatis annum 14. Ea aetate ipse administrationem regni suscepit anno 173 ante Ch. Et hanc inaugurationem regni, hanc primam sessionem, Ptolemaei in solio suo vel proclamationem intelligi πρωτοκλίσια — vel πρωτοκλήσια — iam veteres putarunt (cf. *Calmet*) et recentiores censent. Hac igitur occasione missus est Apollonius filius Mnesthei; supra commemoratus est Apollonius filius Tharsaeae 3,5,7; 4,4: legatum Antiochi regis ad Romanos missum, nomine Apol-

lonium legere est apud Livium (42,6), quem hunc Apollonium in Aegyptum missum aliqui esse coniectant. Per eum didicit Antiochus regem Philometorem alienum esse effectum a negotiis Antiochi regis. Ea scil. legatione Antiochus certior factus est tutores regis et ipsum regem postulare, ut sibi restitueretur Coelesyria provincia (quae etiam Phoenicen et Palaestinam complectebatur), quam provinciam Antiochus III Magnus regi Aegypti eripuerat, sed quam Cleopatrae filiae tamquam dotem se daturum promiserat, cum Ptolemaeo V Epiphani nuptui traderetur, at quam nunquam restituit. Huc spectant quae habentur apud Polybium (27,17) : Antiochus ubi vidit manifesto iam Alexandrinos ad bellum pro Coelesyria se comparare, Romam legatum misit Meleagrum, qui ipsius nomine senatui nuntiaret et testans foedera diceret praeter omne ius a Ptolemaeo se invadi.

Postulatione illa cognita et mente regis inimica perspecta Antiochus suae securitati prospexit; quare se contulit Ioppen, in urbem maritimam, portum habentem, ubi varia ordinaverit ad arcendos Aegyptios appulsu litoris; inde Ierusalem; Iudaeorum ope indigebat contra Aegyptios. Magnifice, μεγαλομερῶς (A, 19,23,44 al), alii μεγαλοπρεπῶς splendidissime excipitur a Iasone et a civitate et recipitur, introducitur cum gestatione facularum, pompa collucentibus facibus ducta, et cum acclamationibus. In ista *magnifica* receptione iam cernitur Hellenismum apud multos altas egisse radices. Tum οὕτως, ita exceptus scil. et honoratus in Phoenicen profectus est; cf. 3,35 κατεστρατοπέδευσεν, ut ibi quoque provideret periculo belli imminentis animosque sibi conciliaret aut exploraret.

Post tres annos scil. a sacerdotio suscepto (v. 10) circa annum 172 ante Chr. misit Iason Menelaum ad regem, qui pecunias regi perferret, quales non dicitur; cogitari potest de illis promissis in v. 8. 9 vel de annuo tributo, *et de negotiis necessariis* ὑπομνηματισμοὺς τελέσοντα qui res saepius commemoratas tandem perficeret, ad exitum perduceret, cum rege componeret vel ab eo responsa acciperet. Vocatur Menelaus frater supradicti Simonis, i. e. delatoris pecuniarum templi 3,4 seq. 4,1; Iosephus quidem eum dicit fratrem Oniae et Iasonis natu minimum et nomen eius iudaicum pariter Oniam; si ita esset, tum non Simon praedictus, sed Simon II pontifex (cf. Eccli. 50) esset eius pater (cf. Ant. 12,5,1; 20,10). At Iosepho hac in re minime est fidendum; iam improbabile est Simonem II duobus filiis idem imposuisse nomen; Iosephus fortasse ob nomen Simonis in errorem inductus est vel ob affectatum pontificatum hanc ei prosapiam attribuit. Cum auctor noster clare eum dicat fratrem Simonis antea com-

memorati, res extra controversiam posita est, ut recentiores quoque agnoscunt. Solum mirum videri potest hominem ex tribu Beniamin (3,4) pontificatum esse assecutum. Sed Antiochus rex pecuniam respexit, non legem mosaicam.

Menelaus itaque regis gratiam iniit eumque maxime laudavit et extulit, δοξάσας, τῷ προσώπῳ τῆς ἐξουσίας facie seu vultu potestatis, i. e. hominis qui in potestate constitutus sit apud suos; regem laudibus celebravit suam simul apud Iudaeos auctoritatem extollens; non ut adulator aulicus, sed ut vir pollens potestate regem laudibus extulit: insuper superans Iasonem trecentis talentis, quasi licendo eum vincens, ad se transtulit τὴν ἀρχιερωσύνην. Antiochus pecuniae amans et indigens et praeterea eius adulationibus captus facile consensisse putandus erit. Rediit Ierusalem Menelaus cum regiis mandatis quibus ei sacerdotium committebatur et reliqui ei obedire iubebantur; qualis autem fuerit, declaratur v. 25 nihil habens sacerdotio dignum, ne nativitatem quidem; verum habens furores crudelis tyranni et ferae belluae iras. Sicut itaque Iason proprium fratrem supplantaverat, ita ipse vicissim ab alio est supplantatus; tamquam fugitivus expulsus est in regionem Ammonitarum (cf. 5,5-10). Menelaus autem dominio accepto pecunias promissas non solvit, οὐδὲν εὐτάκτει nullatenus officio satisfecit, quamvis hanc solutionem exigeret Sostratus, arci praepositus. Quare uterque ad regem est evocatus; Menelaus quia non solvit, Sostratus quia videbatur esse negligens in exactione pecuniarum facienda. Et Menelaus reliquit vicarium sacerdotii (qui interea eius gereret vices) Lysimachum fratrem, Sostratus reliquit vicarium sui muneris Cratem praefectum Cypriorum. S sensum bene expressit : Menelaus reliquit loco sui sacerdotis magni Lysimachum fratrem suum. In vulg. alius sensus fertur, inde ortus quod διάδοχος notione successoris accipiebatur. Incertum est quo sensu Crates dicatur praefectus Cypriorum; nam insula sub potestate erat regum Aegypti; brevi tempore eam occupavit Antiochus IV anno 168. Ergo si *fuit* praefectus, tunc sicut Ptolemaeus Macer relictis partibus Ptolemaeorum transiit ad Antiochum (cf. infra 10,12); aut si postea anno 168 ibi imperium gessit, tunc hic dicitur per anticipationem. Mox post 168 insula iterum Ptolemaeorum erat (cf. Polybius 29,11, 9,10; Livius 45,11. Polyb. 31,18,3;31,25). Quae autem hic narrantur de Menelao et Sostrato ad annum spectant 172 vel 171.

6. *Facinora Menelai et Lysimachi* 4,30-50.

4,30. *Et cum haec agerentur, contigit Tarsenses et Mallotas seditionem movere, eo quod Antiochidi regis concubinae dono essent dati.* 31. *Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico.* 32. *Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quaedam vasa e templo furatus donavit Andronico et alia vendiderat Tyri et per vicinas civitates.* 33. *Quod cum certissime cognovisset Onias arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiae secus Daphnem.* 34. *Unde Menelaus accedens ad Andronicum rogabat ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam et datis dextris cum iureiurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus iustitiam.* 35. *Ob quam causam non solum Iudaei sed aliae quoque nationes indignabantur et moleste ferebant de nece tanti viri iniusta.* 36. *Sed regressum regem de Ciliciae locis adierunt Iudaei apud Antiochiam simul et Graeci conquerentes de iniqua nece Oniae.* 37. *Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam et flexus ad misericordiam, lacrymas fudit recordatus defuncti sobrietatem et modestiam,* 38. *accensisque animis Andronicum purpura exutum per totam civitatem iubet circumduci, et in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente poenam.*

39. *Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis Menelai consilio et divulgata fama congregata est multitudo adversus Lysimachum multo iam auro exportato.* 40. *Turbis autem insurgentibus et animis ira repletis Lysimachus armatis fere tribus millibus iniquis manibus uti coepit duce quodam Tyranno aetate pariter et dementia*

4,30. Τούτων δὲ συνεστηκότων συνέβη Ταρσεῖς καὶ Μαλλώτας στασιάζειν διὰ τὸ Ἀντιοχίδι τῇ παλλακῇ τοῦ βασιλέως ἐν δωρεᾷ δεδόσθαι. 31. Θᾶττον οὖν ὁ βασιλεὺς ἧκε καταστεῖλαι τὰ πράγματα καταλιπὼν τὸν διαδεχόμενον Ἀνδρόνικον τῶν ἐν ἀξιώματι κειμένων. 32. Νομίσας δὲ ὁ Μενέλαος εἰληφέναι καιρὸν εὐφυῆ χρυσώματά τινα τῶν τοῦ ἱεροῦ νοσφισάμενος ἐχαρίσατο τῷ Ἀνδρονίκῳ, καὶ ἕτερα ἐτύγχανε πεπρακὼς εἴς τε Τύρον καὶ τὰς κύκλῳ πόλεις. 33. Ἃ καὶ σαφῶς ἐπεγνωκὼς ὁ Ὀνίας παρήλεγχεν ἀποχεχωρηκὼς εἰς ἄσυλον τόπον ἐπὶ Δάφνης τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν κειμένης. 34. Ὅθεν ὁ Μενέλαος λαβὼν ἰδίᾳ τὸν Ἀνδρόνικον παρεκάλει χειρώσασθαι τὸν Ὀνίαν. Ὁ δὲ παραγενόμενος ἐπὶ τὸν Ὀνίαν καὶ πεισθεὶς ἐπὶ δόλῳ καὶ δεξιασθεὶς μεθ' ὅρκων δοὺς δεξιὰν, καίπερ ἐν ὑποψίᾳ κείμενος ἔπεισεν ἐκ τοῦ ἀσύλου προελθεῖν, ὃν καὶ παραχρῆμα παρέκλεισεν οὐκ αἰδεσθεὶς τὸ δίκαιον. 35. Δι' ἣν αἰτίαν οὐ μόνον Ἰουδαῖοι, πολλοὶ δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ἐδείναζον καὶ ἐδυσφόρουν ἐπὶ τῷ τοῦ ἀνδρὸς ἀδίκῳ φόνῳ. 36. Τοῦ δὲ βασιλέως ἐπανελθόντος ἀπὸ τῶν κατὰ Κιλικίαν τόπων, ἐνετύγχανον οἱ κατὰ πόλιν Ἰουδαῖοι, συμμισοπονηρούντων καὶ τῶν Ἑλλήνων, ὑπὲρ τοῦ παρὰ λόγον τὸν Ὀνίαν ἀπεκτάνθαι. 37. Ψυχικῶς οὖν ὁ Ἀντίοχος ἐπιλυπηθεὶς καὶ τραπεὶς εἰς ἔλεον καὶ δακρύσας διὰ τὴν τοῦ μετηλλαχότος σωφροσύνην καὶ πολλὴν εὐταξίαν. 38. Καὶ πυρωθεὶς τοῖς θυμοῖς παραχρῆμα τὴν τοῦ Ἀνδρονίκου πορφύραν περιελόμενος καὶ τοὺς χιτῶνας περιρρήξας, περιαγαγὼν καθ' ὅλην τὴν πόλιν ἐπ' αὐτὸν τὸν τόπον οὗπερ εἰς τὸν Ὀνίαν ἠσέβησεν, ἐκεῖ τὸν μιαιφόνον ἀπεκόσμησε, τοῦ Κυρίου τὴν ἀξίαν αὐτῷ κόλασιν ἀποδόντος.

39. Γενομένων δὲ πολλῶν ἱεροσυλημάτων κατὰ τὴν πόλιν ὑπὸ τοῦ Λυσιμάχου μετὰ τῆς Μενελάου γνώμης, καὶ διαδοθείσης ἔξω τῆς φήμης, ἐπισυνήχθη τὸ πλῆθος ἐπὶ τὸν Λυσίμαχον, χρυσωμάτων ἤδη πολλῶν διενηνεγμένων. 40. Ἐπεγειρομένων δὲ τῶν ὄχλων καὶ ταῖς ὀργαῖς διεμπιμπλαμένων καθοπλίσας ὁ Λυσίμαχος πρὸς τρισχιλίους κατήρξατο χειρῶν ἀδίκων, προηγησαμένου τινὸς Τυράννου προ-

provecto. 41. *Sed ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuere; quidam vero cinerem in Lysimachum iecere.* 42. *Et multi quidem vulnerati, quidam autem et prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt; ipsum etiam sacrilegum secus aerarium interfecerunt.* 43. *De his ergo coepit iudicium adversus Menelaum agitari.*

βεβηκότος τὴν ἡλικίαν, οὐδὲν δὲ ἧττον καὶ τὴν ἄνοιαν. 41. Συνιδόντες δὲ καὶ τὴν ἐπίθεσιν τοῦ Λυσιμάχου, συναρπάσαντες οἱ μὲν πέτρους, οἱ δὲ ξύλων πάχη, τινὲς δὲ ἐκ τῆς παρακειμένης σποδοῦ δρασσόμενοι φύρδην ἐνετίνασσον εἰς τοὺς περὶ τὸν Λυσίμαχον. 42. Δι' ἣν αἰτίαν πολλοὺς μὲν αὐτῶν τραυματίας ἐποίησαν, τινὰς δὲ καὶ κατέβαλον, πάντας δὲ εἰς φυγὴν συνήλασαν, αὐτὸν δὲ τὸν ἱερόσυλον παρὰ τὸ γαζοφυλάκιον ἐχειρώσαντο. 43. Περὶ δὲ τούτων ἐνέστη κρίσις πρὸς τὸν Μενέλαον.

44. *Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus.* 45. *Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemaeo multas pecunias dare ad suadendum regi.* 46. *Itaque Ptolemaeus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit et deduxit a sententia.* 47. *Et Menelaum quidem universae malitiae reum criminibus absolvit; miseros autem qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnavit.* 48. *Cito ergo iniustam poenam dederunt, qui pro civitate et populo et sacris vasis causam prosecuti sunt.* 49. *Quam ob rem Tyrii quoque indignati erga sepulturam eorum liberalissimi exstiterunt.* 50. *Menelaus autem propter eorum qui in potentia erant avaritiam permanebat in potestate crescens in malitia ad insidias civium.*

44. Καταντήσαντος δὲ τοῦ βασιλέως εἰς Τύρον, ἐπ' αὐτοῦ τὴν δικαιολογίαν ἐποιήσαντο οἱ πεμφθέντες ἄνδρες τρεῖς ὑπὸ τῆς γερουσίας. 45. Ἤδη δὲ λελειμμένος Μενέλαος ἐπηγγείλατο χρήματα ἱκανὰ τῷ Πτολεμαίῳ τῷ Δορυμένους πρὸς τὸ πεῖσαι τὸν βασιλέα. 46. Ὅθεν ἀπολαβὼν ὁ Πτολεμαῖος εἴς τι περίστυλον ὡς ἀναψύξοντα τὸν βασιλέα μετέθηκε. 47. Καὶ τὸν μὲν τῆς ὅλης κακίας αἴτιον Μενέλαον ἀπέλυσε τῶν κατηγορημάτων, τοῖς δὲ ταλαιπώροις, οἵτινες εἰ καὶ ἐπὶ Σκυθῶν ἔλεγον, ἀπελύθησαν ἂν ἀκατάγνωστοι, τούτοις θάνατον ἐπέκρινε. 48. Ταχέως οὖν τὴν ἄδικον ζημίαν ὑπέσχον οἱ περὶ πόλεως καὶ δήμων καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν προηγορήσαντες. 49. Δι' ἣν αἰτίαν καὶ Τύριοι μισοπονηρήσαντες τὰ πρὸς τὴν κηδείαν αὐτῶν μεγαλοπρεπῶς ἐχορήγησαν. 50. Ὁ δὲ Μενέλαος διὰ τὰς τῶν κρατούντων πλεονεξίας ἔμενεν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς, ἐπιφυόμενος τῇ κακίᾳ μέγας τῶν πολιτῶν ἐπίβουλος καθεστώς.

In v. 34 *Niese* legit καὶ πίστεις (uti in 62.) ἐπὶ δόλῳ καὶ δεξιὰς μεθ' ὅρκων δοὺς.

Menelao, viro impio, fortuna revera favebat. Nam cum ipse evocatus esset ad regem propter pecuniam nondum solutam (cf. v. 24.28), τοιούτων δὲ συνεστηκότων cum talia essent constituta, Antiochus rex cogitur ob seditionem factam in Ciliciam abire. Incolae enim Tarsi capitis Ciliciae et incolae Malli urbis eiusdem regionis (Μαλλωτοί, Arrianus, Alex. 2,5; Μαλλώτης) ad Pyramum fluvium, haud longe a mari, seditionem movebant; ἐν δωρεᾷ per modum doni, tamquam donum, similiter Polyb. 28,17,9 λαβεῖν ἐν φέρνῃ (ut dotem) Κοίλην Συρίαν (*Gr.*) Veteres (v. g. *Lap. Calm.*) et recentiores apte nos remittunt ad Ciceronem (in Verr. 2,3,33): « solere aiunt barbaros reges Persarum ac Syrorum plures uxores habere, his autem uxoribus civitates attribuere

hoc modo : haec civitas mulieri redimiculum praebet, haec in collum, haec in crines; ita populos habent universos non solum conscios libidinis suae, verum etiam administros ». Aegre itaque ferebant duae illae civitates se dono dari concubinae regis. Ad seditionem comprimendam rex pro Menelao opportune abiit; θᾶττον citius, ita ut de Menelao et Sostrato iam non potuerit rationem exigere. Vicarium (τὸν διαδεχόμενον; cf. διάδοχος v. 29) reliquit Andronicum, unum ex dignitatibus, ex iis qui praecipuas dignitates obtinebant v. 31. Hac opportunitate usus Menelaus corrupit muneribus Andronicum, ei donans aurea quaedam vasa quae e templo sibi seposuerat, νοσφισάμενος, interverterat et ad se transtulerat; et alia Tyri et in civitatibus vicinis vendiderat v. 32. Videtur voluisse furto sacrilego vendito pecuniam regi promissam sibi comparare (v. 24).

Vasa sacra e templo furtim ablata eo modo distrahi Onias graviter reprehendit; suae timens securitati sese receperat in asylum quod habebatur in luco apud Daphnen, suburbium Antiochiae, ab ipsa urbe per Orontem fluvium separatum; erat ibi locus ingens et opacus, fontanis aquis irriguus, in cuius medio erat fanum Apollinis et Dianae asyli iure ac dignitate celebratissimum (*Calm.*); uti Strabo scribit (16,750; al. 1089; 16,2,6) quadraginta stadiorum intervallo ab Antiochia Daphne abest, κατοικία μετρία, luci ambitus est stadiorum octoginta. Contra quorundam scrupulum de veritate rei, acsi vir pius Iudaeus nunquam apud idolum quaerere potuisset protectionem, advertit *Calmet :* Onias, pius licet ac religiosus, gravi adeo in discrimine constitutus, profani numinis asylo uti religioni non duxit; fas quandoque est spreta falsi numinis religione iis beneficiis frui quae hominum error vel fanis vel lucis illi dedicatis contulit. Menelaus illa reprehensione offensus λαθὼν ἰδίᾳ seorsim, clam Andronicum convenit eumque instigavit χειρώσασθαι manus inferre, occidere. Timuit enim Menelaus sciens Oniam a rege magni aestimari (v. 37) ne, cum ipse non solvisset pecuniam, Onias demum a rege restitueretur; quare eum perimendum esse sibi persuasit suae vindictae simul ac securitatis gratia. Nam audire ἱερόσυλον etiam apud Graecos opprobrio erat, et ut talis Menelaus ab Onia erat palam traductus.

Qualem astutiam ac vafritiem adhibuerit, qua Andronicum ad scelus perpetrandum sit inductus, non dicitur. Andronicus solum dicitur πεισθεὶς ἐπὶ δόλῳ (omissum est in vulg.), inductus est, ut dolo uteretur. Dolus in eo erat, ut salutatus (ab Onia, δεξιασθείς, δεξιωθείς porrecta dextra salutatus) ei dexteram cum iuramentis daret et ita, quamvis Oniae res videretur suspecta nec satis fideret Andronico, Oniae persuaderet ex asylo exire; quem statim asylo relicto occidit

(S, vulg), παρέκλεισεν exclusit, scil. ab asylo, i. e. interfecit (v. 35), sine ulla reverentia iustitiae debita. Tale scelus cum perfidia tanta commissum etiam multi ex alienigenis damnarunt. S ita : ivit ad Oniam et cum eo pacifica in dolo locutus est et cum iuramentis et persuasione dedit ei dextram. Simulac rex rediit e Cilicia, Iudaei in urbe habitantes eum adierunt conquerentes de iniusta nece συμμισοπονηρούντων, dum Graeci quoque cum eis indignarentur de improbitate facta v. 35. Rex ex animo ψυχικῶς, mortem viri luctu prosecutus est; magni enim eum aestimaverat propter animum plane sui compotem (σωφροσύνη) et ob eximiam viri modestiam et urbanitatem (πολλὴ εὐταξία). Mirum videri possit Antiochum de eius caede lacrimasse. Verum alias quoque in eius agendi rationibus indoles cernitur versatilis, multiplex; ἔνιαι τῶν ἐπιβολῶν τοῦ Ἀντιόχου καὶ τῶν πράξεων βασιλικαὶ καὶ θαυμάσιαι τελέως ἦσαν, ita apud Diodorum sic. 31,16, et iterum : incredibile visum esse, in uno atque eodem ingenio tot virtutes simul ac vitia posse reperiri.

Andronicus perfidiae poenam luit v. 38; purpura indui aliquibus ex insigni favore regis concedebatur; cf. Esth. 8,15. 1 Mach. 10,62. 64; 11,58; τὸν μιαιφόνον sanguine, caede contaminatum ἀπεκόσμησε. S, vulg explicant de morte illata : occidit eum, vita privari iussit; quae notio voci tribui debet ex contextu; nam de spoliatione ornatus iam erat sermo et haec sola ignominia certe non designaretur ab auctore illis verbis : *Domino illi condignam retribuente poenam;* haec est sola poena mortis pro homicidio patrato; cf. Gen. 9,6. Num igitur ἀπεκόσμησε e mundo (κόσμος) eum removit? cum auctor haud raro affectatum quoddam genus dicendi prosequatur, id improbabile non omnino est.

Exoritur tumultus et vindicta popularis contra Lysimachum sacrilegum v. 39-42. Commiserat enim Lysimachus multa furta ex rebus templo addictis, quas κατὰ τὴν πόλιν per urbem vendere solebat, uti Menelaus vasa sacra in regione alienigenarum vendiderat (v. 32). Has templi spoliationes ἱεροσυλήματα perpetravit μετὰ τῆς γνώμης cum approbatione, sciente et volente Menelao, qui ex hisce pecuniis suam sibi partem requisivit, vel fere integras; immo ex v. 43 iure colligitur Lysimachum ex mandato Menelai et pro ipsius marsupio talia commisisse. Horum fama cum per regionem sparsa esset, Iudaei certiores facti iam multum aurum templi, multa vasa aurea esse distracta, magno numero praecipue ex regionibus adiacentibus congregati sunt vindices. Cum explicite dicatur διαδοθείσης ἔξω τῆς φήμης in oppositione ad κατὰ πόλιν, urbani videntur haud ita multum illis sacrilegiis offensi fuisse, verum rusticani maiore pietatis laesae sensu imbuti contra facinora insurrexisse. Contra has turbas Lysimachus cum tribus

millibus armatorum vi uti coepit, κατήρξατο χειρῶν ἀδίκων, coepit vim inferre, vi grassari; ducem se praebuit Tyrannus quidam; legitur Αυρανου (A. 23. 55. 74. 106; S non agnovit nomen proprium, sed vertit: erat ei adiutor et caput homicidarum vir quidam impurus et abominabilis). Turbae autem cernentes fieri invasionem vim vi depellere statuunt armis quibusvis obviis arreptis, lapidibus, fustibus; multi etiam praeiacentem pulverem prehendentes mixtim iactaverunt in socios Lysimachi. Vehementi hoc impetu multos vulnerarunt, aliquos prostraverunt, omnes in fugam coniecerunt; ipsum sacrilegum, Lysimachum, apud aerarium interfecerunt; γαζοφυλάκιον cf. 1 Mach. 14,49; 2 Mach. 3,6. 28. 40, ergo prope sanctuarium templi. Locus testis scelerum eius et testis exstitit vindictae et poenae.

Auctor primarius spoliationis templi erat Menelaus. Itaque contra eum causa seu lis instructa est v. 43. A synedrio, a senioribus ὑπὸ τῆς γερουσίας missi sunt tres viri Tyrum qui coram rege causam agerent et accusationem proferrent. Menelaus ἤδη λελειμμένος iam erat destitutus, i. e. per testes iam ita flagitia eius erant demonstrata et probata, ut nihil plane proferre posset ad sui defensionem; S cum Menelaus autem vidisset quod victus esset, promisit Ptolemaeo munera multa, πρὸς τὸ πεῖσαι ut scil. suasione et persuasione iram regis in Menelaum mitigaret et regem ad veniam concedendam induceret. Ptolemaeus vocatur graeco in textu (neque tamen in S, vulg) filius Dorymini; cf. 1 Mach. 3,38. Ptolemaeus ita in ipsa actione a Menelao paucis et clam interpellatus et promissis seductus invitat regem, ut refrigerii causa ὡς ἀναψύξοντα consessum iudicum relinquens in porticum se conferat; ibi cum eo collocutus eius sententiam immutavit, τὸν βασιλέα μετέθηκε, in aliam deduxit sententiam. Id quod profecto difficile non erat. Nam poterat regi suggerere, Menelaum ab iis accusari ex invidia; eum supervacanea illa templi vasa vendidisse, ut regi pecuniam debitam solvere posset, quo studio regi satisfaciendi Iudaei essent in sacerdotem a rege institutum maxime offensi. Hisce atque similibus rex qui ipse ἱεροσυλήματα exerceret facile in contrariam sententiam adduci poterat, ut scil. Menelaum ab accusatione absolveret, actores vero et accusatores, quippe qui contra sacerdotem a se institutum ex invidia insurrexissent et studium eius pro regis utilitate calumniis conspurcassent, capitis damnaret v. 47. Eius iudicii improbitatem ac crudelitatem acriter perstringit auctor, apud Scythas, apud gentes maxime barbaras et ab humanitate alienas futurum fuisse, ut causa dicta innocentes declararentur, illum autem auctorem et architectum totius malitiae liberum esse dimissum, ac si nullam admisisset culpam.

Quantopere hoc iudicium contra omnium exspectationem acciderit, declaratur quoque in v. 48. 49; actores rem egerunt pro urbe sancta, pro populo eiusque iuribus, pro sanctitate ac reverentia templi; verum ταχέως *cito* poenam iniustam subierunt, cito id exsecutione mandatum, impellente fortasse Menelao, ut omnis occasio mutandi sententiam regi adimeretur. Ex lege (Deut. 19,19) falsi testes eadem poena erant mulctandi, cui obnoxii fuissent accusati criminum convicti. Sed rex certe legis mosaicae rationem non habuit; quare frustra ex poena testium colligunt quale supplicium subiturus fuisset Menelaus, si iustitia fuisset servata.

Ipsi quoque Tyrii, καὶ Τύριοι aliqui scil. rei indignitatem aegre ferentes funus eorum magnifice instruxerunt; τὴν κηδείαν curam sepulturae, funerationem, μεγαλοπρεπῶς, al. μεγαλομερῶς; cf. v. 22. Auri sacra fames eorum qui in dominatione erant constituti effecit, ut Menelaus permaneret in dignitate; nam avaro nihil est scelestius (Eccli. 10,9). Menelaus autem minime resipiscere coepit, e contra ἐπιφυόμενος insuper crescens improbitate magnus exstitit civium suorum insidiator, ἐπίβουλος, eius rei ulteriora documenta habes 5,15. 23; 13,3. Iosephus quamvis de hisce facinoribus Menelai mentionem non faciat, tamen in universum mores eius pessimos perstringit: omnibus iis quae patria erant omissis ceterarum gentium facta imitati sunt, Menelaus scil. et filii Tobiae (Ant. 12,5,1). Nullo argumento adducto *Schürer* narrationem libri de Menelao fide indignam esse pronuntiat (cf. *Riehm*, Handw. des bibl. Alt. p. 979).

7. *Iason misere interiit* 5,1-10.

5,1. *Eodem tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Aegyptum.* 2. *Contigit autem per universam Ierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes et hastis quasi cohortes armatos,* 3. *et cursus equorum per ordines digestos et congressiones fieri cominus, et scutorum motus et galeatorum multitudinem gladiis districtis et telorum iactus et aureorum armorum splendorem omnisque generis loricarum.* 4. *Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti.*

5. *Sed cum falsus rumor exisset, tamquam vita excessisset Antiochus, assumptis Iason non minus mille viris*

5,1. Περὶ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον τὴν δευτέραν ἔφοδον ὁ Ἀντίοχος εἰς Αἴγυπτον ἐστείλατο. 2. Συνέβη δὲ καθ' ὅλην τὴν πόλιν σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας τεσσαράκοντα φαίνεσθαι διὰ τῶν ἀέρων τρέχοντας ἱππεῖς διαχρύσους στολὰς ἔχοντας καὶ λόγχας σπειρηδὸν ἐξωπλισμένους, 3. καὶ ἴλας ἵππων διατεταγμένας καὶ προσβολὰς γινομένας καὶ καταδρομὰς ἑκατέρων καὶ ἀσπίδων κινήσεις καὶ καμάκων πλήθη καὶ μαχαιρῶν σπασμοὺς καὶ βελῶν βολὰς καὶ χρυσῶν κόσμων ἐκλάμψεις καὶ παντοίους θωρακισμούς. 4. Διὸ πάντες ἠξίουν ἐπ' ἀγαθῷ τὴν ἐπιφάνειαν γενέσθαι.

5. Γενομένης δὲ λαλιᾶς ψευδοῦς ὡς μετηλλαχότος τὸν βίον Ἀντιόχου, παραλαβὼν ὁ Ἰάσων οὐκ ἐλάττους τῶν χιλίων αἰφνιδίως ἐπὶ

repente aggressus est civitatem; et civibus ad murum convolantibus ad ultimum apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem. 6. Iason vero non parcebat in caede civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium et non civium se trophaea capturum. 7. Et principatum quidem non obtinuit, finem vero insidiarum suarum confusionem accepit et profugus iterum abiit in Ammanitem. 8. Ad ultimum in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum et exsecrabilis, ut patriae et civium hostis, in Aegyptum extrusus est; 9. et qui multos de patria sua expulerat, peregre periit Lacedaemonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus. 10. Et qui insepultos multos abiecerat, ipse et illamentatus et insepultus abiicitur, sepultura neque peregrina usus neque patrio sepulchro participans.

τὴν πόλιν συνετελέσατο ἐπίθεσιν· τῶν δὲ ἐπὶ τῷ τείχει συνελασθέντων καὶ τέλος ἤδη καταλαμβανομένης τῆς πόλεως, ὁ Μενέλαος εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἐφυγάδευσεν. 6. Ὁ δὲ Ἰάσων ἐποιεῖτο σφαγὰς τῶν πολιτῶν τῶν ἰδίων ἀφειδῶς, οὐ συννοῶν τὴν εἰς τοὺς συγγενεῖς εὐημερίαν δυςημερίαν εἶναι τὴν μεγίστην, δοκῶν δὲ πολεμίων καὶ οὐχ ὁμοεθνῶν τρόπαια καταβάλλεσθαι. 7. Τῆς μὲν ἀρχῆς οὐκ ἐκράτησε, τὸ δὲ τέλος τῆς ἐπιβουλῆς αἰσχύνην λαβὼν φυγὰς πάλιν εἰς τὴν Ἀμμανῖτιν ἀπῆλθε. 8. Πέρας οὖν κακῆς ἀναστροφῆς ἔτυχεν· ἐγκλεισθεὶς πρὸς Ἀρέταν τὸν τῶν Ἀράβων τύραννον πόλιν ἐκ πόλεως φεύγων, διωκόμενος ὑπὸ πάντων καὶ στυγούμενος ὡς τῶν νόμων ἀποστάτης καὶ βδελυσσόμενος ὡς πατρίδος καὶ πολιτῶν δήμιος, εἰς Αἴγυπτον ἐξεβράσθη· 9. καὶ ὁ συχνοὺς τῆς πατρίδος ἀποξενώσας ἐπὶ ξένης ἀπώλετο πρὸς Λακεδαιμονίους ἀναχθεὶς, ὡς διὰ τὴν συγγένειαν τευξόμενος σκέπης. 10. Καὶ ὁ πλῆθος ἀτάφων ἐκρίψας ἀπένθητος ἐγενήθη καὶ κηδείας οὐδ' ἡςτινοςοῦν οὔτε πατρῴου τάφου μετέσχε.

Iason et Menelaus arrepto sacerdotio pessimo exemplo praeierunt ad legem subvertendam et mores gentiles inducendos. Quod isti Iudaei sacerdotes inceperunt, mox Antiochus rex summa vi et crudelitate promovit ad cultum Dei evertendum et legem penitus abolendam. Primam opportunitatem saeviendi in urbem et templum ei praebuit conatus Iasonis arripiendi sibi iterum sacerdotium quod ei a Menelao ereptum erat. De quo conatu narratur v. 5 seq. Iasonis furor initium triste erat plurimarum calamitatum quibus pii Dei cultores et legis patriae amantes obruebantur. Haec autem epocha, in qua certamen supremum et decretorium de natione Iudaica eiusque cultu ac religione commissum est, etiam miris quibusdam portentis cum hominum stupore et exspectatione anxia inauguratur v. 2-4.

Secundam in Aegyptum expeditionem suscepit Antiochus rex anno 170, specie quidem ut iura Philometoris contra fratrem eius iuniorem tueretur, sed re vera, ut sibi ipsi regnum acquireret; ceterum vide quae ad 1 Mach. 1,18 seq. dicta sunt. Portentis praesignantur tempora funesta. Nam v. 2 fere σχεδὸν per dies quadraginta apparebant supra urbem διὰ τῶν ἀέρων in spatiis aereis catervatim equites splendide armati v. 2; apparebant alae equitum ad pugnam ordinatae, congres-

siones et irruptiones ex utraque parte et clypeorum commotiones et perticarum multitudines, gladiorum vibrationes et telorum iactus et aureorum ornamentorum effulgentiae et variae loricae. Ipsam descriptionem vivide et eleganter exhibet auctor nominum substantivorum serie posita; ita oculis subiicit et pugnas cohortium et singula armorum genera.

Similia quoque ante eversionom urbis narrat *Iosephus* (Bell. 6,5,3); ita praeter alia : nisi ab iis qui spectarunt traditum esset, fabula, ut opinor, videretur quod dicturus sum : etenim ante solis occasum per universam regionem currus in aere sublimes ferri et armatae phalanges per nubes discurrere urbesque circumvallare sunt visae. Plura ex veteribus exempla affert *Lap.* et addit : « memini mihi in Belgio, cum puer essem, similia in coelo ostenta fuisse ostensa sub initium bellorum Belgicorum, quae proinde Belgio instare ex hisce signis viri sapientes iam tum praenuntiabant et eventus docuit praenuntiationem fuisse verissimam ». Plura quoque eiusmodi a magna hominum multitudine visa recenset *Edmund Parish* in fasciculo VII et VIII « Schriften der Gesellschaft für psychologische Forschung » Leipzig 1893-1897; p. 202 seq. Aliqua huc adscribere non erit inutile : aestate anni 1571 multi incolae Pragae urbis tempestate vehementi praeterita viderunt cohortem equitum quasi ingredientem. Mense Septembri 1680 in Chemnitz documentum publicum consignatum est ex responsis testium qui iurati testati sunt se vidisse in coelo cohortes militum inter se pugnantium et tela iactantium. Anno 1686 ad ripam Clyde fluvii in Scotia prope Lamark multitudo hominum per plures dies viderunt solum et arbores plena pileis, telis, gladiis, et simul cohortes militum inter se subsequentes secundum fluvium incedere, et quidem ita, ut una cohors per aliam penetraret, quo facto milites prostrati evanuerunt; verum statim aliae cohortes apparuerunt et incesserunt eodem modo. Qui viderunt, ipso vultu et terrore quem prae se ferebant testabantur omnibus se revera vidisse. Die 22. Ianuarii mensis 1854 ad Büderich pari modo in aere visus est exercitus; quam visionem Heis celeberrimus ille astronomus, vir catholicus ex conditionibus aeris (Nebelbank und Kimmung) explicuit.

Omnes deprecati sunt, ut Deus bene verteret illam apparitionem, ut scil. bellum quod portenderetur cederet in bonum pro Israel v. 4. Verum calamitas in populum iterum per contribules inducta est. Cum enim falsus rumor de morte Antiochi sparsus esset (μετηλλαχότος cf. 4,7), Iason ea opportunitate usus sacerdotium vi iterum arripere voluit (cf. 4,24); quare subito cum mille militibus urbem aggressus eam occupat, ita ut Menelaus in arcem confugeret; S multitudo populi fugit et ascendit murum. Inopinato et ex improviso Iason impetum fecit in urbem, quare mox eam expugnavit. Maximam populi partem

a partibus Iasonis stetisse Iosephus (Ant. 12,5,1) refert, id quod ipso eventu minime comprobatur. Iason quidem per breve tempus in suos cives ac contribules saeviebat, non considerans εὐημερίαν, δυσημερίαν, dies faustos, dies nefastos esse, contra cognatos prosperum successum male prosperare; δοκῶν δὲ arbitratus autem hostium et non contribulium trophaea se capturum; aliis verbis: saeviebat in cives acerrime uti in hostes infensissimos; καταβάλλεσθαι condere, sibi acquirere; contra testes codicum mavult *Gr.* καταλαβέσθαι (cf. vulg).

Iason tamen sacerdotium non obtinuit. Menelaus arce occupata in ipsam urbem dominatus mox ea excedere Iasonem coegit qui sua in cives saevitia etiam multorum animos sibi alienavit. Ita demum finis insidiarum eius evasit confusio et ignominia, et ipse tamquam fugitivus iterum abiit in regionem Ammonitarum; cf. 4,26; πέρας οὖν κακῆς ἀναστροφῆς ἔτυχεν: finem itaque malae vitae rationis assecutus est. Codices et versiones praebent ἐγκλεισθείς conclusus apud Aretam; hac lectione retenta cogitari potest, Iasonem apud Aretam in angustias esse redactum, quia fortasse Antiochus vel Menelaus eius traditionem ab Areta postularunt; vel Aretam ea postulatione facta Iasonem captum tenuisse, ut opportune eum traderet. Quare non opus erit cum aliquibus scribere ἐγκληθείς accusatus apud Aretam (cf. *Gr. Fr.*). Unde comprehensus apud Aretam iterum fugam arripuit *de civitate in civitatem* v. 8, persecutionem ab omnibus sustinens, odio et abominationi habitus ut apostata a lege, exsecrationibus onustus tamquam patriae et civium δήμιος carnifex, ἐξεδράσθη cum ignominia in Aegyptum expulsus est. Per quae quis peccaverit, per haec et punietur. Hoc quasi talionis ius Iasoni plene esse tributum declaratur v. 9. 10; ἀποξενώσας ἐπὶ ξένης ἀπώλετο, multos in exsilium eiecit, ipse exsul periit, ἐπὶ ξένης scil. χώρας in aliena regione, ἀναχθείς advectus ad Lacedaemonios; pro cognatione cf. 1 Mach. 12,7. 21.

Et qui plurimos insepultos abiecerat v. 10, ipse non sortitus est luctum funebrem, neque ei contigit ullus sepulturae honor neque sepulcrum patrium, vel in monumento eius familiae vel in solo patriae, in quo sepeliri a Iudaeis magni aestimatur. Simul hisce quaedam efferuntur, quibus indoles ferox, impia, crudelis Iasonis magis declaratur; ita v. g. insepultum aliquem abiicere, improbitatis et ignominiae fastigium fere habebatur; cf. 1 Mach. 7,17.

8. *Antiochus saevit in urbem* 5,11-27.

5,11. *His itaque gestis suspicatus est rex societatem deserturos Iudaeos, et ob*

5,11. Προσπεσόντων δὲ τῷ βασιλεῖ περὶ τῶν γεγονότων διέλαβεν ἀποστατεῖν τὴν Ἰου-

hoc profectus ex Aegypto efferatis animis civitatem quidem armis cepit. 12. *Iussit autem militibus interficere nec parcere occursantibus et per domos ascendentes trucidare.* 13. *Fiebant ergo caedes iuvenum ac seniorum et mulierum et natorum exterminia virginumque et parvulorum neces.* 14. *Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati.* 15. *Sed nec ista sufficiunt; ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore qui legum et patriae fuit proditor.* 16. *Et scelestis manibus sumens sancta vasa, quae ab aliis regibus et civitatibus erant posita ad ornatum loci et gloriam, contrectabat indigne et contaminabat.*

17. *Ita alienatus mente Antiochus non considerabat quod propter peccata habitantium civitatem modicum Deus fuerat iratus, propter quod et accidit circa locum despectio;* 18. *alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus qui missus est a Seleuco rege ad exspoliandum aerarium, etiam hic statim adveniens flagellatus et repulsus utique fuisset ab audacia.* 19. *Verum non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.* 20. *Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum; postea autem fiet socius bonorum; et qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.*

21. *Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis de templo talentis velociter Antiochiam regressus est, existimans se prae superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.* 22. *Reliquit autem et praepositos ad affligendam gentem; Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est;* 23. *in Garizim autem Andronicum*

δαίαν· ὅθεν ἀναζεύξας ἐξ Αἰγύπτου τεθηριωμένος τῇ ψυχῇ ἔλαβε τὴν μὲν πόλιν δορυάλωτον. 12. Καὶ ἐκέλευσε τοῖς στρατιώταις κόπτειν ἀφειδῶς τοὺς ἐμπίπτοντας καὶ τοὺς εἰς τὰς οἰκίας ἀναβαίνοντας κατασφάζειν. 13. Ἐγίνοντο δὲ νέων καὶ πρεσβυτέρων ἀναιρέσεις, ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν καὶ τέκνων ἀφανισμὸς, παρθένων τε καὶ νηπίων σφαγαί. 14. Ὀκτὼ δὲ μυριάδες ἐν ταῖς πάσαις ἡμέραις τρισὶ κατεφθάρησαν, τέσσαρες μὲν ἐν χειρῶν νομαῖς, οὐχ ἧττον δὲ τῶν ἐσφαγμένων ἐπράθησαν. 15. Καὶ οὐκ ἀρκεσθεὶς δὲ τούτοις κατετόλμησεν εἰς τὸ πάσης τῆς γῆς ἁγιώτατον ἱερὸν εἰςελθεῖν, ὁδηγὸν ἔχων τὸν Μενέλαον τὸν καὶ τῶν νόμων καὶ τῆς πατρίδος προδότην γεγονότα. 16. Καὶ ταῖς μιαραῖς χερσὶ τὰ ἱερὰ σκεύη λαμβάνων καὶ τὰ ὑπ' ἄλλων βασιλέων ἀνατεθέντα πρὸς αὔξησιν καὶ δόξαν τοῦ τόπου καὶ τιμὴν ταῖς βεβήλοις χερσὶ συσσύρων.

17. Καὶ ἐμετεωρίζετο τὴν διάνοιαν ὁ Ἀντίοχος, οὐ συνορῶν ὅτι διὰ τὰς ἁμαρτίας τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων ἀπώργισται βραχέως ὁ δεσπότης, διὸ γέγονε περὶ τὸν τόπον παρόρασις· 18. εἰ δὲ μὴ συνέβαινε προενέχεσθαι πολλοῖς ἁμαρτήμασι, καθάπερ ὁ Ἡλιόδωρος ὁ πεμφθεὶς ὑπὸ Σελεύκου τοῦ βασιλέως ἐπὶ τὴν ἐπίσκεψιν τοῦ γαζοφυλακίου, οὗτος προαχθεὶς παραχρῆμα μαστιγωθεὶς ἀνετράπη τοῦ θράσους. 19. Ἀλλ' οὐ διὰ τὸν τόπον τὸ ἔθνος, ἀλλὰ διὰ τὸ ἔθνος τὸν τόπον ὁ Κύριος ἐξελέξατο. 20. Διόπερ καὶ αὐτὸς ὁ τόπος συμμετασχὼν τῶν τοῦ ἔθνους δυςπετημάτων γενομένων, ὕστερον εὐεργετημάτων ἐκοινώνησε, καὶ ὁ καταλειφθεὶς ἐν τῇ τοῦ παντοκράτορος ὀργῇ πάλιν ἐν τῇ τοῦ μεγάλου δεσπότου καταλλαγῇ μετὰ πάσης δόξης ἐπανωρθώθη.

21. Ὁ γοῦν Ἀντίοχος ὀκτακόσια πρὸς τοῖς χιλίοις ἀπενεγκάμενος ἐκ τοῦ ἱεροῦ τάλαντα, θᾶττον εἰς Ἀντιόχειαν ἐχωρίσθη, οἰόμενος ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας τὴν μὲν γῆν πλωτὴν, καὶ τὸ πέλαγος πορευτὸν θέσθαι διὰ τὸν μετεωρισμὸν τῆς καρδίας. 22. Κατέλιπε δὲ καὶ ἐπιστάτας τοῦ κακοῦν τὸ γένος, ἐν μὲν Ἱεροσολύμοις Φίλιππον, τὸ μὲν γένος Φρύγα, τὸν δὲ τρόπον βαρβαρώτερον ἔχοντα τοῦ καταστήσαντος· 23. ἐν δὲ Γαριζὶν Ἀνδρόνικον, πρὸς δὲ τούτοις Μενέλαον, ὃς χείριστα τῶν ἄλλων ὑπεῤῥέτο

et Menelaum qui gravius quam ceteri imminebant civibus. 24. Cumque appositus esset contra Iudaeos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti et duobus millibus, praecipiens ei omnes perfectae aetatis interficere, mulieres ac iuvenes vendere. 25. Qui cum venisset Ierosolymam, pacem simulans quievit usque ad diem sanctum sabbati; et tunc feriatis Iudaeis arma capere suis praecepit. 26. Omnesque, qui ad spectaculum processerant, trucidavit et civitatem cum armatis discurrens ingentem multitudinem peremit. 27. Iudas autem Machabaeus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat, et foeni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

τοῖς πολίταις. 24. Ἀπεχθῆ δὲ πρὸς τοὺς Ἰουδαίους διάθεσιν ἔχων ὁ Ἀντίοχος ἔπεμψε τὸν μυσάρχην Ἀπολλώνιαν μετὰ στρατεύματος δισμυρίων πρὸς τοῖς δισχιλίοις, προστάξας τοὺς ἐν ἡλικίᾳ πάντας κατασφάξαι, τὰς δὲ γυναῖκας καὶ νεωτέρους πωλεῖν. 25. Οὗτος δὲ παραγενόμενος εἰς Ἱεροσόλυμα καὶ τὸν εἰρηνικὸν ὑποκριθεὶς ἐπέσχεν ἕως τῆς ἁγίας ἡμέρας τοῦ σαββάτου καὶ λαβὼν ἀργοῦντας τοὺς Ἰουδαίους τοῖς ὑφ' ἑαυτὸν ἐξοπλισίαν παρήγγειλε. 26. Καὶ τοὺς ἐξελθόντας πάντας ἐπὶ τὴν θεωρίαν συνεξεκέντησε, καὶ εἰς τὴν πόλιν σὺν τοῖς ὅπλοις εἰςδραμὼν ἱκανὰ κατέστρωσε πλήθη. 27. Ἰούδας δὲ ὁ Μακκαβαῖος δέκατός που γενηθεὶς καὶ ἀναχωρήσας εἰς τὴν ἔρημον, θηρίων τρόπον ἐν τοῖς ὄρεσι διέζη σὺν τοῖς μετ' αὐτοῦ καὶ τὴν χορτώδη τροφὴν σιτούμενοι διετέλουν πρὸς τὸ μὴ μετασχεῖν τοῦ μολυσμοῦ.

Antiochus accepto nuntio de tumultu bellico Iudaeorum putabat eos movere seditionem. Hoc utique putare potuit si ei relatum solum erat pugnam institui contra Menelaum quem ipse rex sacerdotem instituisset; προςπίπτειν innotescere, ad aures pervenire, saepe in graecitate seriore; cf. 8,12;9,3 etc. διαλαμβάνειν percipere, putare. Iudaeos autem a se deficere eo magis aegre tulit, quia regnum quoque aegyptiacum appetebat; inter syriacum autem et aegyptiacum incolere et regionem obtinere gentem sibi offensam et infensam, tolerare minime potuit. Quare seditionem moveri arbitratus animo plane efferato et feroci ex Aegypto profectus est ἀναζεύξας cf. 1 Mach. 11,22 et impetu in urbem facto eam occupavit, δορυάλωτον i. e. urbem hastis, armis captam. Ferocitatem autem belluinam, τεθηριωμένος, ostendit v. 12 mandans militibus, ut minime parcendo, ἀφειδῶς, trucidarent obvios quosque, τοὺς ἐμπίπτοντας qui in eorum manus inciderent, et eos qui in domus ascenderent, in superiora, vel in tecta, ut per tecta domuum discurrentes campum peterent apertum. Factae igitur sunt caedes nulla ratione habita aetatis aut sexus, uti in v. 13 triplici membro effertur : ἀναιρέσεις proprie sublationes, ἀφανισμὸς interitus, σφαγαί mactationes. Per tres dies octoginta millia κατεφθάρησαν perierunt i. e. uti statim explicatur : quadraginta millia interfecta sunt et totidem in servitutem vendita; ἐν χειρῶν νομαῖς absumebantur manuum grassationibus (*Wahl, Gr. K.*); νομή pascuum, pabulum, ἡ τοῦ πυρὸς νομή de vastatione et propagatione ignis, item

νομή de incremento ulceris; ceterum ipse auctor statim explicat dictionem voce τῶν ἐσφαγμένων, ergo interfecti sunt quasi pabulum manuum, gladiorum. Numerus 80 millium sapit popularem traditionem; 1 Mach. 1,24 dicitur solum ἐποίησε φονοκτονίαν.

Tanta ferocitate non contentus, οὐκ ἀρκεσθεὶς, ad aliud progreditur scelus. In templum totius terrae sanctissimum ausus est intrare; Menelaus ipse eum introduxit, impuris manibus sacra vasa sumpsit et quae ab aliis regibus ad amplificationem, locupletationem αὔξησιν et gloriam et honorem loci donata erant anathemata sacra, haec profanis manibus contrectavit; additur (neque tamen in A, 23,44,52,56 al, neque vulg) ἐπεδίδου dedit scil. suis comitibus, S dedit eis, ut scil. vasa aurea et argentea in suum aerarium inferrentur; S addit dona quae a civitatibus posita erant. Singula quae abstulit recensentur 1 Mach. 1,23. 24. Quod Heliodoro male cessit, bene cessit Antiocho. Templum numinis Iudaeorum impune profanavit et spoliavit. Unde explicat sacer auctor, cur Deus id permiserit. Antiochus quidem ob felicem rei successum ἐμετεωρίζετο τὴν διάνοιαν mente elatus superbiebat, extollebatur, non expendens Deum ob peccata incolarum brevi tempore indignatum esse et ad iram provocatum. Propter pium Oniam Deus templi profanationem ab Heliodoro attentatam non permisit; verum ob sacerdotes facinorosos ipsum quoque templum coram Deo evasit profanum; γέγονε παρόρασις neglectus exstitit Dei; permisit Deus templum violari. Ut olim rex Assur, ita tum Antiochus erat virga furoris Dei et baculus (Is. 10,5). Nam nisi ante illum conatum obstricti fuissent προενέχεσθαι multis peccatis, etiam hic προαχθεὶς superbia sua impulsus scil. ad penetrandum in templum, statim flagellatus in fugam coniectus et cohibitus fuisset ab audacia facinorosa, uti acciderat Heliodoro (cf. 3,23 seq.). Peccatum miseros reddit populos (Prov. 14,34); propter peccata repulit Deus tabernaculum Silo (Ps. 77,60) et quia fecistis omnia opera haec, faciam domui huic et loco quem dedi vobis, sicut feci Silo propter malitiam populi mei (Ier. 7, 12-14).

Hunc Dei agendi modum et permissionem, παρόρασιν neglectum, auctor pluribus declarat v. 19. 20. Conferenda est notio saepius expressa, scil. peccatis populi maculari terram, pollui sanctuarium; cf. Lev. 16,16 et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel et a praevaricationibus eorum cunctisque peccatis, et Ier. 2,7 ingressi contaminastis terram meam et hereditatem meam posuistis in abominationem. Sicuti Deus ob peccatum maledixit terrae (Gen. 3,17), ob peccatum regiones amoenissimas in vastam solitudinem mutatum iri voluit (cf. Is. 13,19 seq. 34,7 seq. Ier. 50,38; Soph. 2,9; posuit enim

Deus terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea (Ps. 106,34), ita tum Deus voluit ipsum templum esse particeps casuum et infortuniorum populi, δυςπετημάτων casuum adversariorum. Neque enim regio per se est sancta aut electa prae aliis, sed populum sibi elegit, ut sit sanctus (cf. Ex. 19,5) et propter populum sibi elegit templum, in quo et per quod populo beneficia praestaret. Postea cum populus sincere ad Deum rediit, locus iterum factus est consors bonorum; et derelictus in ira vindicis Dei, iterum facta reconciliatione et expiatione cum magna gloria est erectus et exaltatus v. 20; cf. 10, 3-9: καταλειφθείς singulari Dei protectione destitutus, profanationi relictus a Deo, qui eam permisit; cf. v. 17 παρόρασις, et ita templum neglexit.

Antiochus igitur (γοῦν, οὖν, qua particula post digressionem ad inceptam narrationem reditur, γε sententiae subiectum cum emphasi effert; cf. *Klotz*, Devarii de particulis II p. 353 certe igitur) abstulit ex templo talenta 1.800, pretium scil. vasorum, auri, argenti et thesaurorum occultorum (1 Mach. 1,23. 24) et θᾶττον (cf. 4,31) citius quam exspectabatur, quam oportebat, quam conveniebat Antiochiam rediit. Qua mentis elatione et arrogantia, ac si res plane divinas peregisset, auctor innuit: prae insolentia existimans, se reddere propter elationem et superbiam cordis terram navigabilem et oceanum permeabilem; in tantum insaniae quasi progressus, ut nihil sibi arduum fore putaret, ut velut dominus ipsi rerum naturae contra naturam posset praecepta imponere. Remittit *Calm.* ad Iustin. 2,10: (Xerxes) fiducia virium, veluti naturae ipsius dominus et montes in planum ducebat et convexa vallium aequabat et quaedam maria pontibus sternebat, quaedam ad navigationis commodum per compendium ducebat. Antiochus, ut iugum absentis quoque regis sentirent, reliquit praefectos τοῦ κακοῦν τὸ γένος ad gentem affligendam, male tractandam; in ipsa urbe Philippum, gente Phrygem, crudeliorem ipso illo, qui eum constituerat scil. rege ipso erat immanior; in Garizin erat praefectus Andronicus; in sanctuario scil. Samaritanorum prope Sichem. Posuit hos praefectos prope ipsum sanctuarium Iudaeorum in urbe et prope sanctuarium Samaritanorum, ut custodia sanctuarii esset simul efficax custodia regionis et hominum, et ut coetus qui ad cultum conveniebant eo facilius cohiberentur et ad obsequium regis adstringerentur. Et praeter hos duos (πρὸς δὲ τούτοις) reliquit Menelaum, qui pessime omnium insolenter se extulit super cives; ille scil. Menelaus, summus sacerdos; verba quae sequuntur ἀπεχθῆ δὲ πρὸς τοὺς πολίτας Ἰουδαίους ἔχων διάθεσιν in textu communiter recepto ad antecedentia referuntur, ita ut animus Menelai describatur, qui hostilem habeat

affectionem in cives Iudaeos, scil. qui vere erant Iudaei nec civitatem Antiochenam acquirere voluerant. Quod vero habetur ἀπεχθῆ δὲ (δὲ omnino esse delendum, *Gr.* censet), explica eo quod δὲ etiam ponitur, si ei notioni quae iam significata est, similis notio quodam modo opponitur, vel etiam simpliciter tum, cum eiusdem rei aut notionis repetitio habetur (cf. *Klotz*, Devar. II p. 361). Sed secundum S et vulg. verba illa referuntur ad subsequentia, scil. ad Antiochum. Philippus et Andronicus (non ille 4,38), cum relicti sint praefecti ab Antiocho redeunte ab urbe Antiochiam, non sunt iidem, de quibus 1 Mach. 1,53, quippe qui praepositi sint post duos annos (1 Mach. 1,30).

Secundum S et vulg. ratio redditur, cur Antiochus miserit Apollonium τὸν μυσάρχην, ducem Mysorum[1] cum exercitu, scil. quia animi affectionem infensam, odio plenam in Iudaeos gerebat; S: Antiochus erat in furore et in animo duro contra Iudaeos et misit etc. Haec coniunctio sententiae apta est et consentanea, quia causa quaedam assignatur, cur Antiochus novam vexationem Iudaeis intulerit, ideoque alteri videtur praeferenda. Apollonius 1 Mach. 1,31 missus est post duos annos i. e. anno 145 sel. et anno 168 ante Ch.; de eo vide supra 3,5. 7, 4,4 qui iam se inimicum Iudaeis satis praestiterat. Mandato regis plane crudeli, imo insano erat instructus interficiendi τοὺς ἐν ἡλικίᾳ πάντας adultos omnes, scil. bellicosos iuvenes et viros, vendendi in servitutem mulieres et iuniores. Plane delere gentem iudaicam voluit; adeo eam exosam habuit. Et elegit ministrum odii sui sceleri huic minime imparem. Primo enim pacificum se simulans ἐπέσχεν sese continuit, exspectavit usque ad diem sabbati, quo scil. die Iudaei non pugnarent neque vim vi repellerent; cf. 1 Mach. 2,32-38. Eo autem die λαοὺς ἀργοῦντας cum videret Iudaeos ab omni opere otiosos, iussit suos arma capere v. 25. Egressi erant ἐπὶ τὴν θεωρίαν *ad spectaculum* (item S), non poterit aliter intelligi quam ad spectandos milites (*Calm. K.*), quamvis multi explicare conentur θεωρίαν de cultu Dei, ad spectanda sacrificia sacraque officia (*Lap. Gr.*). Dicitur utique θεωρία apud profanos de ludis festivis, de die festo, ἡ τοῦ Διονύσου θεωρία (Plato, Leg. I, 650); at improbabile est auctorem Iudaeum cultum in templo designare: egredi ad θεωρίαν; et cum subiungatur καὶ εἰς τὴν πόλιν etc., omnino intelligendum est quod S explicite posuit: egressi sunt ex urbe sicut ad spectaculum. Putat *Gr.* Iudaeis fuisse religioni die sabbati spectare milites in armis decurrentes. Sed nonne auctor iam conquestus est de iis qui in palaestra ludos Graeco-

1. Ita nomen explicat *Niese* l. c. p. 29; S et vulg. et interpretes explicant principem sceleris.

rum imitabantur; cf. 4,12-15. Etsi itaque multi iique pii id sibi religioni ducerent, certe non deerant qui libenter eiusmodi spectaculo assistere volebant. Quot adfuerint, non dicitur, solum omnes qui exierint esse trucidatos. Dein καὶ εἰς τὴν πόλιν in ipsam urbem irrumpentes milites magnam prostraverunt multitudinem.

Occasione turbarum Iudas Machabaeus δέκατός που γενηθείς decimus circiter factus i. e. cum novem circiter sociis (de ea notione που vide *Klotz*, Devar. I p. 191) secessit in desertum locum; cf. 2 Petr. 2,5 ὄγδοον Νῶε ἐφύλαξεν Noe cum septem de suis servavit; exempla apud Thucydidem 1,61 πέμπουσι Καλλίαν πέμπτον στρατηγόν mittunt Calliam praefectum cum quattuor collegis; 1,116; 2,13; 3,3 etc. cf. *Hermann*, Viger. ed. 3 Lipsiae 1822 p. 73. Solius Iudae mentionem facit auctor, quia de eo a cap. 8 narrationem texit, patris Mathathiae mentione non facta; 1 Mach. 2,28 seq. simul cum patre et filiis multi pii cultores fugerunt in montes; χορτώδης τροφή cibus, nutrimentum herbaceum, terra genitum; σιτούμενοι διετέλουν i. e. permanenter alebantur; solum eo ciborum genere semper utebantur, ut immunes essent ab inquinatione, v. g. a carne idolis immolata, vel a carne cum sanguine etc. cf. 1 Mach. 1,65. Quam contaminationem praeprimis evitare in animo fuerit, declaratur exemplo in cap. 6 (*Lap.*).

9. *Crudelis in Iudaeos persecutio* 6,1-17.

6,1. *Sed non post multum temporis misit rex senem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudaeos ut se transferrent a patriis et Dei legibus, 2. contaminare etiam quod in Ierosolymis erat templum et cognominare Iovis Olympii, et in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitabant, Iovis hospitalis. 3. Pessima autem et universis gravis erat malorum incursio; 4. nam templum luxuria et comessationibus gentium erat plenum et scortantium cum meretricibus, sacratisque aedibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quae non licebat. 5. Altare etiam plenum erat illicitis, quae legibus prohibebantur. 6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter Iudaeum se esse quisquam confitebatur. 7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia,*

6,1. Μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον ἐξαπέστειλεν ὁ βασιλεὺς γέροντα Ἀθηναῖον ἀναγκάζειν τοὺς Ἰουδαίους μεταβαίνειν ἀπὸ τῶν πατρῴων νόμων καὶ τοῖς τοῦ Θεοῦ νόμοις μὴ πολιτεύεσθαι, 2. μολῦναι δὲ καὶ τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν καὶ προσονομάσαι Διὸς Ὀλυμπίου καὶ τὸν ἐν Γαριζὶν, καθὼς ἐτύγχανον οἱ τὸν τόπον οἰκοῦντες, Διὸς Ξενίου. 3. Χαλεπὴ δὲ καὶ τοῖς ὄχλοις ἦν καὶ δυςχερὴς ἡ ἐπίτασις τῆς κακίας· 4. τὸ μὲν γὰρ ἱερὸν ἀσωτίας καὶ κώμων ἐπεπληροῦτο ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ῥαθυμούντων μεθ' ἑταίρων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς περιβόλοις γυναιξὶ πλησιαζόντων, ἔτι δὲ τὰ μὴ καθήκοντα ἔνδον εἰςφερόντων. 5. Τὸ δὲ θυσιαστήριον τοῖς ἀποδιεσταλμένοις ἀπὸ τῶν νόμων ἀθεμίτοις ἐπεπληροῦτο. 6. Ἦν δ' οὔτε σαββατίζειν, οὔτε πατρῴους ἑορτὰς διαφυλάττειν, οὔτε ἁπλῶς Ἰουδαῖον ὁμολογεῖν εἶναι. 7. Ἤγοντο δὲ μετὰ πικρᾶς ἀνάγκης εἰς τὴν κατὰ μῆνα τοῦ βασιλέως γενέθλιον ἡμέραν ἐπὶ σπλαγχνισμόν· γενομένης δὲ Διονυσίων ἑορτῆς ἠναγκάζοντο κισσοὺς ἔχοντας πομπεύειν τῷ Διονύσῳ.

et cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.
8. Decretum autem exiit in proximas gentilium civitates suggerentibus Ptolemaeis, ut pari modo et ipsi adversus Iudaeos agerent ut sacrificarent, 9. eos autem qui nollent transire ad instituta gentium, interficerent; erat ergo videre miseriam.

10. Duae enim mulieres delatae sunt natos suos circumcidisse, quas infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros praecipitaverunt. 11. Alii vero ad proximas coeuntes speluncas et latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur propter religionem et observantiam manu sibimet auxilium ferre.

12. Obsecro autem eos qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversus casus, sed reputent ea quae acciderunt non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. 14. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter exspectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat, 15. ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. 16. Propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amovet; corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit. 17. Sed haec nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Iam autem veniendum est ad narrationem.

8. Ψήφισμα δὲ ἐξέπεσεν εἰς τὰς ἀστυγείτονας πόλεις Ἑλληνίδας Πτολεμαίου ὑποθεμένου, τὴν αὐτὴν ἀγωγὴν κατὰ τῶν Ἰουδαίων ἄγειν καὶ σπλαγχνίζειν, 9. τοὺς δὲ μὴ προαιρουμένους μεταβαίνειν ἐπὶ τὰ Ἑλληνικὰ κατασφάζειν· παρῆν οὖν ὁρᾶν τὴν ἐνεστῶσαν ταλαιπωρίαν.

10. Δύο γὰρ γυναῖκες ἀνηνέχθησαν περιτετμηκυῖαι τὰ τέκνα αὐτῶν· τούτων δὲ ἐκ τῶν μαστῶν κρεμάσαντες τὰ βρέφη καὶ δημοσίᾳ περιαγαγόντες αὐτὰς τὴν πόλιν κατὰ τοῦ τείχους ἐκρήμνισαν. 11. Ἕτεροι δὲ πλησίον συνδραμόντες εἰς τὰ σπήλαια λεληθότως ἄγειν τὴν ἑβδομάδα, μηνυθέντες τῷ Φιλίππῳ συνεφλογίσθησαν, διὰ τὸ εὐλαβῶς ἔχειν βοηθῆσαι ἑαυτοῖς κατὰ τὴν δόξαν τῆς σεμνοτάτης ἡμέρας.

12. Παρακαλῶ οὖν τοὺς ἐντυγχάνοντας τῇδε τῇ βίβλῳ μὴ συστέλλεσθαι διὰ τὰς συμφορὰς, λογίζεσθαι δὲ τὰς τιμωρίας μὴ πρὸς ὄλεθρον, ἀλλὰ πρὸς παιδείαν τοῦ γένους ἡμῶν εἶναι. 13. Καὶ γὰρ τὸ μὴ πολὺν χρόνον ἐᾶσθαι τοὺς δυσσεβοῦντας, ἀλλ' εὐθέως περιπίπτειν ἐπιτιμίοις, μεγάλης εὐεργεσίας σημεῖόν ἐστιν. 14. Οὐ γὰρ καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ἀναμένει μακροθυμῶν ὁ δεσπότης μέχρι τοῦ καταντήσαντας αὐτοὺς πρὸς ἐκπλήρωσιν ἁμαρτιῶν κολάσαι, 15. οὕτω καὶ ἐφ' ἡμῶν ἔκρινεν εἶναι, ἵνα μὴ πρὸς τέλος ἀφικομένων ἡμῶν τῶν ἁμαρτιῶν ὕστερον ἡμᾶς ἐκδικᾷ. 16. Διόπερ οὐδέποτε μὲν τὸν ἔλεον αὐτοῦ ἀφ' ἡμῶν ἀφίστησι· παιδεύων δὲ μετὰ συμφορᾶς οὐκ ἐγκαταλείπει τὸν ἑαυτοῦ λαόν. 17. Πλὴν ἕως ὑπομνήσεως ταῦθ' ἡμῖν εἰρήσθω· δι' ὀλίγων δ' ἐλευστέον ἐπὶ τὴν διήγησιν.

Hisce aliqua supplentur ad ea quae 1 Mach. 1, 45 seq. narrantur; ita exponuntur abominationes in templo factae et persecutiones in vicinis quoque civitatibus in quibus Iudaei cum alienigenis habitabant. Quaedam quae in priore libro referuntur, in hoc non tanguntur; ita edictum regis generale, altare idololatricum, libri legis combusti etc.

— Aliquo tempore post Apollonium misit rex γέροντα Ἀθηναῖον senem Atheniensem scil. origine, vulg Antiochenum; si Ἀθηναῖος esset nomen proprium viri, exspectanda esset dictio γέροντά τινα Ἀθηναῖον ὀνόματι, auctor enim satis bene graece scribere solet. Erat unus ex illis principibus populo praepositis qui haec fieri cogerent (uti 1 Mach. 1,53 dicitur), scil. qui cogeret Iudaeos recedere a legibus patriis καὶ μὴ πολιτεύεσθαι neque vitam instituere ex norma legum Dei. Ille vir missus quoque erat v. 2 μολῦναι ut templum contaminaret idque cognominaret fanum Iovis Olympii i. e. Iovi Olympio templum in posterum esse sacrum constitueret. Quod factum est aedificato altari super aram holocaustorum 1 Mach. 1,57. Eodem modo templum in Garizim consecrare iussus erat Iovi hospitali, *prout erant hi qui locum inhabitabant,* scil. ξένοι, ignotum est qua ratione Samaritani laudem liberalitatis in hospites sibi comparaverint. Alii explicant eo quod essent hospites et advenae (*Lap.*), ξένοι, potius, quia tamquam advenae et peregrini erant in Iovis hospitalis tutela (*Calm.*)? Uti Iosephus (Ant. 12,5,5) narrat, Samaritani ut se vexationibus regis subtraherent, suam cum Iudaeis cognationem negantes asserebant se esse Sidonios et templum suum sacrum dici optabant Iovi Hellenio.

Iam exponitur quali modo vir ille aetate profectus mandata regia de contaminatione templi et de abolitione legis exsecutus sit. Et in v. 3 quidem in universum dicitur incursionem seu impetum improbitatis etiam turbis populi valide difficilem et terribilem exstitisse, καὶ τοῖς ὄχλοις, vulgo, plebi, hominibus quoque vulgaribus, qui communi quadam improbitate non excitantur. Contaminatio templi describitur v. 4. 5 : templum replebatur ἀσωτίας luxuria, καὶ κώμων comissationibus, conviviis cum cantu, saltationibus, quae instituebantur a gentilibus, ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ῥαθυμούντων dissolute agentibus μεθ' ἑταίρων cum aequalibus; plerumque scribunt ἑταιρῶν cum meretricibus, idemque videtur expressum in vulg.; verum cum graeco in textu sequatur : in templi atriis γυναιξὶν πλησιαζόντων, puto scribendum esse ἑταίρων ne idem bis exprimatur; etiam *Calm.* vertit cum sodalibus; S : templum enim plenum erat convivio (iucunditate) et cantu et laetitia gentilium et profanaverunt illud valde, etiam cum mulieribus sociabantur in quovis eius circuitu. Ad eosdem gentiles refertur : ἔτι δὲ praterea vero ea quae non decent in templum inferebant, scil. res immundas; id quod in v. 5 magis declaratur : altare implebatur illis victimis illegitimis quae per leges omnino prohibebantur, ab iis quasi separatae erant. ἀποδιεσταλμένοις, utpote vetitae. Animalia immunda, sues, immolabantur in ara.

Cunctus cultus Dei impediebatur; neque sabbatum neque ullus fes-

tus dies celebrabatur, neque simpliciter Iudaeum se esse fateri licebat; ἣν fieri poterat, fiebat; ipsum nomen Iudaeorum deleri velle videbantur. Dura quoque necessitate rapiebantur ἐπὶ σπλαγχνισμόν ad visceratione graece σπλάγχνα), ad convivium sacrificale in die natali regis κατὰ μῆνα qui singulis mensibus celebrabatur. Hoc additum omittitur in vulg, sed habetur apud S, atque singulis mensibus diem natalem regum fuisse celebratum, quod communiter inauditum esse dixerunt (*Gr. K. Ks.*), nuperrime pluribus exemplis probavit *Schürer* Zeitschrift für die neutest. Wissenschaft 1902 p. 49 seq.). Ex inscriptione Canopea ex anno nono Ptolemaei III i. e. 239-238 ante Ch. apparet diem quintum mensis Δίου et diem 25 eiusdem mensis fuisse diem natalem, regis illum quintum, et hunc diem 25 diem regni capti; iam ibidem narratur καθ' ἕκαστον μῆνα ἄγονται ἐν τοῖς ἱεροῖς ἑορταί die quinto et vigesimo quinto; ergo uterque dies singulis mensibus celebrabatur. Eiusdem usus mentio fit in inscriptione Rosetteana, in qua statuitur ἄγειν τὰς ἡμέρας ταύτας κατὰ μῆνα i. e. diem natalem et diem regni Ptolemaei V qui regnum anno 196 ante Ch. suscepit. Eundem honorem celebrationis singulis mensibus sibi decrevit pro utroque die Antiochus I rex Commagenes et voluit, ut etiam post suam mortem dies uterque singulis mensibus ageretur (ex saeculo primo ante Ch.). Pro eadem re exempla habentur ex tempore Attali II (159-138) vel Attali III (138-133 ante Ch.), legitur in inscriptione ἔν τε τοῖς γενεθλίοις τοῦ βασιλέως καθ' ἕκαστον μῆνα θυσιάζων ὑπὲρ τοῦ δήμου διαδρομὰς ἐτίθει τοῖς τε ἐφήβοις καὶ τοῖς νέοις. Ex inscriptione Pergamena apparet diem natalem Augusti usque ad Hadriani tempora actum esse singulis mensibus. Eius igitur usus exempla habentur ex saeculo tertio ante Chr. usque ad Hadriani tempora.

Pariter cogebantur Διονύσια, Bacchanalia celebrare, i. e. coronas hederaceas gestantes in honorem Bacchi in pompa incedere, πομπεύειν. Hederam fuisse Baccho sacram notum est; plura eius rei testimonia vide apud *Gr*. Insuper persecutio etiam extenditur ad Iudaeos qui in civitatibus Philisthaeorum et Phoenices habitant. Editum est decretum tale Πτολεμαίου ὑποτιθεμένου (A et plures minusculi; S ad civitates vicinas et Ptolemaida Ptolemaeo suggerente, illo scil. de quo 4,45. Quod vulg. et 19. 62. 64. 93 (codices inter se cognati qui dicuntur) praebent *suggerentibus Ptolemaeis*, explicandum esse videretur de fratribus Ptolemaeo Philometore et Ptolemaeo Physcone, qui tamen Iudaeis potius favebant, saltem infensi non erant. Cum Ptolemaeus 4,45. 46 apud regem favore potiretur, istud decretum ab ipso rege editum esse suadente Ptolemaeo probabile videtur, neque Ptolemaeus inter eos recensetur quos rex in Palaestinam misit; quare improbabilis

est sententia *Gr.* decretum esse editum ab illo Atheniensi. Sed unde huic potestas in civitates hellenicas? Eiusmodi decretum autem congruit regi et est quasi supplementum quoddam ad illud quod 1 Mach. 1,43 commemoratur. Praecipitur illis civitatibus, ut eundem modum servent cum Iudaeis qui scil. descriptus v. 6. 7, καὶ σπλαγχνίζειν, et epulas sacrificales instituant, sicut in v. 7, et Iudaeos cogant ritus idololatricos assumere; qui non transire velint ἐπὶ τὰ Ἑλληνικά ad mores graecos, hos interficiant. Tali decreto παρῆν aderat occasio videndi instantem calamitatem, aerumnam.

Iam huius miseriae incumbentis aliqua exemplo afferuntur, primo duarum mulierum et multorum flammis necatorum, dein Eleazari senis, dein septem fratrum eorumque matris (cap. 6. 7). Praeceptum erat, ut circumcisio tolleretur 1 Mach. 1,51. Duae mulieres delatae sunt; cf. 1 Mach. 1,63; ἀνηνέχθησαν potius productae sunt ut tales quae circumcidissent, quasi ex latebris eductae in publicum locum. Alii in vicinas speluncas confugerant ut occulte sabbatum celebrarent; Philippus (cf. 5,22) igne ante speluncas accenso et in eas immisso fumo et flammis eos perdidit, quia religioni ducebant διὰ τὸ εὐλαβῶς ἔχειν sibimet opem ferre κατὰ τὴν δόξαν pro opinione quam habebant de augustissimo die; ergo prae reverentia et dignitate sabbati non ausi sunt se tutari, ne flammis simul omnes concremarentur; cf. 1 Mach. 2,31-38.

Consideratione adiecta docet auctor quale iudicium de aerumnis populo Dei ingruentibus ferendum sit; mitti scil. aerumnas non ad perditionem, sed ad correptionem et eruditionem; Deum enim in suo populo delicta statim punire, ne in eis contabescant, sed ut resipiscant (v. 12-17).

Monet, ne qui incidant in hunc librum perturbentur, μὴ συστέλλεσθαι ne mente concidant propter casus adversos, verum id perpendant, τιμωρίας poenas non ad perditionem, sed ad correptionem, ad eruditionem πρὸς παιδείαν gentis nostrae spectare. Cf. infra 7,32. 33 et Iudith 8,27 esse flagella Domini quibus corripimur ad emendationem et non ad perditionem. Nam in magni beneficii loco collocandum est, ut non permittatur improbis diu in improbitate manere; statim vero incidere in poenas, magni beneficii documentum et signum est v. 13. Si enim Deus eos diu impunes reliquerit, in dies peiores efficientur ac demum in obfirmatam in malo animi contumaciam devenient omnemque deinceps medicinam respuent (*Calm.*). Et in v. 14. 15 effertur discrimen quod Deus observet quoad gentes et suum populum. Nam apud gentes Deus exspectat longanimis, donec eos puniat postquam mensuram peccatorum impleverint, πρὸς ἐκπλήρωσιν postquam

pervenerunt ad completum numerum peccatorum; cf. Gen. 15,16 necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum; Matth. 23,32 et vos implete mensuram patrum vestrorum, 1 Thess. 2,16. At eo modo non agit cum populo suo; eos enim statim punit, ne tum demum vindictam exerceat, quando peccata πρὸς τέλος ad finem, ad summam mensuram pervenerint: ἵνα μὴ ἐκδικᾷ, similiter S: sed statim nobis retribuit, ne in finem nos opprimat. Quod vulg. habet, explica: non enim, ut in alias nationes, ita etiam in nos agit, ut scil. tum demum puniat quando peccata ad extremum pervenerint. Iste modus agendi quem Deus servare dicitur cum aliis nationibus, non servatur cum Iudaeis. Illud *ut* in v. 15 consecutive accipe.

Unde consequens est v. 16; cf. Is. 54,7 seq.; statuit enim Deus populum si quid peccaverit mox punire; qua castigatione impediuntur, ne in peccatis quasi contabescant; verum ad poenitentiam et resipiscentiam erudiuntur; ergo suos nunquam relinquit. Verumtamen, πλὴν v. 17, haec a nobis dicta sunto ἕως ὑπομνήσεως commonefactionis gratia, eo scil. fine et consilio, ut in memoriam revocaretur, qualiter de calamitatibus populi sentiendum esset; δι' ὀλίγων δ' ἐλευστέον post brevem digressum autem veniendum est ad narrationem.

10. *Martyrium Eleazari* 6,18-31.

6,18. *Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir aetate provectus et vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.* 19. *At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie praeibat ad supplicium;* 20. *intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens destinavit non admittere illicita propter vitae amorem.* 21. *Hi autem qui adstabant iniqua miseratione commoti propter antiquam viri amicitiam tollentes eum secreto rogabant afferri carnes quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus,* 22. *ut hoc facto a morte liberaretur; et propter veterem viri amicitiam hanc in eo faciebant humanitatem.* 23. *At ille cogitare coepit aetatis ac senectutis suae eminentiam dignam et ingenitae nobilitatis canitiem, atque a puero optimae*

6,18. Ἐλεάζαρός τις τῶν πρωτευόντων γραμματέων, ἀνὴρ ἤδη προβεβηκὼς τὴν ἡλικίαν καὶ τὴν πρόσοψιν τοῦ προσώπου κάλλιστος, ἀναχανὼν ἠναγκάζετο φαγεῖν ὕειον κρέας. 19. Ὁ δὲ τὸν μετ' εὐκλείας θάνατον μᾶλλον ἢ τὸν μετὰ μύσους βίον ἀναδεξάμενος αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε, 20. προπτύσας δὲ, καθ' ὃν ἔδει τρόπον προσέρχεσθαι τοὺς ὑπομένοντας ἀμύνεσθαι ὧν οὐ θέμις γεύσασθαι διὰ τὴν πρὸς τὸ ζῆν φιλοστοργίαν. 21. Οἱ δὲ πρὸς τῷ παρανόμῳ σπλαγχνισμῷ τεταγμένοι διὰ τὴν ἐκ τῶν παλαιῶν χρόνων πρὸς τὸν ἄνδρα γνῶσιν ἀπολαβόντες αὐτὸν κατ' ἰδίαν παρεκάλουν, ἐνέγκαντα κρέα οἷς καθῆκον αὐτῷ χρᾶσθαι· δι' αὐτοῦ παρασκευασθέντα, ὑποκριθῆναι δὲ ὡς ἐσθίοντα διὰ τὰ ὑπὸ τοῦ βασιλέως προστεταγμένα τῶν ἀπὸ τῆς θυσίας κρεῶν, 22. ἵνα τοῦτο πράξας ἀπολυθῇ τοῦ θανάτου καὶ διὰ τὴν ἀρχαίαν πρὸς αὐτοὺς φιλίαν τύχῃ φιλανθρωπίας. 23. Ὁ δὲ λογισμὸν ἀστεῖον ἀναλαβὼν καὶ ἄξιον τῆς ἡλικίας καὶ τῆς τοῦ γήρως ὑπεροχῆς καὶ τῆς ἐπικτήτου καὶ ἐπιφανοῦς πολιᾶς καὶ τῆς ἐκ παιδὸς

conversationis actus et secundum sanctae et a Deo conditae legis constituta, respondit cito dicens, praemitti se velle in infernum. 24. Non enim aetati nostrae dignum est, inquit, fingere; ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, 25. et ipsi propter meam simulationem et propter modicum corruptibilis vitae tempus decipiantur, et per hoc maculam atque exsecrationem meae senectuti conquiram. 26. Nam etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. 27. Quamobrem fortiter vita excedendo senectute quidem dignus apparebo, 28. adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar.

His dictis confestim ad supplicium trahebatur. 29. Hi autem qui eum ducebant et paulo ante fuerant miliores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur; 30. sed cum plagis perimeretur, ingemuit et dixit: Domine qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores, secundum animam vero propter timorem tuum libenter haec patior. 31. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuvenibus sed et universae genti memoriam mortis suae ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens.

καλλίστης ἀναστροφῆς, μᾶλλον δὲ τῆς ἁγίας καὶ θεοκτίστου νομοθεσίας ἀκολούθως ἀπεφήνατο ταχέως λέγων προπέμπειν εἰς τόν ᾅδην. 24. Οὐ γὰρ τῆς ἡμετέρας ἡλικίας ἄξιόν ἐστιν ὑποκριθῆναι, ἵνα πολλοὶ τῶν νέων ὑπολαβόντες Ἐλεάζαρον τὸν ἐννενηκονταετῆ μεταβεβηκέναι εἰς ἀλλοφυλισμὸν, 25. καὶ αὐτοὶ διὰ τὴν ἐμὴν ὑπόκρισιν καὶ διὰ τὸ μικρὸν καὶ ἀκαριαῖον ζῆν πλανηθῶσι δι' ἐμὲ, καὶ μῦσος καὶ κηλῖδα τοῦ γήρως κατακτήσομαι. 26. Εἰ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐξελοῦμαι τὴν ἐξ ἀνθρώπων τιμωρίαν, ἀλλὰ τὰς τοῦ παντοκράτορος χεῖρας οὔτε ζῶν οὔτε ἀποθανὼν ἐκφεύξομαι. 27. Διόπερ ἀνδρείως μὲν νῦν διαλλάξας τὸν βίον, τοῦ μὲν γήρως ἄξιος φανήσομαι, 28. τοῖς δὲ νέοις ὑπόδειγμα γενναῖον καταλελοιπὼς εἰς τὸ προθύμως καὶ γενναίως ὑπὲρ τῶν σεμνῶν καὶ ἁγίων νόμων ἀπευθανατίζειν.

Τοσαῦτα δὲ εἰπὼν ἐπὶ τὸ τύμπανον εὐθέως ἦλθε. 29. Τῶν δὲ ἀγόντων τὴν μικρῷ πρότερον εὐμένειαν πρὸς αὐτὸν εἰς δυςμένειαν μεταβαλόντων διὰ τὸ τοὺς προειρημένους λόγους, ὡς αὐτοὶ διελάμβανον, ἀπόνοιαν εἶναι, 30. μέλλων δὲ ταῖς πληγαῖς τελευτᾶν, ἀναστενάξας εἶπε· τῷ Κυρίῳ τῷ τὴν ἁγίαν γνῶσιν ἔχοντι φανερόν ἐστιν ὅτι δυνάμενος ἀπολυθῆναι τοῦ θανάτου σκληρὰς ὑποφέρω κατὰ τὸ σῶμα ἀλγηδόνας μαστιγούμενος, κατὰ ψυχὴν δὲ ἡδέως διὰ τὸν αὐτοῦ φόβον ταῦτα πάσχω. 31. Καὶ οὗτος οὖν τοῦτον τὸν τρόπον μετήλλαξεν, οὐ μόνον τοῖς νέοις ἀλλὰ καὶ τοῖς πλείστοις τοῦ ἔθνους τὸν ἑαυτοῦ θάνατον ὑπόδειγμα γενναιότητος καὶ μνημόσυνον ἀρετῆς καταλιπών.

Eleazarus, אלעזר nomen satis frequens; cf. 1 Mach. 2,3; explicant: Deus opem fert, vel cui Deus auxiliator, unus ex nobilissimis scribis; cf. 1 Mach. 7,12 συναγωγὴ γραμματέων, natus annos nonaginta v. 24; τὴν πρόσοψιν aspectu faciei pulcherrimus; pulchritudo inter Dei favores reputabatur (cf. Hebr. 11,23. Ex. 2,2); ἱερεὺς vocatur 4 Mach. 5,3 et saepius. Eius aetas et ipsa faciei venustas virum tueri debuit ab immanitate persecutionis et reverentiam ei conciliare; et qualem sibi acquisierit aestimationem, ipsi quoque auctores et exsecutores persecutionis testantur v. 21. Compellebatur, imperfectum de conatu;

cogebant eum i. e. cogere conati sunt, ut os aperiret et manducaret carnem suillam; sus animal immundum (Lev. 11,7. Deut. 14,8), erat quasi imago immunditiei (Prov. 11,22). Caro porcina apud Graecos et Romanos frequenter comedebatur, in cultu quoque deorum et in sacrificiis offerebatur (cf. Is. 65,4; 66,17); verum apud Iudaeos animal hoc in maximo erat contemptu (cf. Matth. 7,6. Luc. 15,15; 2 Petr. 2,22), caro eius iis erat abominationi; nota sunt illa Iuvenalis : quidam sortiti metuentem sabbata patrem, ... nec distare putant humana carne suillam (Sat. 14,96, sq.). Quare magna erat vexatio et contemptus contumeliosus Iudaeorum, quod ad eam carnem manducandam adigebantur; cf. 1 Mach. 1,50.

Eleazar autem, cum eum adigere vellent, frusta quaedam carnis in os apertum intrudentes, sponte accedebat ad instrumentum supplicii προπτύσας δὲ, sed carne spuendo proiecta, dum scil. vel postquam spuendo proiecit. Ita graece (cf. *Calm. Gr. K. Ks.*); vulg *intuens?* S cum gaudio accessit et tradidit se cruciatibus et tormentis. Cur ita egerit, ratio affertur : ἀναδεξάμενος potius elegit subire cum bona fama et gloria mortem quam vitam retinere quae iam retineri non posset nisi simul cum scelere et abominatione coniuncta μετὰ μύσους. Instrumentum supplicii τύμπανον dicitur: videtur fuisse machina in qua veluti tympani membrana extenti verberibus rei ad mortem usque plectebantur; cf. Hebr. 11,35 ἐτυμπανίσθησαν, distenti sunt. In 4 Mach. 5 seq. machina haec vocatur τροχός rota; 5,2. 31; 8,12; 9,12 ἀνέβαλον αὐτὸν ἐπὶ τὸν τροχὸν, περὶ ὃν κατατεινόμενος ἔξαρθρος ἐγίνετο; 9,19; 11,10. 17, nisi forte ibi aliud tormenti genus indicatur; rota enim adhibetur, postquam verbera et flagella sunt applicata cf. 9,12 etc. Videtur tympanum fuisse machina lignea incurva, cui adstringebantur sontes fustibus vel baculis caedendi (*Wahl.*). Ad tale igitur supplicium sponte accedebat προῆγε — modo hoc descriptio declaratur, uti saepius in narratione hac v. 21; 7,7. 18. 21. 25 etc. — accedebat προπτύσας δὲ, quemadmodum oportebat accedere eos qui valeant propulsare a se τοὺς ὑπομένοντας ἀμύνεσθαι quae gustare fas non est propter vitae amorem. Ita ex graeco, qui textus sua concinnitate commendatur. Similiter S : sicut decet, ut se tradant viri patientes (abstinentes) neque polluantur neque manducent quidquam illicitum.

Proponitur Eleazaro ab ipsis regis ministris, ut simulatione sibi vitam servet, id quod ille ut maxime nocivum et sibi et aliis respuit v. 21 seq. Ipsi ministri regis in textu graeco designantur : qui illegitimo epulo sacrificali praepositi erant, οἱ τεταγμένοι constituti ad illud ordinandum, propter cognitionem quam de illo ex longo tempore habebant, eum secreto, privatim κατ' ἰδίαν adhortabantur, ut afferret

carnes quibus vesci ipsi licebat quas ipse praeparasset et ut simularet quasi manducasset carnes a rege praescriptas, desumptas ex carnibus sacrificii v. 21; vulg dicit solum : *qui astabant*, S : qui positi erant a rege super inquisitiones et tormenta nequitiae. Illud autem ei suadebant, ut a morte liberaretur et pro sua antiqua in eos amicitia particeps fieret benevolentiae, ut scil. sortiretur conditionem benignam, immunis esset a cruciatu v. 22. At ille animi indolem nobilem assumpsit et dignam senectutis eminentia et acquisita (cum honore) et illustri canitie et conversatione a puero integerrima, praesertim vero obsequens legislationi sanctae et a Deo conditae clare mentem suam aperuit, ἀπεφήνατο, cito respondens, λέγων προπέμπειν i. e. mandans ut se dimittant in orcum ; S et dixit cito et festinanter : deducite me, mittite me in orcum.

Cur nolit simulatione vitam servare, pluribus explicat v. 24-28; plane indignum est sene ita simulare; huius simulationis exemplum in id tenderet, ut multi iuvenes tali simulatione et ob vitam brevem et exiguam seducerentur propter me; μῦσος scelus, ignominiam, κηλῖδα maculam mihi acquiram senectutis annos natus nonaginta transiens ad vitae genus, cultum, mores alienigenarum. Praeterea v. 26 ad Deum iudicem et potentem oculos mentemque dirigit, qui in vita et post mortem poenas infligere potest. Senem in limine stantem portae aeternitatis, senem experientia longa doctum et in lege Dei per tot annos fideliter versatum minime decet in extrema senectute deficere; unde fortiter moriendo et dignus senectute apparebit et iunioribus exemplum relinquet praeclarum v. 27. 28. Talia locutus statim ipse versus tympanum processit ἦλθε; fortissimum scil. animum prae se ferens; quippe qui non exspectaret, donec a carnificibus raperetur, verum qui se ipsum promptum ostendit et paratum ad supplicium subeundum eique obviam ivit. Hos eius sermones ex amentia, insania profectos esse existimabant οἱ ἄγοντες ductores, qui scil. hoc munus habebant; nam ipse Eleazar sponte accessit; et spreta eorum admonitione cum senex nullam suae vitae rationem haberet et quasi demens suae quam illi putabant superstitioni adhaereret, benevolentia illa paullo antea exhibita transit in malevolentiam, in iram et indignationem de tanta obstinatione. Illi enim neutiquam intelligere valebant cur quis mallet misere torqueri quam carnis frustum deglutire. Ipse vero cum iam fere in eo erat ut plagis perimeretur, ingemiscens : Domino, inquit, manifestum est, qui sanctam habet scientiam i. e. nullo errore, nulla obscuritate temeratam, me corpore duros sustinere dolores, at in animo eos libenter pati διὰ τὸν αὐτοῦ φόβον, timore Dei impellitur ad fideliter legi divinae adhaeren-

dum. Ita ergo mortuus est relinquens in morte sua exemplum generositatis et memoriale seu monumentum virtutis, ἀρετῆς, hoc loco certe non tam fortitudinis, quam verae virtutis moralis et verae in Deum pietatis et fidelitatis.

Laudes Eleazari martyris etiam s. Patres celebrarunt. Pauca quaedam innuere non pigebit. *S. Ambrosius* (de Iacob et vita beata 2,10; *M.* 14,632) scribit : « nec te, Eleazare, praetermittam, utpote sacerdotem sacerdos, sed tuis iuvandus oratis, qui genere sacerdos, peritus in lege, maturus aevi, cum oblatus esses Antiocho persecutori, nec tentamentis potuisti capi nec praemiis inflecti nec suppliciorum acerbitate frangi ». Uti in sacerdote iam secutus est sententiam expressam 4 Mach. 5, ita quoque in sermone Antiochi et in responsione Eleazari vestigia eius libri sequitur. Ceterum praeclaras sententias narrationi inserit : « senectus portus debet esse, non vitae superioris naufragium. Non te negabo, lex patria, non abiurabo vos, sancta instituta maiorum, non decolorabo vos, infulae sacerdotales, non te perfidiae pulvere turpabo palam, canities. Quid multa? Immoriendo tormentis factus est ceteris magisterium perseverantiae, qui electus erat ad infirmitatis exemplum. Beatus igitur, in quo non potuerunt tormenta rationem vincere. Annon beatus qui potuit virtute animi victor esse poenarum, pietatisque remigio servare integram in tantis fluctibus passionem »?

Et *S. Gregorius* naz. (or. 15, alias 22; *M.* 35,914) Eleazarum vocat primitias eorum qui ante Christum passi sunt, virum sacerdotem et natu grandem, tum capillis tum prudentia canum; erat faustum certaminis praeludium, loquens pariter ac tacens cohortatio.

S. Chrysostomus (De Machabaeis III; M. 50,627) ita habet : primus ergo nobis Eleazar in medium prodeat, initium certaminum, martyrii fundamentum, stadiorum ianua, fortitudinis princeps, tolerantiae praecursor, illa canities iuvenescens, testamenti veteris protomartyr, apostolorum principis Petri imago; stabat senior prae nimia tremens senectute, sedebat minas et caedem anhelans tyrannus; et qui tremebat, vegetus abiit, qui florenti aetate lasciviebat victus abscessit; stabat canities excruciata, iudicium exercebat cum auctoritate iuventus efferata et victoriam canities reportabat; o novum genus victoriae! etc.

11. *Martyrium septem fratrum matrisque* 7,1-42.

7,1. *Contigit autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos.* 2. *Unus autem ex illis qui erat primus sic ait : quid quaeris et quid vis discere a nobis? parati sumus mori magis*

7,1. Συνέβη δὲ καὶ ἑπτὰ ἀδελφοὺς μετὰ τῆς μητρὸς συλληφθέντας ἀναγκάζεσθαι ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἀπὸ τῶν ἀθεμίτων ὑείων κρεῶν ἐφάπτεσθαι, μάστιξι καὶ νευραῖς αἰκιζομένους. 2. Εἷς δὲ αὐτῶν γενόμενος προήγορος οὕτως ἔφη· τί μέλλεις ἐρωτᾶν καὶ μανθάνειν παρ' ἡμῶν; ἕτοιμοι γὰρ ἀποθνήσκειν ἐσμὲν ἢ παρα-

quam patrias Dei leges praevaricari. 3. *Iratus itaque rex iussit sartagines et ollas aeneas succendi; quibus statim succensis* 4. *iussit ei qui prior fuerat locutus amputari linguam, et cute capitis abstracta summas quoque manus et pedes ei praescindi, ceteris eius fratribus et matre inspicientibus.* 5. *Et cum iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem admoveri et adhuc spirantem torreri in sartagine, in qua cum diu cruciaretur, ceteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter;* 6. *dicentes : Dominus Deus aspiciet veritatem et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses : et in servis suis consolabitur.*

7. *Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum, et cute capitis eius cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret, priusquam toto corpore per membra singula puniretur.* 8. *At ille respondens patria voce dixit : non faciam. Propter quod et iste sequenti loco primi tormenta suscepit;* 9. *et in ultimo spiritu constitutus sic ait : tu quidem scelestissime in praesenti vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.*

10. *Post hunc tertius illuditur et linguam postulatus cito protulit et manus constanter extendit,* 11. *et cum fiducia ait : e coelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero;* 12. *ita ut rex et qui cum ipso erant mirarentur adolescentis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus.*

13. *Et hoc ita defuncto quartum vexabant similiter torquentes.* 14. *Et cum iam esset ad mortem, sic ait : potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim resurrectio ad vitam non erit.*

βαίνειν τοὺς πατρίους νόμους. 3. Ἔκθυμος δὲ γενόμενος ὁ βασιλεὺς προσέταξε τήγανα καὶ λέβητας ἐκπυροῦν· τῶν δὲ ἐκπυρωθέντων 4. παραχρῆμα τὸν γενόμενον αὐτῶν προήγορον προσέταξε γλωσσοτομεῖν καὶ περισκυθίσαντας ἀκρωτηριάζειν, τῶν λοιπῶν ἀδελφῶν καὶ τῆς μητρὸς συνορώντων. 5. Ἄχρηστον δὲ αὐτὸν τοῖς ὅλοις γενόμενον ἐκέλευσε τῇ πυρᾷ προσάγειν ἔμπνουν καὶ τηγανίζειν· τῆς δὲ ἀτμίδος ἐφ' ἱκανὸν διαδιδούσης τοῦ τηγάνου, ἀλλήλους παρεκάλουν σὺν τῇ μητρὶ γενναίως τελευτᾶν 6. λέγοντες οὕτως· ὁ Κύριος ὁ Θεὸς ἐφορᾷ καὶ ταῖς ἀληθείαις ἐφ' ἡμῖν παρακαλεῖται, καθάπερ διὰ τῆς κατὰ πρόσωπον ἀντιμαρτυρούσης ᾠδῆς διεσάφησε Μωυσῆς λέγων· καὶ ἐπὶ τοῖς δούλοις αὐτοῦ παρακληθήσεται.

7. Μεταλλάξαντος δὲ τοῦ πρώτου τὸν τρόπον τοῦτον, τὸν δεύτερον ἦγον ἐπὶ τὸν ἐμπαιγμόν, καὶ τὸ τῆς κεφαλῆς δέρμα σὺν ταῖς θριξὶ περισύραντες ἐπηρώτων· εἰ φάγεσαι πρὸ τοῦ τιμωρηθῆναι τὸ σῶμα κατὰ μέλος; 8. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς τῇ πατρίῳ φωνῇ εἶπεν· οὐχί. Διόπερ καὶ οὗτος τὴν ἑξῆς ἔλαβε βάσανον ὡς ὁ πρῶτος· 9. ἐν ἐσχάτῃ δὲ πνοῇ γενόμενος εἶπε· σὺ μέν, ἀλάστωρ, ἐκ τοῦ παρόντος ἡμᾶς ζῆν ἀπολύεις, ὁ δὲ τοῦ κόσμου Βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει.

10. Μετὰ δὲ τοῦτον ὁ τρίτος ἐνεπαίζετο καὶ τὴν γλῶσσαν αἰτηθεὶς ταχέως προέβαλε καὶ τὰς χεῖρας εὐθαρσῶς προέτεινε, 11. καὶ γενναίως εἶπεν· ἐξ οὐρανοῦ ταῦτα κέκτημαι καὶ διὰ τοὺς αὐτοῦ νόμους ὑπερορῶ ταῦτα καὶ παρ' αὐτοῦ ταῦτα πάλιν ἐλπίζω κομίσασθαι· 12. ὥστε αὐτὸν τὸν βασιλέα καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ἐκπλήσσεσθαι τὴν τοῦ νεανίσκου ψυχήν, ὡς ἐν οὐδενὶ τὰς ἀλγηδόνας ἐτίθετο.

13. Καὶ τούτου δὲ μεταλλάξαντος τὸν τέταρτον ὡσαύτως ἐβασάνιζον αἰκιζόμενοι. 14. Καὶ γενόμενος πρὸς τὸ τελευτᾶν οὕτως ἔφη· αἱρετὸν μεταλλάσσοντας ὑπ' ἀνθρώπων τὰς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προσδοκᾶν ἐλπίδας πάλιν ἀναστήσεσθαι ὑπ' αὐτοῦ· σοὶ μὲν γὰρ ἀνάστασις εἰς ζωὴν οὐκ ἔσται.

15. *Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum dixit : 16. potestatem inter homines habens cum sis corruptibilis, facis quod vis; noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum.*

17. *Tu autem patienter sustine et videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te et semen tuum torquebit.*

18. *Post hunc ducebant sextum, et is mori incipiens sic ait : noli frustra errare; nos enim propter nosmetipsos haec patimur, peccantes in Deum nostrum et digna admiratione facta sunt in nobis; 19. tu autem ne existimes tibi impune futurum quod contra Deum pugnare tentaveris.*

20. *Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat. 21. Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter repleta sapientia, et femineae cogitationi masculinum animum inserens, 22. dixit ad eos : nescio qualiter in utero meo apparuistis; neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi. 23. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.*

24. *Antiochus autem contemni se arbitratus simul et exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed et cum iuramento affirmabat, se divitem et beatum facturum et translatum a patriis legibus amicum habiturum et res necessarias ei praebiturum. 25. Sed ad haec cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem et suadebat ei ut adolescenti fieret in salutem. 26. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasu-*

15. Ἐχομένως δὲ τὸν πέμπτον προσάγοντες ἠκίζοντο. Ὁ δὲ πρὸς αὐτὸν ἰδὼν εἶπεν· 16. ἐξουσίαν ἐν ἀνθρώποις ἔχων φθαρτὸς ὢν ὃ θέλεις ποιεῖς· μὴ δόκει δὲ τὸ γένος ἡμῶν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καταλελεῖφθαι.

17. Σὺ δὲ καρτέρει καὶ θεώρει τὸ μεγαλεῖον αὐτοῦ κράτος, ὡς σὲ καὶ τὸ σπέρμα σου βασανιεῖ.

18. Μετὰ δὲ τοῦτον ἦγον τὸν ἕκτον, καὶ μέλλων ἀποθνήσκειν ἔφη· μὴ πλανῶ μάτην, ἡμεῖς γὰρ δι' ἑαυτοὺς ταῦτα πάσχομεν ἁμαρτάνοντες εἰς τὸν ἑαυτῶν Θεὸν, διὸ ἄξια θαυμασμοῦ γέγονε. 19. Σὺ δὲ μὴ νομίσῃς ἀθῶος ἔσεσθαι θεομαχεῖν ἐπιχειρήσας.

20. Ὑπεραγόντως δὲ ἡ μήτηρ θαυμαστὴ καὶ μνήμης ἀγαθῆς ἀξία, ἥτις ἀπολλυμένους υἱοὺς ἑπτὰ συνορῶσα μιᾶς ὑπὸ καιρὸν ἡμέρας εὐψύχως ἔφερε διὰ τὰς ἐπὶ Κύριον ἐλπίδας. 21. Ἕκαστον δὲ αὐτῶν παρεκάλει τῇ πατρίῳ φωνῇ γενναίῳ πεπληρωμένη φρονήματι καὶ τὸν θῆλυν λογισμὸν ἄρσενι θυμῷ διεγείρασα. 22. λέγουσα πρὸς αὐτούς· οὐκ οἶδ' ὅπως εἰς τὴν ἐμὴν ἐφάνητε κοιλίαν, οὐδὲ ἐγὼ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ζωὴν ὑμῖν ἐχαρισάμην, καὶ τὴν ἑκάστου στοιχείωσιν οὐκ ἐγὼ διερύθμισα. 23. Τοιγαροῦν ὁ τοῦ κόσμου κτίστης, ὁ πλάσας ἀνθρώπου γένος καὶ πάντων ἐξευρὼν γένεσιν, καὶ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ζωὴν ὑμῖν πάλιν ἀποδώσει μετ' ἐλέους, ὡς νῦν ὑπερορᾶτε ἑαυτοὺς διὰ τοὺς αὐτοῦ νόμους.

24. Ὁ δὲ Ἀντίοχος οἰόμενος καταφρονεῖσθαι καὶ τὴν ὀνειδίζουσαν ὑφορώμενος φωνὴν, ἔτι τοῦ νεωτέρου περιόντος, οὐ μόνον διὰ λόγων ἐποιεῖτο τὴν παράκλησιν, ἀλλὰ καὶ δι' ὅρκων ἐπίστου ἅμα πλουτιεῖν καὶ μακαριστὸν ποιήσειν μεταθέμενον ἀπὸ τῶν πατρίων νόμων, καὶ φίλον ἕξειν καὶ χρείας ἐμπιστεύσειν. 25. Τοῦ δὲ νεανίου μηδαμῶς προσέχοντος προσκαλεσάμενος ὁ βασιλεὺς τὴν μητέρα παρῄνει γενέσθαι τοῦ μειρακίου σύμβουλον ἐπὶ σωτηρίᾳ. 26. Πολλὰ δὲ αὐτοῦ παραινέσαντος ἐπεδέξατο πείσειν τὸν υἱόν. 27. Προσκύψασα δὲ αὐτῷ χλευάσασα τὸν ὠμὸν τύραννον, οὕτως

ram se filio suo. 27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce : fili mi, miserere mei, quae te in utero novem mensibus portavi et lac triennio dedi et alui et in aetatem istam perduxi. 28. Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia quae in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus; 29. ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

30. Cum haec illa adhuc diceret, ait adolescens : quem sustinetis? non obedio praecepto regis, sed praecepto legis, quae data est nobis per Moysen. 31. Tu vero, qui inventor omnis malitiae factus es in Hebraeos, non effugies manum Dei. 32. Nos enim pro peccatis nostris haec patimur. 33. Et si nobis propter increpationem et correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est, sed iterum reconciliabitur servis suis. 34. Tu autem, o sceleste, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos eius inflammatus; 35. nondum enim omnipotentis Dei et omnia inspicientis iudicium effugisti. 36. Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento aeternae vitae effecti sunt; tu vero iudicio Dei iustas superbiae tuae poenas exsolves. 37. Ego autem sicut et fratres mei, animam et corpus meum trado pro patriis legibus, invocans Deum maturius genti nostrae propitium fieri teque cum tormentis et verberibus confiteri quod ipse est Deus solus. 38. In me vero et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quae super omne genus nostrum iuste superducta est.

39. Tunc rex accensus ira in hunc super omnes crudelius desaevit indigne ferens se derisum. 40. Et hic itaque mundus obiit per omnia in Domino confidens. 41. Novissime autem post filios et mater consumpta est. 42. Igitur

ἔφησε τῇ πατρίῳ φωνῇ· υἱέ, ἐλέησόν με τὴν ἐν γαστρὶ περιενέγκασάν σε μῆνας ἐννέα, καὶ θηλάσασάν σε ἔτη τρία, καὶ ἐκθρέψασάν σε καὶ ἀγαγοῦσαν εἰς τὴν ἡλικίαν ταύτην καὶ τροφοφορήσασαν. 28. Ἀξιῶ σε, τέκνον, ἀναβλέψαντα εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἰδόντα, γνῶναι ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεὸς καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος οὕτως γεγένηται. 29. Μὴ φοβηθῇς τὸν δήμιον τοῦτον, ἀλλὰ τῶν ἀδελφῶν ἄξιος γενόμενος ἐπίδεξαι τὸν θάνατον, ἵνα ἐν τῷ ἐλέει σὺν τοῖς ἀδελφοῖς σου κομίσωμαί σε.

30. Ἔτι δὲ ταύτης καταλεγούσης ὁ νεανίας εἶπε· τίνα μένετε; οὐχ ὑπακούω τοῦ προςτάγματος τοῦ βασιλέως· τοῦ δὲ προςτάγματος ἀκούω τοῦ νόμου τοῦ δοθέντος τοῖς πατράσιν ἡμῶν διὰ Μωυσέως. 31. Σὺ δὲ πάσης κακίας εὑρετὴς γενόμενος εἰς τοὺς Ἑβραίους οὐ μὴ διαφύγῃς τὰς χεῖρας τοῦ Θεοῦ. 32. Ἡμεῖς γὰρ διὰ τὰς ἑαυτῶν ἁμαρτίας πάσχομεν. 33. Εἰ δὲ χάριν ἐπιπλήξεως καὶ παιδείας ὁ ζῶν Κύριος ἡμῶν βραχέως ἐπώργισται, καὶ πάλιν καταλλαγήσεται τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις. 34. Σὺ δέ, ὦ ἀνόσιε καὶ πάντων ἀνθρώπων μιαρώτατε, μὴ μάτην μετεωρίζου φρυαττόμενος ἀδήλοις ἐλπίσιν, ἐπὶ τοὺς οὐρανίους παῖδας ἐπαίρόμενος χεῖρα. 35. Οὔπω γὰρ τὴν τοῦ παντοκράτορος ἐπόπτου Θεοῦ κρίσιν ἐκπέφευγας. 36. Οἱ μὲν γὰρ νῦν ἡμέτεροι ἀδελφοὶ βραχὺν ὑπενέγκαντες πόνον ἀεννάου ζωῆς ὑπὸ διαθήκην Θεοῦ πεπτώκασι· σὺ δὲ τῇ τοῦ Θεοῦ κρίσει δίκαια τὰ πρόςτιμα τῆς ὑπερηφανίας ἀποίσῃ. 37. Ἐγὼ δὲ καθάπερ οἱ ἀδελφοί μου καὶ σῶμα καὶ ψυχὴν προδίδωμι περὶ τῶν πατρίων νόμων, ἐπικαλούμενος τὸν Θεὸν ἵλεων ταχὺ τῷ ἔθνει γενέσθαι, καὶ σὲ μετὰ ἐτασμῶν καὶ μαστίγων ἐξομολογήσασθαι, διότι μόνος αὐτὸς Θεός ἐστιν. 38. Ἐν ἐμοὶ δὲ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς μου στῆναι τὴν τοῦ παντοκράτορος ὀργὴν τὴν ἐπὶ τὸ σύμπαν ἡμῶν γένος δικαίως ἐπηγμένην.

39. Ἔκθυμος δὲ γενόμενος ὁ βασιλεὺς τούτῳ παρὰ τοὺς ἄλλους χειρίστως ἀπήντησε πικρῶς φέρων ἐπὶ τῷ μυκτηρισμῷ. 40. Καὶ οὗτος οὖν καθαρὸς μετήλλαξε παντελῶς ἐπὶ τῷ Κυρίῳ πεποιθώς. 41. Ἐσχάτη δὲ τῶν υἱῶν ἡ μήτηρ ἐτελεύτησε. 42. Τὰ μὲν οὖν περὶ τοὺς

de sacrificiis et de nimiis crudelitatibus satis dictum est.	σπλαγχνισμοὺς καὶ τὰς ὑπερβαλλούσας αἰκίας ἐπὶ τοσοῦτον δεδηλώσθω.

In v. 23 Niese suadet legendum esse ο πλασας ανθρωπον και — et in v. 36 αντ αεναου ζωης.

In persecutione quam Antiochus decreto suo (1 Mach. 1,43) excitavit, multos morte esse mulctatos iam ex priore libro patet: cf. 1 Mach. 1,52. 60. 64. 65. Narrationem de Eleazaro et de septem fratribus et matre adduci in exemplum, ut ex hisce discatur qualia tormenta et tentamina adhibita sint ad Iudaismum exstirpandum, auctor ipse ultima huius capitis septimi sententia satis declarat. In hac narratione expendenda sunt genera tormentorum et colloquia. Tormenta statim ab initio v. 1-7 exhibentur : caeduntur flagellis et taureis, νευραῖς, nervis; taurea et scutica ex corio taurino, vel nervus bubulus. Dein succenduntur τήγανα *sartagines* quae inserviunt ad assandum, torrendum, frigendum; quibus imposita corpora igne subiecto assabantur (cf. v. 5 graece); *ollae* λέβητες, ahena ad coquendum. Quale discrimen innuatur, non constat. Fortasse lebetes inserviebant ad manus, pedes, singula membra igne torquenda, comburenda; si iis esset fides habenda quae in 4 Mach. 12,1. 10; 18,20 dicuntur, τήγανα et lebetes vix multum inter se differunt; nam sontes proiiciuntur sicut εἰς τὰ τήγανα, ita quoque in lebetes. Inter tormenta recensetur γλωσσοτομεῖν, resectio, excisio linguae, περισκυθίζειν more Scytharum cutem cum crinibus de capite detrahere; cf. v. 7; de Scythis vide Herodot. 4,64; ἀκρωτηριάζειν extremas partes amputare, nares, manus, aures.

In ipsis sermonibus apparet non sine consilio et arte aliqua progressio et gradatio et id quidem duplici modo in spe quae declaratur pro tempore futuro, atque in minis quae contra regem proferuntur. Et primus quidem : parati sumus, inquit, mori v. 2 et exprimitur spes de Dei in servos suos misericordia v. 7. Secundus exprimit spem et firmam fidem : Deus nos suscitabit ad aeternam vitam; tertius ipsa membra se recepturum affirmat; quartus et in resurrectione bona sperata exspectat et regi minatur ei resurrectionem non fore ad vitam; quintus bonam exprimit spem pro suo populo i. e. eum non esse derelictum a Deo; persecutori autem et posteris eius indicit fore, ut potestate Dei torqueantur; sextus ei etiam maiorem indicat poenam quippe qui contra ipsum numen divinum pugnare audeat; septimus maiore in persecutorem vehementia invehitur, minas quoque acriores congerit, fore ut ab omni spe excidat et iudicio Dei iustas arrogantiae poenas exsolvat et tormentis et verberibus cogatur Deum unum verum confiteri; et quod sextus professus est poenas infligi propter populi pec-

cata, septimus certa reconciliatione Dei mox futura vertit in consolationem.

Cur postuletur comestio carnis porcinae, vide 6,18. Unus ex illis v. 2 γενόμενος προήγορος i. e. qui loco et nomine aliorum loquitur, pro aliis verba facit; τί μέλλεις ἐρωτᾶν etc. qua quaestione indicatur regem flagris et taureis eos primo cruciari iussisse, ut comestione carnis suillae declararent suam a lege Dei apostasiam. Quare inter ipsa flagella unus nomine omnium regem interpellat frustra et incassum poenam infligi, nam mori malumus quam patrias deserere leges. Qua declaratione ἔκθυμος ira incensus rex, quasi prae ira iam non mentis compos, ad acerbiora progreditur tormenta, ad ignes et combustiones v. 3. Supplicium vivos comburendi apud Babylonios in usu erat; cf. Ier. 29,22 ponet te Dominus sicut Sedeciam et Achab quos frixit rex Babylonis in igne; Dan. 3,15. Ad horrorem incutiendum ceteri debent inspicere varia tormentorum genera uni ex eis primo inflicta : excisionem linguae, abstractionem cutis capitis, amputationem manuum, aurium, nasi v. 4. Ita mutilatus iam omni ex parte v. 5 adducitur τῇ πυρᾷ ad rogum, ut spirans, vivus, in sartagine assetur, torreatur τηγανίζειν. Et cum vapor (corporis scil. assati) longe spargeretur ex sartagine (ita graece), alii inter se exhortabantur ad generose moriendum, minime spectaculo adeo horrendo deterriti; S : et cum ascenderet odor multus combustionis ex corpore eius; vulg id non exprimit. Inter se exhortantur : Dominus Deus ἐφορᾷ intuetur καὶ ταῖς ἀληθείαις et vere (cf. 3,9) ἐφ' ἡμῖν παρακαλεῖται, alluditur ad canticum Moysis Deut. 32,36; ubi secundum hebraeum et vulg dicitur : et in servis suis miserebitur, יתנחם LXX παρακληθήσεται, ipsum canticum hic designatur ᾠδὴ κατὰ πρόσωπον ἀντιμαρτυροῦσα canticum quod in faciem i. e. palam et severe contra Israel testimonium fert (cf. Deut. 32.6. 15 seq.) i. e. peccata eorum acerbe reprehendit et castigat, nihilominus misericordiam et salutem se daturum Deus spondet (Deut. 32,36. 43). Mediis itaque in persecutionibus animos erigunt fide et spe atque promissione in s. litteris expressa, verbo Dei, inter se confortant.

Adducitur alter v. 7 *ad illudendum* ἐπὶ τὸν ἐμπαιγμόν, S ad ludibrium et cruciatum ; qualis *illusio* intelligatur, patet ex sequentibus, i. e. illusio et derisio per varia tormentorum genera. Interrogant : εἰ φάγεσαι[1]; comedesne? scil. carnem porcinam ; quod supra dictum est περισκυθίζειν v. 4 nunc explicatur : capitis cutem cum capillis circumcirca detrahere περισύραντες, pariter ἀκρωτηριάζειν punire corpore κατὰ μέλος membratim; suscepit tormenta primi i. e. igne tostus quoque

1. Pro forma attica ἔδομαι adhibetur etiam in novo testamento φάγομαι et cum anomalia in 2 persona φάγεσαι; cf. Mich. 6,14. Luc. 17,8 et πίεσαι.

est in sartagine, cf. v. 5. Moriturus iamiam vaticinatur — ultima morientis verba apud omnes in sacra quadam habentur reverentia — ἀλάστωρ i. e. ὁ ἄλιστα δεδρακώς qui facinora perpetravit nulla oblivione, nulla expiatione unquam delenda, homo quam maxime perniciosus; ex vita praesenti dimittere i. e. interficere. Spem praeclaram enuntiat v. 9 nos εἰς ἀιώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ad reditum in aeternam vitam suscitabit; spes resurrectionis declaratur (cf. Is. 26,19. Ez. 37,1-6. Dan. 12,1. 2. 13). Eandem spem tertius profitetur, cum ab eo postularetur, ut linguam ad abscissionem proferret, et cum manus extenderet εὐθαρσῶς alacri animo : a Deo haec membra possideo; nunc ea ad Dei leges servandas negligo ὑπερορῶ, servare non curo, ab ipso Deo ea iterum ea me recepturum spero. Spes resurrectionis distinctius proponitur. Fortem iuvenis animum ipsi crudelitatis auctores et ministri admirantur.

Quartus eandem spem profitetur : optabile est αἱρετόν, ut qui ab hominibus occiduntur bona a Deo promissa exspectent, ut ab eo suscitentur, τὰς ἐλπίδας ea scil. bona quae sperantur. Verum alia erit sors regis : ei resurrectio ad vitam non erit. Quo sensu? nulla resurrectio? resurrectio quidem, at minime ad talem conditionem quae *vita* nominari mereatur? Censet *Keil* quidem resurrectionem impiorum hisce neque affirmari neque negari, at cum Dan. 12,2 iam clare resurrectio malorum εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς αἰσχύνην ἀιώνιον fieri affirmetur, etiam hoc loco in perniciem fieri et enuntiari putandum erit. Quintus quoque ἐχομένως statim postea, continuo cruciatur; regi exprobrat abusum potestatis, a quo φθαρτὸς ὤν cum ipse sit corruptibilis sibi cavendum foret; ne putet Iudaeos a Deo esse derelictos; σὺ δὲ καρτέρει tu autem continua scil. facere quod lubet καὶ θεώρει et vide i. e. videbis; duo imperativi : si ita perrexeris, videbis certissime; non solum ipse, posteri quoque experientur magnam Dei in puniendo potentiam. Etiam sextus graviter loquitur : ne decipiaris frustra, μὴ πλανῶ i. e. noli putare te posse genus nostrum delere; frustra talem spem foves; nam nos solum castigamur quia in Deum peccavimus; ideo Deus permittit fieri contra nos ἄξια θαυμασμοῦ, quae stuporem excitant; tu vero contra Deum pugnam suscipere ausus noli promittere tibi impunitatem v. 19.

Iam auctor in ipsam heroicam matris fidem et constantiam attentionem mentemque dirigit, quae tormenta filiorum mortesque videns unius diei spatio se orbatam deprehendit; at nihilominus bono animo perstat propter bona promissa et a Deo sperata v. 20. Imo singulos hortabatur; et muliebrem λογισμὸν animi indolem, cogitationem (quae in tam atroci conditione facile posset opprimi dolore) masculino, vi-

rili robore et animo erexit, alacrem reddidit. Filios autem confortat monens Creatorem qui singulis vitam dederit, illam quoque iis restituturum esse, quia pro ipsius legibus se ipsos negligant v. 22. 23, στοιχείωσιν dispositionem elementorum (corporis) non ego rite ordinavi; vobis reddet μετ' ἐλέους, resurrectio illis erit in vitam beatam Deo benevolentissimo remuneratore, quia vitam suam et tormenta pro nihilo putarunt (ὑπεροράν). Illud μετ' ἐλέους indicare videtur fore pro aliis resurrectionem non cum misericordia; cf. Dan. 12,2. Mater itaque arguit : qui creavit πνεῦμα spiritum vitalem et vitam (eius effectum) et singula membra apte disposuit, eadem restituere potest; restituet autem, quia hi eadem propter ipsum et ipsius leges fortiter tradunt; unde miserentis ac benigni Dei est illa iisdem reddere. Quam firma spes resurrectionis animis inhaeserit, satis apparet v. 9. 11. 14. 20. 23.

Cum mater loqueretur *voce patria* v. 21, aramaice, non graece, Antiochus nihil intelligens, putavit se contemni et mulieris sermone se contumelia affici suspicatus est, φωνὴν ὀνειδίζουσαν sermonem contumeliosum, exprobrantem. Voluit itaque se ostendere benignum et unum saltem, iuniorem ex illis, ad suas pertrahere partes; non solum verbis eum admonuit et suasit, sed iuramentis quoque fidem suam obstrinxit, ἐπίστου fidem fecit, confirmavit, se effecturum, ut divitiis et omnibus vitae deliciis affluueret, ut in numerum amicorum regis referretur et praeclaris muneribus publicis honoraretur, si a legibus patriis recessisset; χρείας ἐμπιστεύσειν non est necessaria praebere (vulg), id quod minime foret promissio apta post antecedentia, sed negotia, munera demandare, committere eius fidei (cf. 1 Mach. 13, 15. 37; 10,41; 12,45 etc.). Adolescente autem neutiquam verbis regis animum advertente, matrem advocavit adiutricem, ut esset consiliaria filii in salutem. Talis utique facta est consiliaria, σύμβουλος ἐπὶ σωτηρίᾳ, alio utique sensu ac rex intellexit, at vere in salutem; ἐπεδέξατο in se suscepit, ut suaderet filio v. 26; χλευάσασα subsannans, quia contrarium suasit eius quod rex voluit et tamen suasit quod iussa erat suadere, scil. ἐπὶ σωτηρίᾳ. Enumerat officia materna filio longo tempore, usque tum praestita, ne se dolore afficiat acerbissimo : *miserere mei,* si scil. titubaret; in graece additur τροφοφορήσασαν (τροφός, φορέω) ut nutrix portavi? cf. LXX Deut. 1,31 portavi (נשא) v. 27. Ut timorem carnificis crudelis excutiat, ad Deum creatorem mundi et hominum ut mentem oculosque dirigat, mater sapienter monet; timore enim ac reverentia Dei potentissimi Creatoris ac dominatoris timor hominis fragilis et mortalis facile expellitur (cf. v. 22); οὐκ ἐξ ὄντων (A et plures minusc.), creatio ex nihilo in utraque lectione (ἐξ οὐκ ὄντων) affirmatur; S : ex eo quod non est. Mulier pia et simplex certe non cogi-

tavit neque cum Philone (τὰ μὴ ὄντα) de aliqua materia primordiali carente omni determinatione, neque cum aliis de creatione secunda, seu mediata : non sicut nunc, ubi scil. Deus ἐξ ὄντων v. g. ex seminibus plantas, ex ovis et viventibus animalia producit, sed ἐξ οὐκ ὄντων. Cogitavit illa simpliciter, ut in psalmo dicitur : dixit et facta sunt; mandavit et creata sunt; verbo Domini coeli firmati sunt. Quibus omnis productio rerum ad unam Dei voluntatem, nutum, verbum, mandatum reducitur. Subtilius arguit *Gr.* et hominum genus οὕτως γεγένηται i. e. οὕτως, ergo ἐξ οὐκ ὄντων non ex hominibus existentibus, attamen ex pulvere terrae; attamen ipse concedit explanationem communem de creatione ex nihilo esse praeferendam, et hominis creationem posse οὕτως factam esse recte dici, quia materia illa ex qua corpus formatum est etiam antea ex nihilo sit producta.

Viva fides in Creatorem, uti timorem humanum vincit, ita fidem et spem resurrectionis roborat v. 29; monet mater eum praeterea amorem in fratres et in se matrem quasi in auxilium advocans et exemplum fratrum ad aemulationem proponens; ἐν τῷ ἐλέει in illa restitutione Dei benigna miseratione futura; *cum fratribus tuis*, implorat eum, ne unus eripiatur matri. In v. 30 *Gr. Fr.* legi volunt (cum A? et 19. 23. 106. 243) καταλήγουσης, ad quam lectionem minime congruit ἔτι : cum adhuc cessaret? ergo retinenda est lectio καταλεγούσης : cum adhuc eiusmodi recitaret, vel declararet, exponeret (quae notio verbo revera inest; cf. Pape s. v.). Ita certe legit vulg. *cum adhuc diceret*, neque aliter S : cum staret et peteret ab eo, iuvenis statim verbis matris obsequens, ministros interpellat : τίνα μένετε; cur cunctentur et quem exspectent alium, interrogat; in graeco cum emphasi : non obedio praecepto regis; praecepto vero obedio legis quae data est patribus nostris per Moysen. Dein minas intentat in regem v. 31 seq. : tu non effugies iudicium Dei; nos quidem patimur propter peccata; verum post brevem poenam Deus nobis propitius erit v. 33; ἐπίπληξις poena, sed haec erit simul χάριν παιδείας. Quare in v. 34 regi iterum indicatur ipsum extolli frustra ἀδήλοις ἐλπίσιν vanis exspectationibus; φρυαττόμενος superbiens, insolenter se gerens, quibus scil. sperat se posse populum iudaicum eiusque cultum destruere, et in servos Domini extendens manus, ἐπουρανίους παῖδας (A, 23. 44. 52 al); alias δούλους αὐτοῦ vulg, S super servos Dei. Inter se opponitur sors regis et eorum quos atrociter persequitur v. 35 seq. ille inevitabili necessitate substat iudicio omnipotentis inspectoris, vindicis Dei; fratres vero nostri i. e. contribules qui ob Dei leges servatas brevi doluerunt, brevem afflictionem tolerarunt, aeternae vitae sub foedere Dei participes effecti sunt; iam nunc ante resurrectionem coram Deo vi foederis

vitam minime miseram agunt; πεπτώκασι pervenerunt sub foedus Dei aeternae vitae; iam pertinent ad illud foedus quod est foedus vitae aeternae, ergo ceciderunt sub foedus, eo scil. sensu, ut in foederis possessionem intraverint. Rex vero exsolvet τὰ πρόστιμα poenas a iudice decretas.

Demum concludit adolescens Deum deprecans, ut sicut ipse vitam et corpus tradat, ita Deus cito populo suo propitius fiat, persecutorem autem dura castigatione cogat ad Dei vindictam agnoscendam — id quod impletum est, cf. 9,12 seq. — simulque efflagitat, ut cum sua fratrumque morte Deus iram sistat, quam super totam gentem iuste induxerit v. 38; se itaque et fratres offert quasi quaedam piacula ad iustam Dei indignationem placandam. Hisce sermonibus rex ira inflammatus prae aliis in hunc iuvenem saevissime animadvertit, aegre scil. ferens irrisionem, gratiam et promissa a se oblata tot in se minis esse repensa. Etiam ultimus igitur ex filiis et iunior καθαρός *mundus*, « nulla superstitione pollutus aut vetitarum carnium aut impii cultus » (*Calm.*) obiit. Ultimo loco post filios et mater mortua est v. 41.

Concluditur narratio v. 42 περὶ τοὺς σπλαγχνισμοὺς de epulis sacrificalibus et de nimiis crudelitatibus; τοσοῦτον δεδηλώσθω tantum esto narratum; haec igitur narrasse sufficiat; τὰ μὲν, iam paratur via ad sequentia 8,1 Ἰούδας δὲ.

Martyrium contigisse inspectante rege in urbe Antiochia, sententia est veterum in ipsis liturgiis orientali et occidentali expressa (cf. Acta SS. Bolland 1 Aug. p. 5; *Lap. Calm.* qui plures huius sententiae patronos enumerat). In ipsa narratione mentio urbis ullius non fit. Recentiores quidem in Iudaea vel in Ierusalem id evenisse saepius censent ea ducti ratione quod tormenta inflicta sint ad terrorem aliis incutiendum et ad apostasiam propagandam. Sed ex 6, 8. 9 etiam patet in urbibus graecis Iudaeos quoque poena mortis adactos esse ad sacrificandum. Quare nihil a verosimili alienum asseritur in illa veterum de Antiochia sententia. Ea in urbe multi erant Iudaei et pii et apostatae; utrisque tale exemplum exhiberi Antiochus (antequam in Persidem proficisceretur) consultum esse putavit; voluitne ipse per se tentare quid suasione, promissione, cruciatibus effici posset vel suis tale spectaculum edere? Quare frustra impugnant aliqui narrationis fidem ex eo quod eo tempore rex non adesse poterat in urbe Ierusalem (cf. 5,22; 6,1). Quamquam ne id quidem certo constare potest. Quis enim audebit certo affirmare, nos habere tam accuratam notitiam per singulos dies vel menses, quid egerit, ubinam fuerit, ut exinde negari possit alter eius in Ierusalem reditus? Minime gentium! Censet Patritius eum Ierusalem venisse ad erigendum abominandum

idolum abominationis (1 Mach. 1,57) « id quod etsi non necessario efficiatur ex iis quae in primo libro leguntur, colligimus tamen ex libro secundo » (de cons. p. 100. 126). Tamen dubitari potest num eo ipso tempore ipse erexerit illud altare; nam supra 6,1 ad id misisse videtur senem quendam Atheniensem ad templum contaminandum. Si videre voluit quid decreto suo effectum esset, aliquo tempore postea commodior erat opportunitas.

In sermonibus concinnandis libertas quaedam scriptoribus antiquis conceditur ab omnibus; sufficit enim ad eam quae postulari debet rei veritatem, si sermones apti sunt ad animos indolemque loquentium, ad temporis conditiones accommodati et ex ipsa rerum gestarum veritate quasi enati et postulati. Ibi utique sermones non sunt inducendi, ubi altissimum erat in rebus gestis silentium. Similem libertatem deprehendes, si quando in s. litteris universus populus longiore sermone respondet; cf. Ios. 24,16-18. 1 Sam. 12,19; 14,45; 2 Sam. 18,3. 1 Mach. 3,50-53.

Ex nomine libri, in quo martyrium describitur, nomen ad ipsos martyres transiit, qui Machabaei vocantur martyres, septem fratres Machabaei. De eorum laudibus vide quae iam notavi de Eleazaro; praeterea cf. *Ambrosius*, de Officiis 1,41; *M.* 16,83; *Augustinus* in ep. ad Parth. tract. 8; *M.* 35,2040; serm. 300. 301; *M.* 38,1377 seq. *Gaudentius*, de Machabaeis; *M.* 20,949; *Prudentius*, de Romano martyre; *M.* 60,502; *Antonius*, epist. ad Arcadium, *M.* 50,568; Incerti auctoris (antea Prospero adscribebatur) De promissionibus et praedictionibus; *M.* 51,816; *Cyprianus*, ad Fortunatum, Exhortatio ad martyrium n. 11; *M.* 4,668; *Origenes*, Exhortatio ad martyrium n. 23-27; *M.* 11,592 seq. Ceterum vide apud Bollandistas 1 Aug. p. 9 seq.

12. *Bellum paratur* 8,1-15.

8,1. *Iudas vero Machabaeus et qui cum illo erant introibant latenter in castella et convocantes cognatos et amicos et eos qui permanserunt in iudaismo assumentes eduxerunt ad se sex millia virorum.* 2. *Et invocabant Dominum, ut respiceret in populum qui ab omnibus calcabatur, et misereretur templo quod contaminabatur ab impiis;* 3. *misereretur etiam exterminio civitatis, quae esset illico complananda et vocem sanguinis ad se clamantis audiret;* 4. *memoraretur quoque iniquissimas mortes par-*

8,1. Ἰούδας δὲ ὁ Μακκαβαῖος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ παρεισπορευόμενοι λεληθότως εἰς τὰς κώμας προσεκαλοῦντο τοὺς συγγενεῖς καὶ τοὺς μεμενηκότας ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ προσλαβόμενοι συνήγαγον εἰς ἑξακισχιλίους. 2. Καὶ ἐπεκαλοῦντο τὸν Κύριον ἐπιδεῖν ἐπὶ τὸν ὑπὸ πάντων καταπατούμενον λαόν, οἰκτεῖραι δὲ καὶ τὸν ναὸν τὸν ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων βεβηλωθέντα, 3. ἐλεῆσαι δὲ καὶ τὴν καταφθειρομένην πόλιν καὶ μέλλουσαν ἰσόπεδον γίνεσθαι καὶ τῶν καταβοώντων πρὸς αὐτὸν αἱμάτων εἰσακοῦσαι, 4. μνησθῆναι δὲ καὶ τῆς τῶν ἀναμαρτήτων νηπίων παρανόμου ἀπωλείας

vulorum innocentum et blasphemias nomini suo illatas et indignaretur super his. 5. *At Machabaeus congregata multitudine intolerabilis gentibus efficiebatur; ira enim Domini in misericordiam conversa est.* 6. *Et superveniens castellis et civitatibus improvisus succendebat eas, et opportuna loca occupans non paucas hostium strages dabat;* 7. *maxime autem noctibus ad huiusmodi excursus ferebatur, et fama virtutis eius ubique diffundebatur.*

8. *Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire ac frequentius res ei cedere prospere, ad Ptolemaeum ducem Coelesyriae et Phoenicis scripsit ut auxilium ferret regis negotiis.* 9. *At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus armatis non minus viginti millibus, ut universum Iudaeorum genus deleret, adiuncto ei et Gorgia viro militari et in bellicis rebus experientissimo.* 10. *Constituit autem Nicanor, ut regi tributum quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum de captivitate Iudaeorum suppleret;* 11. *statimque ad maritimas civitates misit convocans ad coemptionem iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam quae eum ab Omnipotente esset consecutura.* 12. *Iudas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Iudaeis Nicanoris adventum,* 13. *ex quibus quidam formidantes et non credentes Dei iustitiae in fugam vertebantur;* 14. *alii vero si quid eis supererat, vendebant simulque Dominum deprecabantur, ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos priusquam cominus veniret vendiderat;* 15. *etsi non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, et propter invocationem sancti et magnifici nominis eius super ipsos.*

καὶ περὶ τῶν γενομένων εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ βλασφημιῶν καὶ μισοπονηρῆσαι. 5. Γενόμενος δὲ ἐν συστήματι ὁ Μακκαβαῖος ἀνυπόστατος ἤδη τοῖς ἔθνεσιν ἐγίνετο, τῆς ὀργῆς τοῦ Κυρίου εἰς ἔλεον τραπείσης. 6. Πόλεις δὲ καὶ κώμας ἀπροσδοκήτως ἐρχόμενος ἐνεπίμπρα, καὶ τοὺς ἐπικαίρους τόπους ἀπολαμβάνων οὐκ ὀλίγους τῶν πολεμίων τροπούμενος ἐνίκα, 7. μάλιστα τὰς νύκτας πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιβουλὰς συνεργοὺς ἐλάμβανε, καὶ λαλιά τις τῆς εὐανδρίας αὐτοῦ διεχεῖτο πανταχῆ.

8. Συνορῶν δὲ ὁ Φίλιππος οὐ κατὰ μικρὸν εἰς προκοπὴν ἐρχόμενον τὸν ἄνδρα, πυκνότερον δὲ ἐν ταῖς εὐημερίαις προβαίνοντα, πρὸς Πτολεμαῖον τὸν Κοίλης Συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγὸν ἔγραψεν ἐπιβοηθεῖν τοῖς τοῦ βασιλέως πράγμασιν. 9. Ὁ δὲ ταχέως προχειρισάμενος Νικάνορα τὸν τοῦ Πατρόκλου τῶν πρώτων φίλων ὄντα ἀπέστειλεν, ὑποτάξας παμφύλων ἔθνη, οὐκ ἐλάττους τῶν δισμυρίων, τὸ σύμπαν τῶν Ἰουδαίων ἐξᾶραι γένος· συνέστησε δὲ αὐτῷ καὶ Γοργίαν ἄνδρα στρατηγὸν καὶ ἐν πολεμικαῖς χρείαις πεῖραν ἔχοντα. 10. Διεστήσατο δὲ ὁ Νικάνωρ τὸν φόρον τῷ βασιλεῖ τοῖς Ῥωμαίοις ὄντα ταλάντων δισχιλίων ἐκ τῆς τῶν Ἰουδαίων αἰχμαλωσίας ἐκπληρώσειν· 11. εὐθέως δὲ εἰς τὰς παραθαλασσίους πόλεις ἀπέστειλε προσκαλούμενος ἐπ' ἀγορασμὸν Ἰουδαίων σωμάτων, ὑπισχνούμενος ἐννενήκοντα σώματα ταλάντου παραχωρήσειν, οὐ προσδεχόμενος τὴν παρὰ τοῦ παντοκράτορος μέλλουσαν παρακολουθήσειν ἐπ' αὐτῷ δίκην.

12. Τῷ δὲ Ἰούδᾳ προσέπεσε περὶ τῆς τοῦ Νικάνορος ἐφόδου, καὶ μεταδόντος τοῖς σὺν αὐτῷ τὴν παρουσίαν τοῦ στρατοπέδου, 13. οἱ δειλανδροῦντες καὶ ἀπιστοῦντες τὴν τοῦ Θεοῦ δίκην διεδίδρασκον καὶ ἐξετόπιζον ἑαυτούς. 14. Οἱ δὲ τὰ περιλελειμμένα πάντα ἐπώλουν, δμοῦ δὲ τὸν Κύριον ἠξίουν ῥύσασθαι τοὺς ὑπὸ τοῦ δυσσεβοῦς Νικάνορος πρὶν συντυχεῖν πεπραμένους· 15. καὶ εἰ μὴ δι' αὐτοὺς, ἀλλὰ διὰ τὰς πρὸς τοὺς πατέρας αὐτῶν διαθήκας καὶ ἕνεκεν τῆς ἐπ' αὐτοὺς ἐπικλήσεως τοῦ σεμνοῦ καὶ μεγαλοπρεποῦς ὀνόματος αὐτοῦ.

In v. 8 legi debet cum 19. 62. 93 ου κατα μικρον, ita habetur cur sequatur πυκνοτερον δε.

Fortitudinem patiendi nobis exhibuit auctor in martyribus; fortitudinem agendi iam describere incipit eamque delineat in Iuda Machabaeo. Ipse se receperat 5,27 in desertum locum cum nonnullis sociis. Ex latebris illis egressi in vicos et urbes latenter intrabant, ut manum fidelium Dei cultorum colligerent ad ruinam a populo avertendam; παρεισπορευόμενοι subintroibant, quasi per diverticula tendentes clam et furtim λεληθότως in pagos et urbes; συγγενεῖς, S filios gentis eorum, ergo populares, contribules; ita paulatim turma sex millium collecta est. Prosperum successum efflagitant a Domino, ei proponentes miseriam populi, profanationem templi, ruinam urbis imminentem, sanguinem multorum, quos hostes interemerunt, blasphemias in ipsum Deum Israel ab hostibus iactatas. Hisce rationibus et Dei misericordia et ipsius honor et gloria provocatur ad opem ferendam contra insolentiam hostium; v. 2 καταπονούμενον A, 44,64 al oppressum molestia; sed S vulg καταπατούμενον. Urbs καταφθειρομένη quae perditur, μέλλουσα ἰσόπεδον γίνεσθαι quae solo aequanda erit v. 3; sanguis clamat vindictam; cf. Gen. 4,10. Inter scelera quibus hostes Dei iram in se praeprimis concitaverint, recensetur perditio parvulorum ἀναμαρτήτων (cf. 1 Mach. 1,64) qui sine ulla culpa personali trucidabantur, qui scil. in leges regis ne peccare quidem potuerint, quorum caedes itaque omni excusatione, omni ratione caret. Quod parvuli dicuntur hic sine culpa, censet *Gr.* sacras litteras contradicere doctrinae ecclesiasticae de peccato originali!! At de peccato originali hic non infertur sermo, neque illud negatur, sed solum affirmatur ipsos parvulos a ministris regis esse occisos, qui tamen nullo modo culpam contra mandata regis contraxerint. Haec quippe est occisio innocentium. Blasphemias v. 4 intellige omnes iniurias verbo et rebus gestis contra templum, urbem, populum, Domino illatas. Si populus opprimitur, eo ipso Deus populi traducitur ab hostibus tamquam impotens, victus a numine potentiore. Hisce propositis Deus indignari debet, μισοπονηρῆσαι odisse malitiam eamque punire.

Supplicationes populi sui Deus benigne suscepit. Quod Iudas prospere contra alienigenas pugnans iis factus sit *intolerabilis,* ἀνυπόστατος invincibilis, cui resisti non potest, iam agnoscit auctor signum certissimum miserationis Dei in populum suum v. 5; ἐν συστήματι γενόμενος multitudine, agmine militum circumdatus. Quomodo bellum gesserit, describitur v. 6; oppida et pagos κώμας alienigenarum aut Iudaeorum apostatarum inexspectato aggressus incendebat; opportuna rebus militaribus loca occupabat; quare hostibus multa damna inferre poterat; τροπούμενος in fugam vertens, additur ἐνίκα (quod a pluribus omittitur), ἀνήρει additur ab aliis; quod vulg habet, legi videtur in 23

οὐκ ὀλίγων δὲ πτωμάτων τῶν πολεμίων ἐποιεῖτο πλήθη, S : et vicit in bello et occidit multos. Post τροπούμενος necessario requiritur verbum finitum. Nam quod *Gr.* vult, duo illa participia esse protasin ad v. 7 admitti nequit : et si loca occupabat et hostes in fugam coniiciebat, ad eiusmodi consilia nocte utebatur; nam haec sententia aptum sensum minime prae se fert. Loca quippe occupare, hostes fugare pars est praecipua sententiae et directe efferenda, non autem quasi quaedam conditio temporalis alteri sententiae subordinanda. Haec altera sententia potius adiungitur rationem reddens, cur loca occupare, hostes fugare ei prospere cesserit, scil. *quia* prudenter nocte utebatur ad eiusmodi incursiones.

Periculum dominationi regiae imminens nuntiavit Philippus ille, de quo 5,22, Ptolemaeo, duci Coelesyriae et Phoenices, simul postulans, ut mitterentur copiae ad Iudaeos rebelles opprimendos. Uti res ipsa suadet et uti colligitur ex 1 Mach. 3,38, Ptolemaeus rem nuntiavit Lysiae, quem Antiochus profecturus in Persidem regni administratorem cum parte exercitus reliquerat (1 Mach. 3,32 seq.) Ptolemaeus autem statim *velociter* misit Nicanorem cum viginti millibus. Quod 1 Mach. 3,38 seq. narratur, facile cum hac narratione conciliatur. Lysias enim de re et conditione certior factus, non solum approbavit, quod Ptolemaeus fecit, verum etiam plures copias mittendas esse censuit, unde et ipsum Ptolemaeum cum aliis viginti millibus misit. Maiorem mittere exercitum eo magis erat consultum, quia Apollonio et Serone devictis (1 Mach. 3,10-24) et regis mandato urgente (1 Mach. 3,27. 35) necesse erat penitus prosternere Iudaeos. Vidit Philippus Iudam incrementa capere frequentius προβαίνοντα ἐν ταῖς εὐημερίαις prospero rerum successu; εὐημερία dies faustus; eum itaque progredi in diebus faustis, cuncta quasi ei bene cedere v. 8. De Ptolemaeo cf. 1 Mach. 3,38; ipse celeriter προχειρισάμενος electione facta (cf. 3,7) misit Nicanorem, filium Patrocli, unum ex primis amicis regis (cf. 1 Mach. 2,18); παμφύλων ἐθνῆ turmas militum ex omni gentium genere collectas ei subdidit; de Nicanore et Gorgia cf. 1 Mach. 3,18 seq. Iudaeos facillime oppressum iri Nicanori erat persuasum. Unde διεστήσατο v. 10 sibi constituit duo millia talentorum, i. e. tributum quod rex Romanis debebat, regi acquirere ex venditione Iudaeorum in bello captorum. Quod in 19. 62. 64. 93 habetur τῷ βασιλεῖ τὸν φόρον facilius intelligitur scil. regi supplere tributum Romanis debitum; eodem modo collocatio communiter recepta explicanda est τὸν φόρον τῷ βασιλεῖ (scil. ἐκπληρώσειν) et additur determinatio seu appositio ulterior ad φόρον τοῖς Ῥωμαίοις ὄντα, τῷ βασιλεῖ referri debet ad ἐκπληρώσειν. Videntur haec talenta referri ad mulctam quam Romani imposuerant An-

tiocho Magno, cum ei pacem concederent; nam pro impensis in bellum factis debuit Romanis solvere quindecim millia talentorum euboicorum, quingenta statim, duo millia et quingenta, cum populus Romanus pacem confirmaverit, reliqua per duodecim annos ita ut quotannis mille penderet (Polyb. 21, 14,4,5. Livius 37,45). Haec duodecim millia postea attica esse talenta argenti optimi declaratum fuit (talentum ne minus octoginta libris romanis pendat[1]; cf. Polyb. 22,26,19. Livius 38.38). Antiochus Epiphanes legatos Romam misit anno 173 ante Ch., quorum princeps Apollonius, in senatum introductus multis iustisque causis regem excusavit quod stipendium serius quam ad diem praestaret (Livius 42,6).

Cum rex penuria pecuniae laboraret (1 Mach. 3,29), Nicanor rem regi gratissimam et sibi ipsi certe maxime proficuam perficere voluit, illam scil. summam pecuniae colligere ex venditis captivis. Misit ad maritimas civitates, scil. civitates Phoenices quae commercio deditae erant; et pretium servorum satis vile eis indixit, quo plures mercatores alliceret; nonaginta scil. mancipia uno talento comparari posse. Si itaque voluit ex captivitate Iudaeorum duo millia talentorum acquirere, Iudaeorum fidelium numerum sat magnum existimavit, scil. 90 × 2000 = 180 000. Mancipia, σώματα (cf. LXX Gen. 36,6. Tob. 10,10; — Apoc. 18,13) dici solebant in graecitate seriore, cum secundum leges tanquam res (corpora), non ut personae aestimarentur. Talia autem Nicanor meditabatur οὐ προσδεχόμενος, non exspectans, minime suspicatus ultionem Omnipotentis quae in ipsum devolvenda esset. Res plane aliter cessit.

De Nicanoris expeditione nuntius Iudae allatus est, προσέπεσε cf. 5,11; quo nuntio audito formidolosi et non credentes Dei vindictam (δίκην), qui non credebant fore, ut Deus se tueretur et in hostes animadverteret, aufugerunt διεδίδρασκον καὶ ἐξετόπιζον ἑαυτούς et receperunt se, discesserunt (deest in vulg et S). Secundum S multi fugerunt; cf. 1 Mach. 3,56. Ceteri vero vendebant τὰ περιλελειμμένα quae iis relicta erant, scil. post exactiones varias factas a Menelao (4,24. 25), a rege (5,11), ab Apollonio (5,24); et ex rebus suis venditis sibi arma et annonam comparabant, ut ad castra Iudae accedentes pro patria et fide usque ad mortem animose pugnarent (*Lap.*). Simul pia fide a Deo flagitabant opem commemorantes facinus Nicanoris probrosum, ut scil. Deus se eriperet qui iam ante congressum, ante pugnam venditi essent, quae ignominia utpote in populum Dei commissa in ipsum

1. Talentum euboicum aequat 26,196 Kgr; talentum atticum 25,92 Kgr; octoginta librae romanae aequant 26,196 Kgr. Ita rem proponit *Nissen*, Metrologie in primo tomo Handbuch der Altertumswissenschaft (Iwan von Müller) p. 846. 848.

Deum huius populi redundat. Petunt cum fiducia et cum animi demissione v. 15 εἰ μὴ δι' αὐτούς et si non propter ipsos, qui singularem opem non mereantur, tamen certo efflagitare et sperare possunt auxilium ob fidelitatem Dei i. e. ob foedus initum cum patribus saepiusque repetitas promissiones (cf. Sap. 18,22. Eccli. 44,12); et quia appellantur populus Iahve; habent cognominationem ex nomine augustissimo et magnificentissimo (cf. Ex. 19,5.6); nam : videbunt omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te et timebunt te (Deut. 28,10); cf. 2 Reg. 6,2; 2 Par. 7,14; Ier. 25,29 etc. Deus itaque eorum protector est atque vindex. Eius itaque gloria agitur; nam ignominia et clades populi, numinis eius clades et ignominia censebatur.

13. *Clades Nicanori inflicta* 8,16-29.

8,16. *Convocatis autem Machabaeus septem millibus qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur neque metuerent inique venientium adversum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent,* 17. *ante oculos habentes contumeliam quae loco sancto ab his iniuste esset illata, itemque et ludibrio habitae civitatis iniuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa.* 18. *Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul et audacia; nos autem in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos et universum mundum uno nutu delere, confidimus.* 19. *Admonuit autem eos et de auxiliis Dei quae facta sunt erga parentes, et quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt,* 20. *et de praelio quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis haesitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de coelo, et beneficia pro his plurima consecuti sunt.* 21. *His verbis constantes effecti sunt et pro legibus et patria mori parati.*

22. *Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem et Iosephum et Ionathan, subiectis unicuique*

8,16. Συναγαγὼν δὲ ὁ Μακκαβαῖος τοὺς περὶ αὐτὸν ὄντας τὸν ἀριθμὸν ἑξακισχιλίους, παρεκάλει μὴ καταπλαγῆναι τοὺς πολεμίους, μηδὲ εὐλαβεῖσθαι τὴν τῶν ἀδίκως παραγινομένων ἐπ' αὐτοὺς ἐθνῶν πολυπληθίαν, ἀγωνίσασθαι δὲ γενναίως, 17. πρὸ ὀφθαλμῶν λαβόντας τὴν ἀνόμως εἰς τὸν ἅγιον τόπον συντετελεσμένην ὑπ' αὐτῶν ὕβριν καὶ τὸν τῆς ἐμπεπαιγμένης πόλεως αἰκισμὸν, ἔτι δὲ τὴν τῆς προγονικῆς πολιτείας κατάλυσιν. 18. Οἱ μὲν γὰρ ὅπλοις πεποίθασιν ἅμα καὶ τόλμαις, ἔφησεν, ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τῷ παντοκράτορι Θεῷ, δυναμένῳ καὶ τοὺς ἐρχομένους ἐφ' ἡμᾶς καὶ τὸν ὅλον κόσμον ἐν ἑνὶ νεύματι καταβαλεῖν, πεποίθαμεν. 19. Προσαναλεξάμενος δὲ αὐτοῖς καὶ τὰς ἐπὶ τῶν προγόνων γενομένας ἀντιλήψεις, καὶ τὴν ἐπὶ Σενναχηρεὶμ τῶν ἑκατὸν ὀγδοήκοντα πέντε χιλιάδων, ὡς ἀπώλοντο, 20. καὶ τὴν ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ τὴν πρὸς τοὺς Γαλάτας παράταξιν γενομένην, ὡς οἱ πάντες ἐπὶ τὴν χρείαν ἦλθον ὀκτακισχίλιοι σὺν Μακεδόσι τετρακισχιλίοις, τῶν Μακεδόνων ἀπορουμένων, οἱ ὀκτακισχίλιοι τὰς δώδεκα μυριάδας ἀπώλεσαν διὰ τὴν γενομένην αὐτοῖς ἀπ' οὐρανοῦ βοήθειαν, καὶ ὠφέλειαν πολλὴν ἔλαβον. 21. Ἐφ' οἷς εὐθάρσεις αὐτοὺς παραστήσας καὶ ἑτοίμους ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῆς πατρίδος ἀποθνήσκειν, τετραμερές τι τὸ στράτευμα ἐποίησε.

22. Τάξας καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ προηγουμένους ἑκατέρας τάξεως, Σίμωνα καὶ Ἰώσηφον καὶ Ἰωνάθαν, ὑποτάξας ἑκάστῳ

millenis et quingentenis; 23. ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro et dato signo adiutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore.

24. Et facto sibi adiutore Omnipotente interfecerunt super novem millia hominum; maiorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. 25. Pecuniis vero eorum qui ad emptionem ipsorum venerant sublatis ipsos usquequaque persecuti sunt. 26. Sed reversi sunt hora conclusi, nam erat ante sabbatum; quam ob causam non perseveraverunt insequentes. 27. Arma autem ipsorum et spolia congregantes sabbatum agebant, benedicentes Dominum qui liberavit eos in isto die, misericordiae initium stillans in eos. 28. Post sabbatum vero debilibus et orphanis et viduis diviserunt spolia et residua ipsi cum suis habuere. 29. His itaque gestis et communiter ab omnibus facta obsecratione misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur.

χιλίους πρὸς τοῖς πεντακοσίοις, 23. ἔτι δὲ καὶ Ἐλεάζαρον παραναγνῶναι τὴν ἱερὰν βίβλον, καὶ ὁοὺς σύνθημα Θεοῦ βοηθείας, τῆς πρώτης σπείρας αὐτὸς προηγούμενος συνέβαλε τῷ Νικάνορι.

24. Γενομένου δὲ αὐτοῖς τοῦ παντοκράτορος συμμάχου, κατέσφαξαν τῶν πολεμίων ὑπὲρ τοὺς ἐννακισχιλίους, τραυματίας δὲ καὶ τοῖς μέλεσιν ἀναπήρους τὸ πλεῖστον μέρος τῆς τοῦ Νικάνορος στρατιᾶς ἐποίησαν, πάντας δὲ φυγεῖν ἠνάγκασαν. 25. Τὰ δὲ χρήματα τῶν παραγεγονότων ἐπὶ τὸν ἀγορασμὸν αὐτῶν ἔλαβον, συνδιώξαντες δὲ αὐτοὺς ἐφ' ἱκανὸν ἀνέλυσαν ὑπὸ τῆς ὥρας συγκλειόμενοι. 26. Ἦν γὰρ ἡ πρὸ τοῦ σαββάτου, δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐμακροτόνησαν κατατρέχοντες αὐτούς. 27. Ὁπλολογήσαντες δὲ αὐτοὺς καὶ τὰ σκῦλα ἐκδύσαντες τῶν πολεμίων περὶ τὸ σάββατον ἐγίνοντο, περισσῶς εὐλογοῦντες καὶ ἐξομολογούμενοι τῷ Κυρίῳ τῷ διασώσαντι αὐτοὺς εἰς τὴν ἡμέραν ταύτην, ἀρχὴν ἐλέους τάξαντι αὐτοῖς. 28. Μετὰ δὲ τὸ σάββατον τοῖς ἠκισμένοις καὶ ταῖς χήραις καὶ ὀρφανοῖς μερίσαντες ἀπὸ τῶν σκύλων, τὰ λοιπὰ αὐτοὶ καὶ τὰ παιδία διεμερίσαντο. 29. Ταῦτα δὲ διαπραξάμενοι καὶ κοινὴν ἱκετείαν ποιησάμενοι τὸν ἐλεήμονα Κύριον ἠξίουν εἰς τέλος καταλλαγῆναι τοῖς αὐτοῦ δούλοις.

Iudas ex textu graeco et S exercitum habet sex millium, qui numerus etiam ad v. 22 congruit et ad exercitum in quattuor ordines divisum, quorum quisque mille quingentos complectebatur. Exhortatur suos μὴ καταπλαγῆναι ne expavescant hostes[1], ne perterreantur formidine hostium, μηδὲ εὐλαβεῖσθαι neve metuant gentium multitudinem; isti enim ἀδίκως contra populum Dei venerunt; ad fortiter, animo magno, pugnandum eos excitat v. 17 proposita profanatione templi, vexatione urbis, abolitione legum patriarum; ὕβριν insolentiam, arrogantiam cum contumelia coniunctam vocat spoliationem templi 5,16, eius contaminationem et dedicationem Iovi factam 6,2 (cf. 1 Mach. 1, 57); urbs ἐμπεπαιγμένη ludibrio habita, αἰκισμόν iniuriam, vexationem vide 5,25-26; πολιτείαν vivendi rationem a maioribus acceptam relinquere cogebantur; cf. 6,6 seq. Tanta iam hostium contra sanctas Dei leges insolentia ultionem Dei provocat; Iudaeis autem eo animosiores pugnare incumbit, quia v. 18 ipsi fulciuntur firma in Omnipotentem

1. Similiter v. g. Polybius καταπεπληγμένοι τὸν πόλεμον territi bello (4,50,6); Diod. sic. 11,77.

confidentia, dum hostes solum in armis suis simul cum τόλμαις audacibus, temerariis conatibus omnem spem ac fiduciam reponunt. Dei omnipotentia aeque breviter ac graviter describitur : uno nutu cuncta prosternere!

Adhortationem hanc exemplis illustrat et roborat v. 19. 20; προσαναλεξάμενος insuper enumerans opitulationes factas tempore maiorum; 1 Mach. 4,9 recenset liberationem ex persecutione Pharaonis; hic stragem Sennacherib (4 Reg. 19,35. Is. 37,36); τὴν ἐπὶ Σενν. tempore Sennacherib opitulationem contra 185.000. De pugna quadam Iudaeorum adversus Galatas alibi non fit mentio. Eventus eiusmodi accidisse videtur sub Antiocho Magno, fortasse in eius bello contra Molonem, Mediae satrapam rebellem, qui inter suos milites Galatas habebat (Polyb. 5,53,8). Antiochum autem ad compescendos rebelles auxilio Iudaeorum usum esse, apparet ex mandato quod Zeuxidi scripsit (Iosephus, Ant. 12,3,4). Ceterum Galatae stipendia quoque merebant in exercitu Antiochi Magni (Polyb. 5,53,3), pariter apud Ptolemaeum Philopatorem (l. c. 5,65,10). Bellica Galatarum seu Gallorum fortitudo celebris erat; « tantus terror gallici nominis et armorum invicta felicitas erat, ut (reges) aliter neque maiestatem suam tutari neque amissam recuperare se posse sine gallica virtute arbitrarentur » (Iustinus 25,2). Narratur eventus : ὡς οἱ πάντες quomodo universi Iudaei, scil. octo millia (graece, S) cum quattuor millibus Macedonum (graece, S) in proelium venerint; cum Macedones premerentur (ἀπορουμένων; cf. Sap. 11,5 graece), illa octo millia perdiderunt ἀπώλεσαν centum viginti millia propter auxilium illis de coelo factum. Duodecim hae myriades plane absunt a S; numerus si ad Galatas refertur omnino improbabilis est. Nam apud Livium haec comperimus : coeunt deinde in unum rursus Galli, ... profecti ex Bithynia in Asiam processerunt; non plus ex viginti millibus hominum quam decem armata erant (38,16). Laudatur quidem eorum multitudo magna sobole aucta (l. c.) et « Gallorum ea tempestate tantae fecunditatis iuventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent » (Iustinus 25,2). Apud reges Asiae militabant Galatae numero duorum millium, ad summum octo millium (*Gr.*). Secundum modum quo veteres res gestas conscribere quandoque solent, non est incredibile 120.000 esse devicta ab 8.000; nam ut uno exemplo utar, secundum Arrianum in pugna apud Gaugamela etiam plus praestitum est : exercitus Darii constans ex 40.000 equitum et 1.000.000 peditum fusus fugatusque est a 7.000 equitum et 40.000 peditum. Numeris inter se collatis in priore proelio unus debuit vincere alios quindecim, secundum Arrianum vero unus viginti duos (cf. Arr. 3,8,6; 3,12,5). Difficultas autem in nostro loco

est, Galatas nunquam in tam enormi numero exhiberi et eorum pugnandi rationem longissime superasse artem bellicam copiarum Darii. Quare si numerus genuinus est, ad popularem quandam traditionem et exaggerationem quae ferebatur communiter apud Iudaeos, referendus est, eodem modo sicuti quaedam quae 1 Mach. 8 de Romanis traduntur. S rem ita fert : et bellum quod erat cum Galatis, quomodo processerunt adversus eos cum vehementia in octo millibus cum quattuor millibus aliorum Macedonum, qui venerant cum eis in auxilium ; et egressi sunt contra eos cum robore (exercitu) parv et vicerunt eos propter auxilium quod de coelo cum iis erat. Ultima verba graeca S pariter omittit καὶ ὠφέλειαν πολλὴν ἔλαβον, i. e. laudem fortitudinis et gloriam et spolia plurima et praemia ab eo, apud quem militabant etc.

Tali exhortatione suos milites robore ac fortitudine imbuit v. 21 : ipse copias in quattuor partes divisit et tres fratres secum duces constituit, ita ut unusquisque quartam totius exercitus partem acciperet i. e. mille quingentos; ἑκατέρας τάξεως explica ἑκάστης (uti legunt 19. 62. 64. 93) ; fratres duces cuiusvis ordinis seu partis exercitus constituit. Qui hic Iosephus vocatur, est frater ille Ioannes alias appellatus (1 Mach. 2,2 ; 9,36. 38) ; ita communiter (iam *Lap.*) ; alium autem fratrem Eleazarum (graece, S) τάξας παραναγνῶναι constituit, ut ex sacris litteris praelegeret (cf. Deut. 20,2 seq. vide 1 Mach. 3,56). Ita textus fertur in vulg. et S, eodemque modo graece est exhibendus scil. scribendum est cum 19. 62. 64. 93 pro παραγνωνα παραναγνῶναι. Lectio παραναγνούς (A etc. *Fr.*) narrationem perturbat; nam tum Eleazarus esset quartus qui partem exercitus acciperet (et ἔτι δὲ καὶ satis inepte poneretur alieno loco), et ipse Iudas qui tamen dux dicitur primae cohortis nullam haberet cohortem. Quare narratio unice apta fluit in vulg S et in 4 minusculis. S : et praeterea autem etiam Eleazarum constituit (ei mandavit) ut legeret populo legem sanctam. Iudas vero dedit σύνθημα tesseram, signum (quo inter se noscuntur milites), clamorem militarem proelii βοήθεια Θεοῦ, hanc vocem scil. usurpantes ut procederent ad pugnam mandavit; 13,15 dat tesseram : Θεοῦ νίκη. Uti Appianus refert instante pugna pharsalica Caesar suis tesseram dedit : Venus victrix, Pompeius suis : Hercules invictus (de bell. civ. 2,76).

Iudas, dux primae cohortis, congressus est cum Nicanore. Milites Iudae fratrumque Deo opitulante hostes vicerunt; novem millia occisa sunt; maior pars exercitus Nicanoris et est vulnerata et membris mutila effecta; omnes autem in fugam coniecti v. 24; accuratius certamen describitur 1 Mach. 4,1-22. Pecuniam, quam illi apportarunt

ad Iudaeos captos emendos, ipsi Iudaei victores praedam acceperunt; fugientes persecuti sunt ἐφ' ἱκανὸν satis diu, at ipsa hora impediti reversi sunt; erat enim sabbatum v. 26; ergo ante solis occasum desistere debebant a persecutione. Postquam arma et spolia collegerunt, ὁπλολογήσαντες celebrabant sabbatum. Haec victoria illis erat signum et pignus misericordis Dei iterumque populo suo propitii. Immerito *Gr.* affirmat narrationem v. 27 esse oppositam et contrariam illi 1 Mach. 4,17. 23; nam Iudam permisisse solum, ut spolia colligerentur, postquam Gorgias cum suis fugisset. Sed cum in hac nostra brevi narratione nihil dicatur de Gorgia, sed victoria et praeda capta solum commemoretur, quid oppositionis adsit plane non deprehenditur. Omissio non est neque negatio neque oppositio. Sabbatum agebant, γίνεσθαι περί τι esse circa aliquam rem; occupari in aliqua re; auctor noster, ut saepe observatur, verba ab usu communi remotiora captat et dictiones non adeo usitatas. Deum ex intimo corde laudant ἐξομολογούμενοι, qui eos servavit, εἰς τὴν ἡμέραν ταύτην in diem hanc, ut testes essent victoriae et misericordiae Dei denuo concessae post acerbos calamitatis dies, ergo in diem hanc felicem, faustam. Misericordiae initium *stillans*, στάξαντος (64 στάξαντι); modus quandoque affectatus scribendi auctoris sane commendat hanc lectionem (cf. Ier. 42,18 καθὼς ἔσταξεν ὁ θυμός μου, 44,6. 2 Par. 12,7); dies haec est initium misericordiae denuo eis affulgentis.

Distribuerunt praedam, uti iam Num. 31,27 praeceptum erat: dividesque ex aequo praedam inter eos qui pugnaverunt et inter reliquam multitudinem; cf. 1 Sam. 30,25 seq.; partem acceperunt ἠκισμένοι, qui ab hostibus contumeliose tractati et cruciati erant, viduae, orphani; τὰ παιδία liberi bellatorum, vulg. *ipsi cum suis*, S ipsi et pueri cum eis. De praeda vide 1 Mach. 4,23. Spoliis distributis Deum enixe deprecabantur, ut servis suis plene et perfecte εἰς τέλος reconciliaretur; eo sensu εἰς τέλος saepe occurrit in graecitate seriore (cf. Eccli. 10,13. Ioan. 13,1; Diodor. sic. 17,11; saepe apud Polybium; Ps. 74,10; 79,5; 89,45 hebr. לנצח, εἰς τέλος, *Gr.*). Iuvenis ille martyr recte prophetavit: desinet Omnipotentis ira 7,28; ira in misericordiam conversa est 8,5; huius felicis conversionis signum est victoria v. 27; at restat, ut res iudaicae et sanctuarium et leges in integrum restituantur, ut profanationes tollantur (cf. 6,2 seq.), ut iugum alienigenarum excutiatur.

14. *Dei in hostes vindicta* 8,30-36.

8,30. *Et ex his qui cum Timotheo et Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt et munitiones excelsas obtinuerunt et plures praedas diviserunt, aequam portionem debilibus, pupillis et viduis sed et senioribus facientes.* 31. *Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua vero spolia Ierosolymam detulerunt.* 32. *Et Philarchen qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum scelestum, qui in multis Iudaeos afflixerat.* 33. *Et cum epinicia agerent Ierosolymis, eum qui sacras ianuas incenderat, id est, Callisthenem, cum in quoddam domicilium refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita.*

34. *Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudaeorum venditionem adduxerat,* 35. *humiliatus auxilio Domini ab his quos nullos existimaverat, deposita veste gloriae per mediterranea fugiens solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus.* 36. *Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Ierosolymorum, praedicabat nunc protectorem Deum habere Iudaeos et ob ipsum invulnerabiles esse, eo quod sequerenter leges ab ipso constitutas.*

8,30. Καὶ τοῖς περὶ Τιμόθεον καὶ Βακχίδην συνερίσαντες ὑπὲρ τοὺς δισμυρίους αὐτῶν ἀνεῖλον καὶ ὀχυρωμάτων ὑψηλῶν εὖ μάλα ἐγκρατεῖς ἐγένοντο καὶ λάφυρα πλείονα ἐμερίσαντο, ἰσομοίρους ἑαυτοὺς καὶ τοῖς ἠκισμένοις καὶ ὀρφανοῖς καὶ χήραις ἔτι δὲ καὶ πρεσβυτέροις ποιήσαντες. 31. Ὁπλολογήσαντες δὲ αὐτοὺς ἐπιμελῶς πάντα συνέθηκαν εἰς τοὺς ἐπικαίρους τόπους, τὰ δὲ λοιπὰ τῶν σκύλων ἤνεγκαν εἰς Ἱεροσόλυμα. 32. Τὸν δὲ Φυλάρχην τῶν περὶ Τιμόθεον ἀνεῖλον, ἀνοσιώτατον ἄνδρα καὶ πολλὰ τοὺς Ἰουδαίους ἐπιλελυπηκότα. 33. Ἐπινίκια δὲ ἄγοντες ἐν τῇ πατρίδι τὸν ἐμπρήσαντα τοὺς ἱεροὺς πυλῶνας Καλλισθένην ὑφῆψαν εἰς ἓν οἰκίδιον πεφευγότα καὶ τὸν ἄξιον τῆς δυσσεβείας ἐκομίσατο μισθόν.

34. Ὁ δὲ τριςαλιτήριος Νικάνωρ ὁ τοὺς χιλίους ἐμπόρους ἐπὶ τὴν πρᾶσιν τῶν Ἰουδαίων ἀγαγὼν, 35. ταπεινωθεὶς ὑπὸ τῶν κατ' αὐτὸν νομιζομένων ἐλαχίστων εἶναι, τῇ τοῦ Κυρίου βοηθείᾳ τὴν δοξικὴν ἀποθέμενος ἐσθῆτα, διὰ τῆς μεσογείου δραπέτου τρόπον ἔρημον ἑαυτὸν ποιήσας ἧκεν εἰς Ἀντιόχειαν, ὑπεράγαν δυςημερήσας ἐπὶ τῇ τοῦ στρατοῦ διαφθορᾷ. 36. Καὶ ὁ τοῖς Ῥωμαίοις ἀναδεξάμενος φόρον ἀπὸ τῆς τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις αἰχμαλωσίας κατορθώσασθαι κατήγγελλεν ὑπέρμαχον ἔχειν τὸν Θεὸν τοὺς Ἰουδαίους καὶ διὰ τὸν τρόπον τοῦτον ἀτρώτους εἶναι τοὺς Ἰουδαίους, διὰ τὸ ἀκολουθεῖν τοῖς ὑπ' αὐτοῦ προτεταγμένοις νόμοις.

Narratur alia victoria de Timotheo et Bacchide reportata et refertur poena et ignominia ducibus hostium inflicta.

Timotheus et Bacchides duces erant in magno illo exercitu, cuius dux primarius erat Nicanor. Uti in nostro libro nulla fit mentio Gorgiae, qui tamen parti exercitus praefuit (1 Mach. 5,1 seq.), ita in priore libro omittuntur duo hi duces. Timotheus in priore libro alia occasione post cultum restitutum commemoratur, contra quem Iudas pugnat (1 Mach. 5,6. 11. 34. 37. 40). Quae autem hic dicuntur, per-

tinent ad expeditionem quam Nicanor contra Iudaeos suscepit; id etiam colligitur ex 9,3, ubi nuntius de clade Nicanoris et Timothei eodem tempore Antiocho affertur, cum reverteretur ab attentata spoliatione templi (1 Mach. 6,3). Immerito affirmat *Gr.* auctorem nostrum erronee hic iam inserere quae postea acta sint; nullo argumento talis error probari potest; sed fatendum est nos de illa expeditione Nicanoris solum ea scire, quae in priore libro et in hoc narrantur; in utroque libro aliqua tanguntur, tacentur aliqua. Quare narratio ita est componenda, ut utriusque narrationis ratio habeatur, neque tamen statim alterutra erroris arguatur aut contradictio statuatur. Hoc autem facit contradictionem affirmans, qui pugnam hanc Timothei eandem existimat, de qua 1 Mach. 5,6. 11. 34; atque gratuito hoc fieri, apparet quia in utraque narratione et aliud tempus et prorsus aliae conditiones clare assignantur. Nam haec nostra pugna Timothei arcte connectitur cum clade Nicanoris, ponitur ante cultum restitutum; sed 1 Mach. 5 aliud habetur tempus, regio alia, nihil de Nicanore; ceterum vide ad 9,3 et 10,24.

Bacchides in hoc libro solum hic nominatur. In priore libro eius mentio fit sub Demetrio rege anno 161, quo tempore vir describitur magnae auctoritatis et dignitatis (1 Mach. 7,8), quare censet *Keil* de alio Bacchide sermonem fieri; nam Bacchides hic in v. 30 vir parva dignitate praeditus apparet. Sed quae hic narrantur pertinent ad annum 166 ante Ch.; vir magni ingenii aut magnae dexteritatis et sollertiae vel etiam prudentiae aut astutiae haud communis intra 5 annos ad maximos pervenire poterit honores. Quare dubito sitne de alio Bacchide cogitandum. S ita v. 30 : et praeterea venit contra eos Timotheus et Bacchides et interfecerunt ex eis triginta millia; quod in vulg habetur supponit lectionem τῶν περὶ T. συνεριζόντων, lectio alia (A, 23. 44. 55. 74 al) a *Fr.* adoptata exhibet ipsos Iudaeos contendentes cum iis qui Timotheum ducem et Bacchidem sequebantur. Numerus sat magnus interfectorum (calculo populari exhibitus) et occupatio arcium et munitionum iam satis indicat, non agi de uno praelio, sed de variis certaminibus. Spolia a vivis capta dicuntur λάφυρα, et ita distinguuntur σκῦλα, occisis detracta; sed auctor noster istud discrimen non observat, nam v. 31 scribit τὰ λοιπὰ τῶν σκύλων. In distributione praedae aequales se portione faciebant cum male vexatis (cf. v. 28), pupillis, viduis et senibus; πρεσβύτεροι hoc loco erunt aetate provecti, qui sicut pupilli, viduae, iuvandi erant; de magistratu ad publica negotia promovenda quibus pecunia commissa sit, vix erit cogitandum; *Lap.* intelligi vult sacerdotes. Arma collecta locis opportunis reposuerunt, ut suo tempore usui esse possent; spolia in urbem

delata pro sanctuario destinabantur (cf. Num. 31,28 et separabis partem Domino).

Ex iis qui plurima mala Iudaeis intulerunt, duo nominantur qui capti et in poenam facinorum interfecti sunt: Phylarches v. 32: esse nomen proprium, non appellativum, ducem aliquem cohortis φυλῆς, patet ex modo scribendi τὸν δὲ; alias exspectandum erat τινὰ δὲ φυλάρχην vel similiter; nomen proprium agnoscit vulg, appellativum effert S; τῶν περὶ Τιμόθεον i. e. τινὰ τῶν περὶ Τ. (cf. 1 Mach. 7,8 τὸν Βακχίδην τῶν φίλων τοῦ βασιλέως). Ob reportatam victoriam celebrarunt sollemnia ἐν τῇ πατρίδι, certe hoc loco in urbe patria, neque enim versabantur extra terram patriam antea, ita ut reditus in terram patriam esset connotandus; ita quidem habet S: et cum venissent in terram suam, sed perperam; bene vero vulg *cum epinicia agerent Ierosolymis*; plures ex illis qui portas combusserant (cf. 1 Mach. 4,38) iusta talionis poena esse combustos, S quoque refert; sed ἄλλους τινὰς, vel καί τινας ἄλλους non habent A, 23. 44. 45. 71 al neque vulg; ex illis incendiariis unus praesertim nominatur, Callisthenes.

Nicanor autem turpi fuga dilapsus est; τριςαλιτήριος ter flagitiosus i. e. quam maxime; cf. ter quaterque beati. Indignatio auctoris excitatur illius insolentia et impudentia, qua mille mercatores ad coemendos Iudaeos secum adduxerat (cf. v. 10. 11); sed Deo opitulante ab iis quos nihili duxerat, humiliatus est; vili habitu indutus, ne veste splendida agnosceretur, per mediam regionem διὰ τῆς μεσογείου scil. ὁδοῦ, via itaque directa, sine ambagibus, celerrime. δραπέτου τρόπον, sicut servus fugitivus, ἔρημον ἑαυτὸν ποιήσας sine comite, solitarius venit Antiochiam; ὑπεράγαν δυςημερήσας summopere infelix, tristis de ruina exercitus. Hanc lectionem sequuntur vulg, S: erat in tristitia et ignominia multa. Fertur alia lectio (A, 44. 74. 243) quam *Fr.* adoptavit: ὑπὲρ ἅπαν εὐημερηκώς quam maxime felicem se existimans quod tantae stragi superstes evasisset; qua sententia vilis eius animus magis effertur, qui in ruina exercitus summopere sibi gratuletur de vita servata hancque summam censeat felicitatem.

Quantopere spe et exspectatione sua deceptus fuerit, declaratur v. 36; ἀναδεξάμενος in se susceperat, promiserat tributum plene se persoluturum κατορθώσασθαι; at tum ad stragem excusandam et ad suam fugam ab ignominia nimia liberandam, ubique praedicabat ὑπέρμαχον ἔχειν defensorem qui pro iis pugnet Iudaeos habere suum Deum; immo rem ad suam defensionem et commendationem exaggerat, eos esse inviolabiles ἀτρώτους, invulnerabiles, et tanta Dei protectione gaudere quia leges eius fideliter observarint. Nicanorem talia professum esse ad sui excusationem eo magis assumendum est,

quia gentes deum tutelarem curam habere populi sui sibi omnino persuaserunt. Quare efferens Iudaeorum in Deum observantiam sperare poterat apud populares suos se sibi fidem facturum, non sua culpa, sed numinis interventu expeditionem male cessisse.

15. *Dei in Antiochum vindicta* 9,1-29.

9,1. *Eodem tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside.* 2. *Intraverat enim in eam quae dicitur Persepolis et tentavit exspoliare templum et civitatem opprimere; sed multitudine ad arma concurrente in fugam versi sunt; et ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret.* 3. *Et cum venisset circa Ecbatanam, recognovit quae erga Nicanorem et Timotheum gesta sunt.* 4. *Elatus autem in ira arbitrabatur se iniuriam illorum qui se fugaverant posse in Iudaeos retorquere; ideoque iussit agitari currum suum sine intermissione agens iter, coelesti eum iudicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est se venturum Ierosolymam et congeriem sepulcri Iudaeorum eam facturum.* 5. *Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum et amara internorum tormenta;* 6. *et quidem satis iuste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret.* 7. *Super hoc autem superbia repletus ignem spirans animo in Iudaeos et praecipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere et gravi corporis collisione membra vexari.*

8. *Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans,* 9. *ita ut de corpore impii vermes scaturirent ac*

9,1. Περὶ δὲ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἐτύγχανεν Ἀντίοχος ἀναλελυκὼς ἀκόσμως ἐκ τῶν κατὰ τὴν Περσίδα τόπων. 2 Εἰςεληλύθει γὰρ εἰς τὴν λεγομένην Περσέπολιν, καὶ ἐπεχείρησεν ἱεροσυλεῖν καὶ τὴν πόλιν συνέχειν· διὸ δὴ τῶν πληθῶν ὁρμησάντων ἐπὶ τὴν τῶν ὅπλων βοήθειαν ἐτράπησαν καὶ συνέβη τροπωθέντα τὸν Ἀντίοχον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων ἀσχήμονα τὴν ἀναζυγὴν ποιήσασθαι. 3. Ὄντι δὲ αὐτῷ κατ' Ἐκβάτανα προςέπεσε τὰ κατὰ Νικάνορα καὶ τοὺς περὶ Τιμόθεον γεγονότα. 4. Ἐπαρθεὶς δὲ τῷ θυμῷ ᾤετο καὶ τὴν τῶν πεφυγαδευκότων αὐτὸν κακίαν εἰς τοὺς Ἰουδαίους ἐναπερείσασθαι· διὸ συνέταξε τὸν ἁρματηλάτην ἀδιαλείπτως ἐλαύνοντα κατανύειν τὴν πορείαν, τῆς ἐξ-οὐρανοῦ δὴ κρίσεως συνούσης αὐτῷ· οὕτω γὰρ ὑπερηφάνως εἶπε· πολυάνδριον Ἰουδαίων Ἱεροσόλυμα ποιήσω παραγενόμενος ἐκεῖ. 5. Ὁ δὲ πανεπόπτης Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ ἐπάταξεν αὐτὸν ἀνιάτῳ καὶ ἀοράτῳ πληγῇ· ἄρτι δὲ αὐτοῦ καταλήξαντος τὸν λόγον, ἔλαβεν αὐτὸν ἀνήκεστος τῶν σπλάγχνων ἀλγηδὼν καὶ πικραὶ τῶν ἔνδον βάσανοι, 6. πάνυ δικαίως τὸν πολλαῖς καὶ ξενιζούσαις συμφοραῖς ἑτέρων σπλάγχνα βασανίσαντα· ὁ δὲ οὐδαμῶς τῆς ἀγερωχίας ἔληγεν. 7. Ἔτι δὲ καὶ τῆς ὑπερηφανίας ἐπεπλήρωτο, πῦρ πνέων τοῖς θυμοῖς ἐπὶ τοὺς Ἰουδαίους, καὶ κελεύων ἐποξύνειν τὴν πορείαν· συνέβη δὲ καὶ πεσεῖν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ἅρματος φερομένου ῥοίζῳ καὶ δυςχερεῖ πτώματι περιπεσόντα πάντα τὰ μέλη τοῦ σώματος ἀποστρεβλοῦσθαι.

8. Ὁ δ' ἄρτι δοκῶν τοῖς τῆς θαλάσσης κύμασιν ἐπιτάσσειν διὰ τὴν ὑπὲρ ἄνθρωπον ἀλαζονείαν, καὶ πλάστιγγι τὰ τῶν ὀρέων οἰόμενος ὕψη στήσειν, κατὰ γῆν γενόμενος ἐν φορείῳ παρεκομίζετο, φανερὰν τοῦ Θεοῦ πᾶσι τὴν δύναμιν ἐνδεικνύμενος, 9. ὥςτε καὶ ἐκ τοῦ σώματος τοῦ δυςσεβοῦς σκώληκας ἀναζεῖν, καὶ ζῶντος ἐν ὀδύναις καὶ ἀλγηδόσι τὰς

viventis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius et foetore exercitus gravaretur. 10. *Et qui paulo ante sidera coeli contingere se arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam foetoris portare.* 11. *Hinc igitur coepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus.* 12. *Et cum nec ipse iam foetorem suum ferre posset, ita ait : iustum est subditum esse Deo et mortalem non paria Deo sentire.* 13. *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* 14. *Et civitatem ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret ac sepulcrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere,* 15. *et Iudaeos quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum et cum parvulis exterminaturum dixerat, aequales nunc Atheniensibus facturum pollicetur;* 16. *templum etiam sanctum quod prius exspoliaverat, optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum et pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis praestaturum;* 17. *super haec et Iudaeum se futurum et omnem locum terrae perambulaturum et praedicaturum Dei potestatem.*

18. *Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum iustum Dei iudicium) desperans scripsit ad Iudaeos in modum deprecationis epistolam haec continentem :*

19. *Optimis civibus Iudaeis plurimam salutem et bene valere et esse felices, rex et princeps Antiochus.*

20. *Si bene valetis et filii vestri et ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias;* 21. *et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benigne, reversus de Persidis locis et infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate curam habere.* 22. *Non desperans me-*

σάρκας αὐτοῦ διαπίπτειν, ὑπὸ δὲ τῆς ὀσμῆς αὐτοῦ πᾶν τὸ στρατόπεδον βαρύνεσθαι τὴν σαπρίαν. 10. Καὶ τὸν μικρῷ πρότερον τῶν οὐρανίων ἄστρων ἅπτεσθαι δοκοῦντα παρακομίζειν οὐδεὶς ἐδύνατο διὰ τὸ τῆς ὀσμῆς ἀφόρητον βάρος. 11. Ἐνταῦθα οὖν ἤρξατο τὸ πολὺ τῆς ὑπερηφανίας λήγειν τεθραυσμένος, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἔρχεσθαι θείᾳ μάστιγι κατὰ στιγμὴν ἐπιτεινόμενος ταῖς ἀλγηδόσι. 12. Καὶ μηδὲ τῆς ὀσμῆς αὐτοῦ δυνάμενος ἀνέχεσθαι ταῦτ' ἔφη· δίκαιον ὑποτάσσεσθαι τῷ Θεῷ καὶ μὴ θνητὸν ὄντα ἰσόθεα φρονεῖν. 13. Ηὔχετο δὲ ὁ μιαρὸς πρὸς τὸν οὐκέτι αὐτὸν ἐλεήσοντα δεσπότην οὕτω λέγων. 14. Τὴν μὲν ἁγίαν πόλιν, ἣν σπεύδων παρεγίνετο ἰσόπεδον ποιῆσαι καὶ πολυάνδριον οἰκοδομῆσαι, ἐλευθέραν ἀναδεῖξαι, 15. τοὺς δὲ Ἰουδαίους οὓς διεγνώκει μηδὲ ταφῆς ἀξιῶσαι, οἰωνοβρώτους δὲ σὺν τοῖς νηπίοις ἐκρίψειν θηρίοις, πάντας αὐτοὺς ἴσους Ἀθηναίοις ποιήσειν· 16. ὃν δὲ πρότερον ἐσκύλευσεν ἅγιον νεὼν καλλίστοις ἀναθήμασι κοσμήσειν καὶ τὰ ἱερὰ σκεύη πολυπλάσια πάντα ἀποδώσειν, τὰς δὲ ἐπιβαλλούσας πρὸς τὰς θυσίας συντάξεις ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων χορηγήσειν· 17. πρὸς δὲ τούτοις καὶ Ἰουδαῖον ἔσεσθαι καὶ πάντα τόπον οἰκητὸν ἐπελεύσεσθαι καταγγέλλοντα τὸ τοῦ Θεοῦ κράτος.

18. Οὐδαμῶς δὲ ληγόντων τῶν πόνων, ἐπεληλύθει γὰρ ἐπ' αὐτὸν δικαία ἡ τοῦ Θεοῦ κρίσις, τὰ κατ' αὐτὸν ἀπελπίσας ἔγραψε πρὸς τοὺς Ἰουδαίους τὴν ὑπογεγραμμένην ἐπιστολήν, ἱκετηρίας τάξιν ἔχουσαν, περιέχουσαν δὲ οὕτως.

19. Τοῖς χρηστοῖς Ἰουδαίοις τοῖς πολίταις πολλὰ χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν βασιλεὺς καὶ στρατηγὸς Ἀντίοχος.

20. Εἰ ἔρρωσθε καὶ τὰ τέκνα καὶ τὰ ἴδια κατὰ γνώμην ἐστὶν ὑμῖν, εὔχομαι μὲν τῷ Θεῷ τὴν μεγίστην χάριν εἰς οὐρανὸν τὴν ἐλπίδα ἔχων, 21. κἀγὼ δὲ ἀσθενῶς διεκείμην· ὑμῶν τὴν τιμὴν καὶ τὴν εὔνοιαν ἐμνημόνευον φιλοστόργως. Ἐπανάγων ἐκ τῶν περὶ τὴν Περσίδα τόπων καὶ περιπεσὼν ἀσθενείᾳ δυσχέρειαν ἐχούσῃ, ἀναγκαῖον ἡγησάμην φροντίσαι τῆς

metipsum sed spem multam habens effugiendi infirmitatem; 23. respiciens autem quod et pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum, 24. ut si quid contrarium accideret, aut difficile nuntiaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur; 25. ad haec considerans de proximo potentes quosque et vicinos temporibus insidiantes et eventum exspectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem saepe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam, et scripsi ad eum quae subiecta sunt. 26. Oro itaque vos et peto memores beneficiorum publice et privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me et ad filium meum. 27. Confido enim eum modeste et humane acturum et sequentem propositum meum, et communem vobis fore.

28. Igitur homicida et blasphemus pessime percussus et ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est. 29. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus eius, qui metuens filium Antiochi ad Ptolemaeum Philometorem in Aegyptum abiit.

κοινῆς πάντων ἀσφαλείας. 22. Οὐκ ἀπογινώσκων τὰ κατ' ἐμαυτὸν, ἀλλὰ ἔχων πολλὴν ἐλπίδα ἐκφεύξεσθαι τὴν ἀσθένειαν, 23. θεωρῶν δὲ ὅτι καὶ ὁ πατὴρ καθ' οὓς καιροὺς εἰς τοὺς ἄνω τόπους ἐστρατοπέδευσεν ἀνέδειξε τὸν διαδεξόμενον, 24. ὅπως ἐάν τι παράδοξον ἀποβαίνῃ ἢ καὶ προσαγγελθῇ τι δυσχερὲς, εἰδότες οἱ κατὰ τὴν χώραν ᾧ καταλέλειπται τὰ πράγματα, μὴ ἐπιταράσσωνται· 25. πρὸς δὲ τούτοις κατανοῶν τοὺς παρακειμένους δυνάστας καὶ γειτνιῶντας τῇ βασιλείᾳ τοῖς καιροῖς ἐπέχοντας καὶ προσδοκῶντας τὸ ἀποβήσομενον, ἀναδέδειχα τὸν υἱὸν Ἀντίοχον βασιλέα, ὃν πολλάκις ἀνατρέχων εἰς τὰς ἐπάνω σατραπείας τοῖς πλείστοις ὑμῶν παρακατετιθέμην καὶ συνίστων, γέγραφα δὲ πρὸς αὐτὸν τὰ ὑπογεγραμμένα. 26. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς καὶ ἀξιῶ, μεμνημένους τῶν εὐεργεσιῶν κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν, ἕκαστον συντηρεῖν τὴν οὖσαν εὔνοιαν εἰς ἐμὲ καὶ τὸν υἱόν. 27. Πέπεισμαι γὰρ αὐτὸν ἐπιεικῶς καὶ φιλανθρώπως παρακολουθοῦντα τῇ ἐμῇ προαιρέσει συμπεριενεχθήσεσθαι ὑμῖν.

28. Ὁ μὲν οὖν ἀνδροφόνος καὶ βλάσφημος τὰ χείριστα παθὼν, ὡς ἑτέρους διέθηκεν, ἐπὶ ξένης ἐν τοῖς ὄρεσιν οἰκτίστῳ μόρῳ κατέστρεψε τὸν βίον. 29. Παρεκομίζετο δὲ τὸ σῶμα Φίλιππος, ὁ σύντροφος αὐτοῦ, ὃς καὶ διευλαβηθεὶς τὸν υἱὸν Ἀντιόχου πρὸς Πτολεμαῖον τὸν Φιλομήτορα εἰς Αἴγυπτον διεκομίσθη.

Quae hic narrantur de morbo et morte Antiochi regis, primo aspectu satis differre videntur ab iis quae 1 Mach. 6,1-16 referuntur. Oportet itaque singula bene expendere et insuper ob oculos habere nostris auctoribus non fuisse propositum ipsas res ab Antiocho gestas sedulo perscribere, sed ea solum aliquo modo attingere volebant quae ad iudaicam historiam pertineant. Ita nihil legitur de bello contra Artaxiam, regem Armeniorum, quem vivum cepit Antiochus, post quam victoriam Antiochus diem obiit (App. Syr. 45-46).

Cum in v. 1 explicite dicatur περὶ δὲ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, spoliatio tentata templi, de qua 1 Mach. 6,1 seq. quoque, refertur ad tempus, de quo in cap. 8 actum est, ergo ad annum 166 a. Ch.; Antiochus itaque eodem anno quo transfretavit Euphratem templum quoque spoliare tentavit; nec mirum, nam totam illam expeditionem suscepit pecuniae acquirendae causa (1 Mach. 3,29 seq.); transfretavit anno 147

sel. i. e. 166; cladis vero Nicanoris et Gorgiae tempus assignatur 1 Mach. 4,28, nam anno insequente venit Lysias quo devicto anno 148 sel. i. e. 165 templum est denuo consecratum. Antiochus autem mortuus anno 149 (1 Mach. 6,16) i. e. 164. Unde spoliationem templi satis diu ante mortem tentavit et post conatum illum bellum intulit regi Armeniorum. In priore libro templum illud fuisse dicitur in Aelam (ita quoque App. Syr. 66, Polyb. 31,11); Persidem intellige ex notione veterum sensu latiore (vide quae notavi ad 1 Mach. 6,1). Persepolis ipsa urbs hoc nomine vocata erit intelligenda; et cum in priore libro regio aelamitica assignetur eaque a profanis quoque testimonium habeat, intellige regionem illam quae pars est Persidis (cf. *Patr.* p. 255). Dicitur ingressus in urbem tentasse ἱεροσυλεῖν templum exspoliare, et ipsam urbem συνέχειν occupare, retinere. Verum magno impetu ad arma ruunt incolae ut armis sibi opem ferant, ὁρμᾶν ἐπὶ τὴν τῶν ὅπλων βοήθειαν; et ita contigit, ut rex ab indigenis fugatus indecoram perageret profectionem ἀσχήμονα τὴν ἀναζυγήν; cum ignominia abire coactus est.

Cum esset in via versus Ecbatana, affertur ei nuntius de iis quae in Iudaea Nicanori et militibus Timothei acciderant. Hoc loco itaque ei nuntiantur ea quae mox post eius profectionem in Iudaea gesta sunt; 1 Mach. 6,5.6 aliud tempus declaratur; ibi scil. alter nuntius ei affertur de clade Lysiae, de cultu restituto, de iis quae in Iudaea anno insequente gesta erant anno 165. In utroque autem libro statim subiungitur narratio de incepto reditu in Iudaeam et de eius morbo. Verum statim patet haec non immediate inter se subsecuta esse. In nostro libro res est clara, quia post nuntium de rebus anno 166 gestis ei affertur etiam nuntius de eventu anni subsequentis 165, uti habetur 1 Mach. 6,5. 6. Utrum hoc nuntio accepto statim iter aggressus sit, et quo tempore inserendum sit bellum contra Armenios, ante 1 Mach. 6,7 an post v. 7, incertum est. Rem ita componit Patritius (l. c. p. 258): « Direptione urbis frustra tentata Antiochus per Mediam reversus est Babyloniam. In itinere, Ecbatanis cum substitisset, nuntiatum ipsi est primo de Nicanore, dein de Timotheo a Iuda devictis, iraeque impotens ultimam Iudaeorum perniciem meditari coepit (9,4). Post hiemem Babylone traductam bellum intulit Artaxiae regi Armeniorum... Hoc bello confecto in Persidem reversus audiit primo de Lysiae clade fugaque, postque aliquot menses, cum venisset in eam Persidis regionem quae Paraetacene vocatur, nuntius ei affertur ut Iudaei templum Hierosolymae atque Bethsuram muris communissent. Quo nuntio commotus statim iter aggreditur consilia in Iudaeos excogitata exsecuturus, sed a numine percussus moxque lapsus e curru

morbo ingravescente (9,4-10) subsistere coactus est et decumbere Tabis urbe Paraetacenes, ubi diu cum morte conflictatus (1 Mach. 6,8. 9) tandem diem vixit supremum ».

Qui iter illud versus Ecbatana falso confictum esse dicunt (*Gr. K.*), non attendunt discrimen temporis sat magnum inter 9,3 et 1 Mach. 6,6. 7; dein se gerunt ac si accuratissime scirent quaenam itinera duobus illis annis 166-164 Antiochus in regionibus orientalibus fecisset vel non fecisset. At de illis nihil aliud innotuit, nisi quod libris Mach. et paucis illis apud Polybium et Appianum continetur. Quare negare id quod 9,3 affirmatur est sapere plus quam oportet.

Uti iam ex 1 Mach. 6,6. 7 consequitur, hic inter v. 3 et 4 longius temporis spatium intercedit. Antiochus quam primum audivit de clade Nicanori et Timotheo inflicta, illam in Iudaeis ulcisci statuit, ira insuper accensus de strage modo accepta. Verum a consilio capto usque ad eius exsecutionis initium, i. e. usque ad iter inceptum versus Iudaeam, et bellum in Armenios et alii nuntii infausti evenerunt. Facile quoque intelligitur, quomodo illa κακία, illa malitia quam Antiochus se expertum esse putabat, effecerit, ut eo magis aegre ferret et irasceretur de audacia Iudaeorum. Quae ira etiam magis accendebatur altero nuntio de clade Lysiae et tertio de templo denuo consecrato et de moenibus exstructis (1 Mach. 6.6. 7); quare celerem capere statuit ultionem; iter festinanter instituit; iussit aurigam sine intermissione agitare (equos) et conficere iter. Ei autem iudicium e coelo imminebat; nam ita insolenter locutus erat : sepulcretum commune Iudaeorum faciam (ποιήσω. sim. S) Ierusalem, simulac pervenero illuc. Sed impium sermonem secuta est poena v. 5; morbo Deus Israel eum percussit insanabili et invisibili, utpote qui in visceribus intus grassaretur, viscerum doloribus acerrimis consisteret; ἀνήκεστος dolor viscerum cui remedium seu levamen afferri non poterat; *et amara internorum tormenta* seu cruciatus βάσανοι. Poena talionis eum iuste plecti auctor monet v. 6, quippe qui multis et novis, insolitis ξενιζούσαις cruciatibus aliorum viscera torserat; viscera considerabantur tamquam sedes affectuum, amoris, misericordiae et variarum motionum animi; de novis cruciatibus cf. cap. 7.

Verum quamvis ita iam percussus, tamen nullatenus cessavit ab insolentia τῆς ἀγερωχίας; ἔτι δὲ adhuc autem superbia repletus erat ignem spirans animi sensibus et affectibus τοῖς θυμοῖς in Iudaeos. Cum celeritatem itineris urgeret, contigit ut de curru cum strepitu celeriter agitato decideret et infelici casu prostratus omnibus corporis membris graviter distorqueretur v. 7. Opponitur in v. 8 eius olim cogitandi superbia et magnificentia risu digna infirmae conditioni

ad quam subito divina ultione est redactus; quae in v. 9 ulterius describitur, ita ut e corpore eius vermes enascerentur et dum viveret in cruciatibus et doloribus carnes eius deciderent, a foetore autem eius totus exercitus (totus eius comitatus) gravaretur τὴν σαπρίαν (τῇ σαπρίᾳ 52. 56. 64. 68) putredine et malo odore; dicitur βαρύνεσθαι τὰ σκέλη, τὴν κεφαλήν, χεῖρα etc. ergo β. τὴν σαπρίαν? sed mira analogia! Hisce quam maxime admonetur se esse hominem impotem, mortalem; v. 10. Simili morbo obiit Herodes Agrippa I γενόμενος σκωληκόβρωτος a vermibus corrosus (Act. 12,23); erat corpus ulceratum; in ulceribus vermes apparere (ulcus verminosum), minime est insolitum. Ceterum de genere morbi cf. Friedreich, zur Bibel I p. 235 seq. vel *Keil*, qui helminthiasin fuisse censet.

Morbo itaque fractus τεθραυσμένος coepit cessare a multa superbia; doloribus per momenta[1] crescentibus distentus divino se affligi flagello intellexit. Huius cognitionis et agnitionis testimonium etiam servatur apud Polybium, qui scribit: Tabis quod Persidis oppidum est e vita discessit δαιμονήσας, ὡς ἔνιοί φασιν, διὰ τὸ γενέσθαι τινὰς ἐπισημασίας τοῦ δαιμονίου κατὰ τὴν περὶ τὸ προειρημένον ἱερὸν παρανομίαν (31,11), insania correptus ob quaedam signa atque ostenta, quae ob violatam religionem templi ab infesto numine edita erant. Et morbo correptus non potuit non in memoriam sibi revocare minas quae sibi intentatae fuerant ab iis quos diris cruciatibus a lege Dei avertere ausus erat (cap. 7). Sero nunc vota facit spondens (οὕτω λέγων, sim. S), civitatem Ierusalem se proclamaturum liberam, cf. 1 Mach. 10,31; 15,7; antea eam volebat solo aequare et in sepulcretum convertere; spondet Iudaeos omnes aequales se facturum Atheniensibus (ita testes omnes; quare non facile corrigendum cum *Calm.* Antiochenis, i. e. eos omnes facere cives eiusdem iuris cum Antiochenis; cf. 4,9); Atheniensibus autem erant aequales, si suis legibus propriisque institutis libere vivere iis conceditur (*Lap.*) ita ut sibi ipsi libere magistratus eligerent neque ab alienigenis regerentur. Pariter spondet de templo, de vasis sacris, de sumptibus pro sacrificiis v. 16, imo se fore Iudaeum et ad quemcumque locum habitatum pervenerit se praedicaturum Dei potentiam v. 17. Plane ad naturam hominum factum est, ut maximo desiderio sese liberandi ab intolerabili dolore incitati spondeant voveantque gravissima quaeque ad numen flectendum. Eiusmodi vota facere omnibus gentibus erat in more positum. Quare quod hoc loco auctor narrat, a congrua veritate non recedit atque ita effer-

1. Adhibetur itaque στιγμὴ notione ea qua apud Plutarchum legitur στιγμὴ χρόνου (De puer. educ. 17).

tur, prout ipsis conditionibus consentaneum esse ex narratione antecedente apparet.

Sed cum nulla spes sanitatis recuperandae ei affulgeret, epistolam dedit ad Iudaeos, quam auctor modum deprecationis, supplicationis habere ait. Unum quod ab iis petit, habetur v. 26. De initio epistolae ipse Wernsdorf qui fidem libri nostri maxime convellere studet, ita habet : « non incongruum esse existimo credere ita ipsum scripsisse Antiochum; fuerat obses in urbe Roma, didicerat Romanos mores formulasque, eosque solebat aemulari atque imitando sectari etiam in minimis ad stoliditatem usque » (cf. *K.*). Insolitum est, ut primo loco in inscriptione nominentur ii ad quos litterae diriguntur; at sunt eiusmodi exempla; vide 1,1 et LXX 1 Esdr. 6,7 (vulg. 3 Esdr.); unde immerito deprehendit *Gr.* in hac collocatione captationem benevolentiae maiestate regia indignam. Ceterum Antiochus aliis occasionibus haud raro dignitatem eximio modo abiecit (cf. Polyb. 26, 10). Rex et princeps, βασιλεὺς καὶ στρατηγός, coniunctio titulorum haec alias est inaudita. Forte in ea imitatio est tituli romani : Consul et imperator; nam imitationis amans erat Antiochus (cf. Polyb. l. c.); eo titulo se ducem et imperatorem exercitus declarat. Consules romani ex provinciis ad senatum scribentes incipere solebant : si vos liberique vestri valetis, bene est, ego quidem et exercitus valemus (cf. Iosephus, Ant. 14,10,2. 12,3; *Gr.*). Imitatur idem Antiochus; εὔχεσθαι χάριν proprie vovere gratias, sed vix aliud quam gratias agere; εἰς οὐρανὸν τὴν ἐλπίδα ἔχων scil. sperans vos bene valere; κἀγὼ δὲ (cf. *Klotz* Devar. p. 645) et ego vero aegrotabam; stilo scil. epistolari. Eousque habetur introductio epistolae, quae correspondet formulae usitatae : si vales, bene est; ego valeo. Sequuntur sententiae sine particulis coniunctionis (ἀσυνδέτως), uti assolet in epistolis (*K.*). Libenter ait se memorem esse honoris et benevolentiae a Iudaeis sibi exhibitae (graece; aliter vulg; S : memor vestri, ut faciam vobis honorem multamque alleviationem); ὑμῶν τὴν τιμὴν etc. dicit ratione multorum qui moribus graecis se accommodarunt; vide 4,7-15. Nuntiat dein v. 21 de morbo, qui δυσχέρειαν difficultatem habeat; necessarium duxit curam habere de communi omnium securitate, ἀσφαλείας, quam scil. securitatem omnibus sine bellorum perturbatione fore sperat, si de suo successore regni constituerit. De se quidem et de recuperanda sanitate nondum spem abiicit; οὐκ ἀπογινώσκων nōn desperans, sed considerans patrem quoque designasse successorem v. 23, cum versaretur in regionibus superioribus; nam Antiochus III Magnus, cum gravi tributo pacis a Romanis victus oneratus esset, sub specie tributariae necessitatis Iovis (Beli) templum in Elymaide spoliare aggressus

est; at cum suis in eo conatu interiit (cf. Iustinus 32,2; Diod. sic. 28, 3; 29,15; Strabo 16,744. al. 1081; 16,1,18). Quae commoda talis designatio successoris habeat, exponitur in v. 24; παράδοξον inexspectatum, euphemistice pro : si diem obiret, aut si quid δυςχερὲς, molestum, nuntiaretur, v. g. de rebellione alicuius provinciae; tum designato successore omnes scirent cui imperium esset delatum; et ita perturbatio averteretur. Alias quidem non refertur Antiochum III cum expeditionem institueret in provincias orientales regni successorem publico decreto designasse, et *Gr.* id valde improbabile censet; at de rebus eo tempore gestis plurima nos nescire fatendum est; nonne consultum erat, ut Seleucum Philopatorem regni administrum relinqueret, qui eo ipso successor esset declaratus? Ceterum epistola haec omnino genuina habenda est (de qua re postea); ergo habetur ipsius filii de re a patre gesta testimonium, quod sane valere debet etiam omnibus rerum scriptoribus tacentibus.

Quas insuper ipse habeat rationes designandi successorem, rex exponit v. 25; videt scil. principes παρακειμένους iuxta positos et vicinos regni opportuna tempora captare et exspectare τὸ ἀποθησόμενον, scil. mortem regis, ut scil. ea opportunitate usi regnum invaderent. Ut tale incommodum praecaveat, constituit et declarat filium Antiochum regem. Ad quod potiorem quoque habuit causam, quia ipse heredem regni legitimum, Demetrium, Romae obsidem, excludere et filium suum cupiebat habere successorem (cf. 1 Mach. 7,1). Hunc suum filium cum saepe in superiores provincias proficisceretur, iis commendaverat; παρακατατίθεσθαι deponere aliquid et alicuius fidei committere; eum saepe in orientales provincias expeditionem suscepisse, ex aliis fontibus neque affirmari neque negari potest; praeter hanc expeditionem commemorari potest illa 4,30. 31 ad rebellionem Mallotarum comprimendam. Epistolam regis ad filium, τὰ ὑπογεγραμμένα quae scripto adiecta sunt, auctor non addidit. Demum concludit epistolam v. 26 monens, ut memores beneficiorum sibi et filio fidem servent; spem certam enuntiat de filio, fore ut benigne ac benevole sequens meum consilium vobiscum agat, συμπεριφέρεσθαι sese accommodare, conversari v. 27.

Sicut alios tractaverat, ita ipse τὰ χείριστα παθὼν post gravissimos dolores in terra aliena in montibus miserabili obitu vitam finivit v. 28, Tabis scil. in Paraetacene. Corpus eius curavit efferendum Philippus, de quo 1 Mach. 6,14, σύντροφος (cf. Mach. 1,6) una nutritus, sodalis eius a puero et familiaris. Metuens filium Antiochi abiit ad Ptolemaeum; vide 1 Mach. 6,55. seq.; quare Philippus non statim

in Aegyptum se recepit, sed postquam a Lysia devictus est urbe Antiochia occupata (6,63).

Epistola nihil continet quo eam esse genuinam iure negetur. Multa vero exhibet quibus genuina merito asseratur. Regem habuisse causam gravem, cur successorem filium nominaret et commendaret, iam dictum est. Quod dicitur de honore sibi a Iudaeis praestito, verum est de iis, qui a lege paterna recesserant, quos et nobiles et sat multos fuisse ex utroque libro apparet. Quod autem aliorum odium in se tacet vel dissimulat, prudentiae erat et cuiusdam quoque artificii, quo omnium in se fidelitate laudata animos quoque a se alienos demulcere poterat. Pariter viri prudentis erat spem recuperandae sanitatis enuntiare et conditionem iam desperatam silentio premere et bona pro futuro tempore promittere. Accedit, quod totum epistolae argumentum ita exhibetur, ut illud a Iudaeo legis cultore esse confictum plane repugnet. Ille enim si fingere voluisset, finxisset ad suae gentis laudem et ad regis ignominiam; ille expressisset in epistola illos sensus regis quibus de anteactis doleret, deprecaretur numinis gratiam, vota faceret ad reparandas iniurias illatas. Nonne epistola omnino contradicere videtur narrationi antecedenti? in hac desperat de vita v. 18, in epistola contrarium enuntiat; antea profitetur Dei potentiam, rogat veniam, vota facit de urbe, de templo, de se cultore et laudatore Dei Israel (v. 12-17) — omnia haec exsulant ab epistola; sola regni omniumque securitatis cura tangitur; quid a malevolis principibus vicinis timeri possit, innuit; beneficia a se collata et publice et in privatorum hominum utilitatem commemorat. Quare merito dixeris hanc ipsam oppositionem quae inter narrationem et epistolam cernatur, uti ex regiae dignitatis indole fluit, ita simul argumento esse quo persuadeatur epistolam non esse suppositiam, sed genuinam.

16. *Cultus templi restituitur* 10,1-9.

10,1. *Machabaeus autem et qui cum eo erant Domino se protegente templum quidem et civitatem recepit;* 2. *aras autem quas alienigenae per plateas exstruxerant, itemque delubra demolitus est.* 3. *Et purgato templo aliud altare fecerunt et de ignitis lapidibus igne conceptę sacrificia obtulerunt post biennium et incensum et lucernas et panes propositionis posuerunt.* 4. *Quibus gestis rogabant Dominum prostrati in terram,*

10,1. Μακκαβαῖος δὲ καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τοῦ Κυρίου προάγοντος αὐτοὺς τὸ μὲν ἱερὸν ἐκομίσαντο καὶ τὴν πόλιν, 2. τοὺς δὲ κατὰ τὴν ἀγορὰν βωμοὺς ὑπὸ τῶν ἀλλοφύλων δεδημιουργημένους, ἔτι δὲ τεμένη καθεῖλον. 3. Καὶ τὸν νεὼν καθαρίσαντες ἕτερον θυσιαστήριον ἐποίησαν καὶ πυρώσαντες λίθους καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες ἀνήνεγκαν θυσίαν μετὰ διετῆ χρόνον, καὶ θυμίαμα καὶ λύχνους καὶ τῶν ἄρτων τὴν πρόθεσιν ἐποιήσαντο. 4. Ταῦτα δὲ ποιήσαντες ἠξίωσαν τὸν Κύριον πεσόντες ἐπὶ

ne amplius talibus malis inciderent; sed et si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, et non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. 5. *Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis qui fuit Casleu.*

6. *Et cum laetitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solemnem tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerunt.* 7. *Propter quod thyrsos et ramos virides et palmas praeferebant ei qui prosperavit mundari locum suum.* 8. *Et decreverunt communi praecepto et decreto universae genti Iudaeorum omnibus annis agere dies istos.* 9. *Et Antiochi quidem qui appellatus est Nobilis vitae excessus ita se habuit.*

κοιλίαν μηκέτι περιπεσεῖν τοιούτοις κακοῖς, ἀλλ' ἐάν ποτε καὶ ἁμάρτωσιν, ὑπ' αὐτοῦ μετ' ἐπιεικείας παιδεύεσθαι καὶ μὴ βλασφήμοις καὶ βαρβάροις ἔθνεσι παραδίδοσθαι. 5. Ἐν ᾗ δὲ ἡμέρᾳ ὁ νεὼς ὑπὸ ἀλλοφύλων ἐβεβηλώθη, συνέβη κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν τὸν καθαρισμὸν γενέσθαι τοῦ ναοῦ, τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ αὐτοῦ μηνός, ὅς ἐστι Χασελεῦ.

6. Καὶ μετ' εὐφροσύνης ἦγον ἡμέρας ὀκτὼ σκηνωμάτων τρόπον, μνημονεύοντες ὡς πρὸ μικροῦ χρόνου τὴν τῶν σκηνῶν ἑορτὴν ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς σπηλαίοις θηρίων τρόπον ἦσαν νεμόμενοι. 7. Διὸ θύρσους καὶ κλάδους ὡραίους, ἔτι δὲ φοίνικας ἔχοντες ὕμνους ἀνέφερον τῷ εὐοδώσαντι καθαρισθῆναι τὸν ἑαυτοῦ τόπον. 8. Ἐδογμάτισαν δὲ μετὰ κοινοῦ προστάγματος καὶ ψηφίσματος παντὶ τῷ τῶν Ἰουδαίων ἔθνει κατ' ἐνιαυτὸν ἄγειν τάσδε τὰς ἡμέρας. 9. Καὶ τὰ μὲν τῆς Ἀντιόχου τοῦ προσαγορευθέντος Ἐπιφανοῦς τελευτῆς οὕτως εἶχε.

Absolvit s. auctor historiam Antiochi; sed antequam ad eius filium et pugnas subsequentes transeat, breviter narrat, quomodo opus Antiochi praecipuum quod contra Iudaeos molitus erat factum sit infectum. Ita simul priorem libri partem apte concludit consecratione templi et restitutione cultus.

Urbem ingressi sunt Nicanore et Timotheo devictis 8,31. 33; purificatio templi postea facta est Lysia devicto 1 Mach. 4,35 seq.; nuntius huius consecrationis Antiocho est allatus; ita ipse audivit in vanum cessisse quod maxime appetierat (6,7). Deo duce et impellente προάγοντος Machabaeus cum suis urbem et templum occupat; testimonia idololatriae removentur, arae per plateas erectae; cf. 1 Mach. 1,58; τεμένη loca idolis consecrata (cf. 1 Mach. 1,50. 2 Mach. 1,15). De purgatione templi cf. 1 Mach. 4,42 seq.; de alio altari v. 47; ad sacrificia ignem sibi procurarunt πυρώσαντες λίθους inflammantes lapides, scil. mutuo lapidum attritu, silicibus inter se collisis eliciuntur scintillae, et ita ex lapidibus ignis excutitur, ex quo ignem ad sacrificia accenderunt. Ignem profanum adhibere, religioni erat; ille ignis erat novus, nulli usui adhuc applicitus ideoque ad sacrum ritum aptus. Monet *Calm.* hanc Iudaeorum religionem Ecclesiam imitari sabbato sancto novo igne accenso e silicis venis educto; item monet varias ignis sacri reparandi artes a veteribus esse excogitatas; restauratum esse speculo igniario, radiis vasis aenei, terebratione tabulae. Sacrificium obtulerunt *post biennium.* Haec temporis

designatio non potest esse sumpta a profanatione templi, quippe quae ante triennium facta fuerat (anno 145 1 Mach. 1,57; anno 148,4,52), neque hic dicitur post biennium a purgato templo; neque fas est tale quid supplere. Ergo remittimur ad annum 146 (cf. 1 Mach. 2,70) ex quo anno hoc biennium computatur.

Ut deprehendamus a quo termino biennium illud sumendum sit, apte monet Patritius oportere considerare ceteros libri locos, in quibus similis adhibeatur ratio definiendi tempus; sunt praeter hunc 4,23 et 14,1; « in utroque loco eadem haec verba leguntur : *post triennii autem tempus*, ita ut ea quae narrantur quis facile putet facta esse tribus annis post illa quae proxime narrata sunt; longe tamen secus rem se habere, ubi paululum attenderit, nullo negotio comperiet intelligetque in primo loco tempus designari, non ex quo Antiochus Epiphanes Hierosolymam venerat, sed ex quo Iason pontificatum gerebat, in altero autem tempus exactum, non post urbem Hierosolymam ab Antiocho Eupatore obsessam, sed post illud biennium, de quo nunc quaestio est. Quare cum istud *biennium* nequeat esse illud temporis spatium quod intercessit inter templum pollutum expiatumque, cumque nihil scriptor dicat quo nos cogat ita hoc biennium intelligere, cum denique constet huiusmodi designationibus temporum a libri scriptore nequaquam definiri spatium interiectum inter ea quae proxime narrat, concludimus biennii exordium aliunde ac a templi pollutione repetendum. Unde autem haud difficile est pervidere. Maior libri pars res Iudae Machabaei complectitur, hasque perstringere scriptor sibi propositum praecipue fuisse profitetur (2,20-23). Eae comprehenduntur spatio quinque annorum et octo circiter mensium... Earum autem rerum duae potissimae sunt atque omnium Iudae laudum quasi capita, sacrorum inquam instauratio, et Nicanor huiusque exercitus ad internecionem trucidatus ». Haec duo indicat scriptor adscripta nota annorum, quos Iudae exegerat in principatu; ita *Calm.* censuit : post biennium, quam Iudas populum moderabatur (item *Usser. Lap. Serarius, Salianus*). Incensum, altare incensi in sancto et sacrificium restitutum est (1 Mach. 4,49); item candelabrum illatum et lucernae accensae et panes propositionis iterum positi; illa enim instrumenta et mensam τῆς προθέσεως abstulerat Antiochus (1 Mach. 1,23). Corpore prostrati rogant ne Deus in posterum se tradant hominibus adeo barbaris, impiis, qui scil. tanto furore in sanctuarium, contra leges debacchentur et ad idololatriam adstringant. Hac in re exauditi sunt; nam talis persecutio qualem Antiochus fieri iusserat iam non in eos devoluta est. Ad v. 5 vide 1 Mach. 4,54. Festum dedicationis celebrarunt per octo dies secundum ritum festi

tabernaculorum; nunc scil. mense Casleu, decembri; ante modicum tempus, mense tischri (sept. — oct.) quo festum tabernaculum erat agendum, in misera conditione erant; θηρίων τρόπον cf. 5,27. Milites occupati utique erant in bello contra Lysiam (1 Mach. 4,28-35); verum multi ex plebe in montibus et speluncis refugium ac tutelam quaerebant.

Propter felicem rerum mutationem v. 7 sollemni pompa instituta Deum qui prosperum successum concesserat honorarunt; διό i. e. quia agere volebant dedicationis festum σκηνωμάτων τρόπον v. 6, propterea gerebant θύρσους, proprie est thyrsus baculus redimitus hedera et pampino, qui in honorem Bacchi gestabatur. Verum de tali signo hic cogitari nequit; ergo erit baculus, frondibus, ramis salicum, sertis murteis redimitus seu ornatus. Rem ita exhibet Iosephus : moris erat apud Iudaeos in Scenopegia, ut unusquisque haberet θύρσους ἐκ φοινίκων καὶ κιτρίων (ramos palmarum et citriorum, Ant. 13, 13,5). Gerebant κλάδους ὡραίους ramos pulchros, insuper palmas; cf. Lev. 23,40 : sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimos spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium. Ad v. 8 vide 1 Mach. 4, 59; ἐδογμάτισαν statuerunt legem, δόγμα decretum, edictum (Luc. 2,1). Adnectitur v. 9 τὰ μὲν τῆς... τελευτῆς, quia Antiochi historia concluditur et simul (μὲν) transitus ad sequentia indicatur. Bene quoque potest dedicatio templi referri ad τελευτήν, ad finem et obitum Antiochi, quamvis eo superstite facta sit; nam eius opus mortuum est et ipse ratione eius dici potest obiisse ante suam mortem atque hoc ipsum opus, quod vi et crudelitate adeo urgebat, causa erat eius τελευτῆς. Quare aptissime concluditur pars haec v. 9.

PARS ALTERA

GESTA SUB ANTIOCHO EUPATORE 10,10-15,40.

1. *Bellum contra Idumaeos* 10,10-23.

10,10. *Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio quae gesta sunt narrabimus, breviantes mala quae in bellis gesta sunt.* 11. *Hic enim suscepto regno constituit super negotia regni Lysiam quendam, Phoenicis et Syriae militiae principem.* 12. *Nam Ptolemaeus qui dicitur Macer, iusti tenax erga Iudaeos esse constituit, et praecipue propter iniquitatem quae facta erat in eos, et pacifice agere cum eis.* 13. *Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset et ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit.*

14. *Gorgias autem cum esset dux locorum, assumptis advenis frequenter Iudaeos debellabat.* 15. *Iudaei vero qui tenebant opportunas munitiones fugatos ab Ierosolymis sucipiebant et bellare tentabant.* 16. *Hi vero qui erant cum Machabaeo per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumaeorum;* 17. *multaque vi insistentes loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt.* 18. *Quidam autem cum confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes,* 19. *Machabaeus ad eorum expugnationem relicto Simone et*

10,10. Νυνὶ δὲ τὰ κατὰ τὸν Εὐπάτορα Ἀντίοχον, υἱὸν δὲ τοῦ ἀσεβοῦς γενόμενον δηλώσομεν αὐτὰ, συντέμνοντες τὰ συνέχοντα τῶν πολέμων κακά. 11. Οὗτος γὰρ παραλαβὼν τὴν βασιλείαν ἀνέδειξεν ἐπὶ τῶν πραγμάτων Λυσίαν τινὰ, Κοίλης δὲ Συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγὸν πρώταρχον.

12. Πτολεμαῖος γὰρ ὁ καλούμενος Μάκρων τὸ δίκαιον συντηρεῖν προηγούμενος εἰς τοὺς Ἰουδαίους διὰ τὴν γεγονυῖαν εἰς αὐτοὺς ἀδικίαν, ἐπειρᾶτο τὰ πρὸς αὐτοὺς εἰρηνικῶς διεξάγειν. 13. Ὅθεν κατηγορούμενος ὑπὸ τῶν φίλων πρὸς τὸν Εὐπάτορα, καὶ προδότης παρ' ἕκαστα ἀκούων διὰ τὸ τὴν Κύπρον ἐμπιστευθέντα ὑπὸ τοῦ Φιλομήτορος ἐκλιπεῖν καὶ πρὸς Ἀντίοχον τὸν Ἐπιφανῆ ἀναχωρῆσαι, μήτ' εὐγενῆ τὴν ἐξουσίαν ἔχων, ὑπ' ἀθυμίας φαρμακεύσας ἑαυτὸν ἐξέλιπε τὸν βίον.

14. Γοργίας δὲ γενόμενος στρατηγὸς τῶν τόπων ἐξενοτρόφει, καὶ παρ' ἕκαστα πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἐπολεμοτρόφει. 15. Ὁμοῦ δὲ τούτῳ καὶ οἱ Ἰδουμαῖοι ἐγκρατεῖς ἐπικαίρων ὀχυρωμάτων ὄντες, ἐγύμναζον τοὺς Ἰουδαίους, καὶ τοὺς φυγαδευθέντας ἀπὸ Ἱεροσολύμων προσλαβόμενοι πολεμοτροφεῖν ἐπεχείρουν. 16. Οἱ δὲ περὶ τὸν Μακκαβαῖον ποιησάμενοι λιτανείαν καὶ ἀξιώσαντες τὸν Θεὸν σύμμαχον αὐτοῖς γενέσθαι, ἐπὶ τὰ τῶν Ἰδουμαίων ὀχυρώματα ὥρμησαν· 17. οἷς καὶ προσβαλόντες εὐρώστως ἐγκρατεῖς ἐγένοντο τῶν τόπων, πάντας τε τοὺς ἐπὶ τῷ τείχει μαχομένους ἠμύναντο· κατέσφαζον δὲ τοὺς ἐμπίπτοντας, ἀνεῖλον δὲ οὐχ ἧττον τῶν δισμυρίων. 18. Συμφυγόντων δὲ οὐκ ἔλαττον τῶν ἐννακισχιλίων εἰς δύο πύργους ὀχυροὺς εὖ μάλα καὶ πάντα

Iosepho itemque Zachaeo eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas quae amplius perurgebant pugnas conversus est. 20. *Hi vero qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia, et septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere.* 21. *Cum autem Machabaeo nuntiatum esset quod factum est, principibus populi congregatis accusavit, quod pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis.* 22. *Hos igitur proditores factos interfecit et confestim duas turres occupavit.* 23. *Armis autem ac manibus omnia prospere agendo in duabus munitionibus plus quam viginti millia peremit.*

τὰ πρὸς πολιορκίαν ἔχοντας 19. ὁ Μακκαβαῖος εἰς ἐπείγοντας τόπους, ἀπολιπὼν Σίμωνα καὶ Ἰώσηφον, ἔτι δὲ καὶ Ζακχαῖον καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ἱκανοὺς πρὸς τὴν τούτων πολιορκίαν, αὐτὸς ἐχωρίσθη. 20. Οἱ δὲ περὶ τὸν Σίμωνα φιλαργυρήσαντες ὑπό τινων τῶν ἐν τοῖς πύργοις ἐπείσθησαν ἀργυρίῳ· ἑπτάκις δὲ μυρίας δραχμὰς λαβόντες εἴασάν τινας διαρρυῆναι. 21. Προσαγγελθέντος δὲ τῷ Μακκαβαίῳ περὶ τοῦ γεγονότος, συναγαγὼν τοὺς ἡγουμένους τοῦ λαοῦ κατηγόρησεν, ὡς ἀργυρίου πεπράκασι τοὺς ἀδελφοὺς, τοὺς πολεμίους κατ' αὐτῶν ἀπολύσαντες. 22. Τούτους μὲν οὖν προδότας γενομένους ἀπέκτεινε, καὶ παραχρῆμα τοὺς δύο πύργους κατελάβετο. 23. Τοῖς δὲ ὅπλοις τὰ πάντα ἐν ταῖς χερσὶν εὐοδούμενος, ἀπώλεσεν ἐν τοῖς δυσὶν ὀχυρώμασι πλείους τῶν δισμυρίων.

Inscriptione v. 10 ait auctor se iam ea exponere quae κατὰ τὸν Εὐπάτορα per tempus, vel circa tempus filii Antiochi gesta sunt. Quae vero in subsequentibus narrantur, minime omnia post obitum Antiochi Epiphanis acciderunt, sed plura acciderunt eo superstite et degente in regione orientali. Tempus itaque eius filii est intelligendum illud quoque ante obitum patris, quo Lysias iussus erat negotia regni administrare καὶ τρέφειν et nutrire Antiochum filium regis (1 Mach. 3,32. 33); pro quo tempore rex etiam filium suum Iudaeis commendaverat (cf. 9,25). Et cum ea gesta sint rege longe absente, Lysia autem tutore filii negotia tractante, merito iam referuntur ad tempus filii, eo magis quia rex ipse iam non rediit et quae eo absente incepta sunt, tandem ad exitum perducuntur rege filio eius. Syros ei nomen indidisse Eupatoris διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετήν, ait Appianus (Syr. 86), eodem teste novem annos natus erat, cum pater diem obiret (l. c. 66). Auctor tamen statim monet, se velle paucis comprehendere narrationem malorum quae bellis iuncta sunt; τὰ συνέχοντα πολέμων, bellis adhaerent (sim. S quoque); *Fr.* recepit ex libris fere omnibus τὰ συνέχοντα τῶν πολεμίων (Al, 19. 44. 52 al.) : mala quae bellatores retinent, quibus scil. illis non permittitur discedere, militiam deserere; quam lectionem *K.* approbat; sed merito cum vulg, S priorem secutus est *Ks.*

Hic, Eupator, declaravit ἀνέδειξεν (9,14) Lysiam regni administrum; dicitur παραλαβὼν τὴν βασιλείαν, nam patre absente filius regnare dici poterat et existimari; vel ordine temporis non servato indicat auctor etiam mortuo rege Lysiam a filio administrum regni esse agnitum et declaratum. Hoc certum est, rege longe absente, Lysiam et filium re-

gis negotia gerere a Iudaeis esse existimatum; quare in v. 11 opinio popularis exprimitur secundum communem loquendi modum; Λυσίαν τινά non sine aliquo contemptu; nam 11,1. 35 Lysiae dignitatem et munera haud ignorat auctor. Declaratur idem στρατηγὸς πρώταρχος dux primarius duarum provinciarum, de quibus toties inter reges Aegypti et Asiae, inter Ptolemaeos et Seleucidas, decertatum est. Cur etiam hisce provinciis praefectus sit, declaratur v. 12; Ptolemaeus enim, qui dux erat earum provinciarum 8,8, sumpto veneno excesserat e vita. Indoles viri describitur iusta et benigna erga Iudaeos; προηγούμενος qui in iustitia erga eos servanda praeibat, reliquis tale dedit exemplum, (καὶ) ἐπειρᾶτο et studebat res eorum pacifice componere. Sed propterea accusatus est ab amicis regis, ab aulicis et familiaribus, apud regem; insuper παρ' ἕκαστα, nullo non loco, omni occasione, proditoris nomine diffamabatur, ἀκούων uti latinum audire : audit proditor, existimatur proditor, quia praefecturam Cypri quae ei a Ptolemaeo Philometore concredita erat (cf. Polyb. 27,12) reliquerat et ad Antiochi Nobilis partes transierat. Cum itaque potestatem suam, seu munus, non cum honore possideret, desperatione actus, ὑπ' ἀθυμίας ex animi deiectione veneno sumpto vitam finivit. Lectio fertur varia; *Fr.* μήτ' εὐγενῆ τὴν ἐξουσίαν εὐγενίσας, φαρμακεύσας ἑαυτόν cum nobilem potestatem non nobilitaret (?); S : propterea non erat ei magnitudo et honor in regno; et cum videret haec omni sibi contigisse, reliquit vitam veneno.

Cum autem Gorgias factus esset dux στρατηγὸς, sub Lysia, duce primario v. 11, — unde Gorgias proprie erat ἐπιστράτηγος (1 Mach. 15,38, seu ὑποστράτηγος) — copias peregrinas collegit, aluit, ἐξενοτρόφει, et omni modo bellum contra Iudaeos fovit. Ut ille, ita *Idumaei* quoque (ita graece, S), qui opportunas arces possidebant, vexabant Iudaeos, ἐγύμναζον, et fugitivos ab Ierusalem suscipiebant, desertores scil. et impios Iudaeos, quos Machabeus consistere non sinebat (cf. 1 Mach. 3,5. 8). De pugnis cum Idumaeis refertur quoque 1 Mach. 5,3. 65. Implorato auxilio divino v. 16 aggressi sunt Iudaei munitiones, ὥρμησαν contra eas cum impetu processerunt, et admodum valide oppugnantes loca occuparunt, v. 17 omnes qui in muro pugnabant propulsarunt, qui in eorum manus inciderunt, occiderunt; peremerunt autem non minus quam viginti millia. In vulg. hic et in v. 18 unum alterumve membrum omissum est. Ex arce autem non minus quam novem millia elapsi fugerunt in duas turres, πύργους, in tanto numero potius castella cogitabis; erant instructa duo ista castella omnibus ad sustinendam oppugnationem necessariis. Ad oppugnationem reliquit Machabaeus tres duces, fratres suos Simonem et Iosephum, et insuper Zachaeum cum manu militum sufficiente; ipse recessit εἰς ἐπείγοντας

τόπους ad loca urgentia i. e. quae eius praesentiam opemque maxime expetebant, in quibus eius praesentia maxime erat necessaria. De Iosepho cf. 8,22. In v. 18 vulg solum *quidam;* S uti graece : novem millia.

Aliqui ex comitibus Simonis multa pecunia corrupti dimiserunt aliquos effugere acceptis septuaginta millibus drachmarum. Quod cum Machabaeo nuntiatum esset, convocavit duces; iudicium militare instituit, accusans eos, quod pecunia vendidissent fratres; nam eo quod hostes dimiserunt, efficient, ut isti iterum Iudaeos aggrediantur, occidant. Proditores hi fratrum morte puniti sunt. Machabaeus armis omnia commissa sibi ad prosperum successum perducebat; πάντα ἐν ταῖς χερσίν omnia quae eius administrationi commissa erant, cuncta quae ipse gerenda suscepit, quae quasi in manibus habebat. In duabus munitionibus plus quam viginti millia perierunt (cf. v. 15. 17).

2. *Timotheus vincitur* 10,24-38.

10,24. *At Timotheus qui prius a Iudaeis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinae multitudinis et congregato equitatu Asiano advenit quasi armis Iudaeam capturus.* 25. *Machabaeus autem et qui cum ipso erant appropinquante illo deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes lumbosque ciliciis praecincti,* 26. *ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, et adversariis adversaretur, sicut lex dicit.* 27. *Et ita post orationem sumptis armis longius de civitate procedentes et proximi hostibus effecti resederunt.* 28. *Primo autem solis ortu utrique commiserunt; isti quidem victoriae et prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes, illi autem ducem belli animum habebant.* 29. *Sed cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de coelo viri quinque in equis frenis aureis decori ducatum Iudaeis praestantes,* 30. *ex quibus duo Machabaeum medium habentes armis suis circumseptum incolumem conservabant; in adversarios autem tela et fulmina iaciebant, ex quo et caecitate*

10,24. Τιμόθεος δὲ ὁ πρότερον ἡττηθεὶς ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων συναγαγὼν ξένας δυνάμεις παμπληθεῖς καὶ τοὺς τῆς Ἀσίας γενομένους ἵππους συναθροίσας οὐκ ὀλίγους παρῆν ὡς δοριάλωτον ληψόμενος τὴν Ἰουδαίαν. 25. Οἱ δὲ περὶ τὸν Μακκαβαῖον συνεγγίζοντος αὐτοῦ πρὸς ἱκετείαν τοῦ Θεοῦ γῇ τὰς κεφαλὰς καταπάσαντες, καὶ τὰς ὀσφύας σάκκοις ζώσαντες, 26. ἐπὶ τὴν ἀπέναντι τοῦ θυσιαστηρίου κρηπῖδα προςπεσόντες, ἠξίουν ἵλεων αὐτοῖς γενόμενον, ἐχθρεῦσαι τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν καὶ ἀντικεῖσθαι τοῖς ἀντικειμένοις, καθὼς ὁ νόμος διασαφεῖ. 27. Γενόμενοι δὲ ἀπὸ τῆς δεήσεως, ἀναλαβόντες τὰ ὅπλα προῆγον ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ πλεῖον· συνεγγίσαντες δὲ τοῖς πολεμίοις ἐφ' ἑαυτῶν ἦσαν. 28. Ἄρτι δὲ τῆς ἀνατολῆς διαχεομένης προςέβαλον ἑκάτεροι, οἱ μὲν ἔγγυον ἔχοντες εὐημερίας καὶ νικῆς μετ' ἀρετῆς τὴν ἐπὶ τὸν Κύριον καταφυγήν, οἱ δὲ καθηγεμόνα τῶν ἀγώνων ταττόμενοι τὸν θυμόν. 29. Γενομένης δὲ καρτερᾶς μάχης ἐφάνησαν τοῖς ὑπεναντίοις ἐξ οὐρανοῦ ἐφ' ἵππων χρυσοχαλίνων ἄνδρες πέντε διαπρεπεῖς καὶ ἀφηγούμενοι τῶν Ἰουδαίων 30. οἱ δύο καὶ τὸν Μακκαβαῖον μέσον λαβόντες καὶ σκεπάζοντες ταῖς ἑαυτῶν πανοπλίαις ἄτρωτον διεφύλαττον, εἰς δὲ τοὺς ὑπεναντίους τοξεύματα καὶ κεραυνοὺς ἐξερρίπτουν· διὸ συγχυθέντες ἀο-

confusi et repleti perturbatione cadebant. 31. *Interfecti sunt autem viginti millia quingenti et equites sexcenti.*

32. *Timotheus vero confugit in Gazaram praesidium munitum, cui praeerat Chaereas.* 33. *Machabaeus autem et qui cum eo erant laetantes obsederunt praesidium diebus quattuor.* 34. *At hi qui intus erant loci firmitate confisi supra modum maledicebant et sermones nefandos iactabant.* 35. *Sed cum dies quinta illucesceret, viginti iuvenes ex his qui cum Machabaeo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum et feroci animo incedentes ascendebant.* 36. *Sed et alii similiter ascendentes turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare.*

37. *Per continuum autem biduum praesidio vastato Timotheum occultantem se in quodam repertum loco peremerunt, et fratrem illius Chaeream et Apollophanem occiderunt.* 38. *Quibus gestis in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum qui magna fecit in Israel et victoriam dedit illis.*

ρασίᾳ κατεκόπτοντο ταραχῆς πεπληρωμένοι. 31. Κατεσφάγησαν δὲ δισμύριοι πρὸς τοῖς πεντακοσίοις, ἱππεῖς δὲ ἑξακόσιοι.

32. Αὐτὸς δὲ ὁ Τιμόθεος συνέφυγεν εἰς Γάζαρα λεγόμενον ὀχύρωμα, εὖ μάλα φρούριον, στρατηγοῦντος ἐκεῖ Χαιρέου. 33. Οἱ δὲ περὶ τὸν Μακκαβαῖον ἄσμενοι περιεκάθισαν τὸ φρούριον ἡμέρας τέσσαρας. 34. Οἱ δὲ ἔνδον τῇ ἐρυμνότητι τοῦ τόπου πεποιθότες ὑπεράγαν ἐβλασφήμουν καὶ λόγους ἀθεμίτους προΐεντο. 35. Ὑποφαινούσης δὲ τῆς πέμπτης ἡμέρας εἴκοσι νεανίαι τῶν περὶ τὸν Μακκαβαῖον πυρωθέντες τοῖς θυμοῖς διὰ τὰς βλασφημίας, προσβαλόντες τῷ τείχει ἀρρενωδῶς καὶ θηριώδει θυμῷ τὸν ἐμπίπτοντα ἔκοπτον. 36. Ἕτεροι δὲ ὁμοίως προσαναβάντες ἐν τῷ περισπασμῷ πρὸς τοὺς ἔνδον ἐνεπίμπρων τοὺς πύργους, καὶ πυρὰς ἀνάπτοντες ζῶντας τοὺς βλασφήμους κατέκαιον· οἱ δὲ τὰς πύλας διέκοπτον, εἰσδεξάμενοι δὲ τὴν λοιπὴν τάξιν προκατελάβοντο τὴν πόλιν·

37. Καὶ τὸν Τιμόθεον ἀποκεκρυμμένον ἔν τινι λάκκῳ κατέσφαξαν, καὶ τὸν τούτου ἀδελφὸν Χαιρέαν καὶ τὸν Ἀπολλοφάνη. 38. Ταῦτα δὲ διαπραξάμενοι μεθ' ὕμνων καὶ ἐξομολογήσεων εὐλόγουν τῷ Κυρίῳ τῷ μεγάλως εὐεργετοῦντι τὸν Ἰσραὴλ καὶ τὸ νῖκος αὐτοῖς διδόντι.

Narratio instituitur de Timotheo, qui iam antea 8,30 a Iudaeis erat devictus et qui in praesidio cui Gazara nomen interfectus est (10,37). Ergo alius est a Timotheo 12,2; neque quae hic narrantur eadem sunt cum iis quae 1 Mach. 5,6 seq. commemorantur, quamvis ibi quoque Timotheus dux exercitus nominetur (6,11). Ibi enim res agitur in regione transiordanica, hic vero in Iudaea. Timotheus ille qui in Galaad erat dux est idem ille, de quo 2 Mach. 12,2 sermo fit. Timotheus autem prius a Iudaeis victus (8,30) qui hic bellum gerit in Iudaea et in praesidio interficitur agnosci debet Timotheus alter (cf. *Patr.* p. 159). Plane enim gratuito *Gr. K.* contendunt, eundem Timotheum qui hic ex falsa traditione dicatur occisus iterum superstitem describi 12,2. Censet *Gr.* Iasonem sine ulla arte critica ex diversis fontibus contradictoria retulisse. Attamen absurdum videtur rerum scriptorem adeo hebetem et negligentem esse, ut quem modo dixerat occisum, mox vivum et agentem faciat. Falso quoque *Gr.* assumit errorem, pugnam hic fieri in Iudaea, quae 1 Mach. 5,6-8

descripta sit apud Ammonitas. Verum praeter nomina regionis (transivit ad filios Ammon — reversus est in Iudaeam 1 Mach. 5,6. 8) ipsa quoque oppida diversa sunt : Iazer (graece, S 5,8), Gazara. Quare ex ipso textu narrationum duo diversi eventus declarantur; id quod retinendum est, cum nulla reperiatur ratio cur negemus ita factum esse, uti refertur.

Timotheus exercitum collegit ex alienis gentibus et ex equitibus qui ex Asia advenerant; Asiam intelligunt Asiam superiorem, Mediam, nutricem equorum (*Gr. K.*); alii Mysiam, Lydiam, Cariam — haec est Asia apud Romanos — etsi enim hae provinciae iam non essent regno Seleucidarum subiectae, tamen ex iis mercenarii milites conduci poterant; δορυάλωτον cf. 5,11 vi hastae quod captum est. Iudaei Domini opem efflagitantes habitum induunt lugentium ac plorantium peccata : capita terra, cinere conspergunt, vestes asperas, cilicinas induunt, et ante altare, ἐπὶ τὴν κρηπῖδα super basin quae erat ante altare, procidentes rogant v. 26, ut Dominus affligat affligentes (Ex. 23,22 vulg.); alluditur ad LXX Ex. 23,22 ἀντικείσομαι τοῖς ἀντικειμένοις σοι; ad hanc promissionem provocant. Oratione facta v. 27 progrediuntur, ἐφ' ἑαυτῶν ἦσαν apud se erant i. e. manserunt soli; nondum cum hostibus congressi sunt, substiterunt, vulg. *resederunt*, S : quieverunt (et dein addit litteralem versionem graeci textus). Summo mane τῆς ἀνατολῆς διαχεομένης (A, 19. 44. 52. 55 al.) cum ortus i. e. lux ortus, lux solis diffunderetur, vulgo διαδεχομένης cum ortus successisset (scil. post noctem). Quaesito generi dicendi prius magis consonat. Quam diverso animo utrique pugnam susceperint, declaratur. Iudaei quidem vadem ac sponsorem prosperitatis et victoriae habent refugium quo ad Deum confugerunt, ergo ipsum Deum, ad quem confugerunt; illi autem constituerunt sibi ducem pugnae τὸν θυμόν, animo, furori suo tamquam duci confidentes se committunt.

Et quali virtute (cf. μετ' ἀρετῆς v. 28) Deus sit eorum refugium, exponitur v. 29 apparitione illa quinque equitum equis frenis aureis instructis insidentium ἐφ' ἵππων χρυσοχαλίνων, ipsi equites διαπρεπεῖς eximii, decori perhibentur, qui in agmine Iudaeorum, in prima acie, in fronte incedentes Iudaeis ducatum praebent. Id erit de tribus intelligendum, si textus vulg retinetur : duo enim medium habent Machabaeum, eum armis tegunt, invulnerabilem reddunt. Secundum textum graecum duo praebent ducatum Iudaeis et Machabaeum medium habent; quid alii tres? nihil de iis dicitur. Illud δύο non habet S et plures minusc.; *Gr.* legi vult οἱ qui etiam Machabaeum medium habentes (om. δύο), ita ut de omnibus quinque enuntietur et ducatus Iudaeis praestitus et protectio Iudae. Cum angeli illi tutores in hostes

proiicerent tela et fulmina, isti *caecitate confusi*, scil. fulgoribus illis eorum oculi erant praestricti; quare facile concidebantur v. 30. Timotheus ipse fugit in Gazara, quod appellatur praesidium ὀχύρωμα, castellum firmum, in quo Chaereas dux erat. Gazara, cum addatur λεγόμενον ὀχύρωμα et describatur φρούριον castellum, censet *K.* non posse esse urbem eiusdem nominis quae saepius commemoratur 1 Mach. 4,15; 7,45; 9,52; 13,54; 15,28. 35; 16,1 etc. Sed haec urbs erat ὀχύρωμα, neque 1 Mach. 9,52 id effertur urbem tum demum fieri munitionem, sed solum enuntiatur magis a Bacchide esse munitam; in ipsa urbe poterat esse arx seu castellum, in quod Timotheus se receperit. Unde non clarum est, de alio oppido esse cogitandum.

Laeti de victoria reportata etiam castellum illud obsederunt per dies quattuor, dum obsessi male fidentes blasphemias et contumelias in obsidentes iactabant v. 33. 34. Die quinto ab oppugnatione incepta fortitudine virili impetum fecerunt in murum et θυμῷ θηριώδει animo quasi leonis (ferae) ferocitate repleto quicumque obvius erat conciderunt iuvenes viginti. Alii quoque similiter ascendentes in alia castelli parte ad eos qui intra erant, incenderunt turres et rogis accensis combusserunt blasphemos; alii portas conciderunt et reliquam militiam intromittentes urbe potiti sunt; v. 36. Ita graece; sim. S. Timotheus se absconderat ἔν τινι λάκκῳ, in quadam cisterna (sim. S); quem occiderunt simul cum eius fratre Chaerea et Apollophane. Hisce peractis Deo debitas persolverunt laudes; ἐξομολογήσεις confessiones i. e. cantica laudis, uti saepius in s. litteris.

3. *Clades Lysiae illata* 11,1-12.

11,1. *Sed parvo post tempore Lysias procurator regis et propinquus ac negotiorum praepositus, graviter ferens de his quae acciderant,* 2. *congregatis octoginta millibus et equitatu universo veniebat adversus Iudaeos existimans se civitatem quidem captam gentibus habitaculum facturum;* 3. *templum vero in pecuniae quaestum, sicut cetera delubra gentium, habiturum et per singulos annos venale sacerdotium;* 4. *nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrenatus in multitudine peditum et in millibus equitum et in octoginta elephantis confidebat.* 5. *Ingressus autem*

11,1. Μετ' ὀλίγον δὲ παντελῶς χρόνον Λυσίας ἐπίτροπος τοῦ βασιλέως καὶ συγγενὴς καὶ ἐπὶ τῶν πραγμάτων, λίαν βαρέως φέρων ἐπὶ τοῖς γεγονόσι, 2. συναθροίσας περὶ τὰς ὀκτὼ μυριάδας καὶ τὴν ἵππον πᾶσαν παρεγένετο ἐπὶ τοὺς Ἰουδαίους, λογιζόμενος τὴν μὲν πόλιν Ἕλλησιν οἰκητήριον ποιήσειν, 3. τὸ δὲ ἱερὸν ἀργυρολόγητον, καθὼς τὰ λοιπὰ τῶν ἐθνῶν τεμένη, πρατὴν δὲ τὴν ἀρχιερωσύνην κατ' ἔτος ποιήσειν, 4. οὐδαμῶς ἐπιλογιζόμενος τὸ τοῦ Θεοῦ κράτος, πεφρενωμένος δὲ ταῖς μυριάσι τῶν πεζῶν καὶ ταῖς χιλιάσι τῶν ἱππέων καὶ τοῖς ἐλέφασι τοῖς ὀγδοήκοντα. 5. Εἰςελθὼν δὲ εἰς τὴν Ἰουδαίαν καὶ συνεγγίσας Βαιθσούρᾳ, ὄντι μὲν ἐρυμνῷ χωρίῳ,

Iudaeam et appropians Bethsurae, quae erat in angusto loco ab Ierosolyma intervallo quinque stadiorum, illud praesidium expugnabat.

6. *Ut autem Machabaeus et qui cum eo erant cognoverunt expugnari praesidia, cum fletu et lacrimis rogabant Dominum et omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel.* 7. *Et ipse primus Machabaeus sumptis armis ceteros adhortatus est simul secum periculum subire et ferre auxilium fratribus suis.* 8. *Cumque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit praecedens eos eques in veste candida armis aureis hastam vibrans.* 9. *Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum et convaluerunt animis, non solum homines sed et bestias ferocissimas et muros ferreos parati penetrare.* 10. *Ibant igitur prompti de coelo habentes adiutorem et miserantem super eos Dominum.* 11. *Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum et equitum mille sexcentos,* 12. *universos autem in fugam verterunt; plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed et ipse Lysias turpiter fugiens evasit.*

ἀπὸ δὲ Ἱεροσολύμων ἀπέχοντι ὡσεὶ σταδίους πέντε, τοῦτο ἔθλιβεν.

6. Ὡς δὲ μετέλαβον οἱ περὶ τὸν Μακκαβαῖον πολιορκοῦντα αὐτὸν τὰ ὀχυρώματα, μετ' ὀδυρμῶν καὶ δακρύων ἱκέτευον σὺν τοῖς ὄχλοις τὸν Κύριον, ἀγαθὸν ἄγγελον ἀποστεῖλαι πρὸς σωτηρίαν τῷ Ἰσραήλ. 7. Αὐτὸς δὲ πρῶτος ὁ Μακκαβαῖος ἀναλαβὼν τὰ ὅπλα προετρέψατο τοὺς ἄλλους ἅμα αὐτῷ διακινδυνεύοντας ἐπιβοηθεῖν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτῶν. 8. Ὁμοῦ δὲ καὶ προθύμως ἐξώρμησαν. αὐτόθι δὲ καὶ πρὸς τοῖς Ἱεροσολύμοις ὄντων, ἐφάνη προηγούμενος αὐτῶν ἔφιππος ἐν λευκῇ ἐσθῆτι, πανοπλίαν χρυσῆν κραδαίνων. 9. Ὁμοῦ δὲ πάντες εὐλόγησαν τὸν ἐλεήμονα Θεὸν καὶ ἐπερρώσθησαν ταῖς ψυχαῖς, οὐ μόνον ἀνθρώπους ἀλλὰ καὶ θῆρας τοὺς ἀγριωτάτους καὶ σιδηρᾶ τείχη τιτρώσκειν ὄντες ἕτοιμοι· 10. προῄγον ἐν διασκευῇ τὸν ἀπ' οὐρανοῦ σύμμαχον ἔχοντες, ἐλεήσαντος αὐτοὺς τοῦ Κυρίου. 11. Λεοντηδὸν δὲ ἐντινάξαντες εἰς τοὺς πολεμίους, κατέστρωσαν αὐτῶν χιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις, ἱππεῖς δὲ ἑξακοσίους πρὸς τοῖς χιλίοις, 12. τοὺς δὲ πάντας ἠνάγκασαν φυγεῖν· οἱ πλείονες δὲ αὐτῶν τραυματίαι γυμνοὶ διεσώθησαν, καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Λυσίας αἰσχρῶς φεύγων διεσώθη.

Haec expeditio Lysiae, quae parvo post tempore, παντελῶς parvo intervallo res modo narratas subsecuta est, ipsa illa est, cuius quidem consilium in primo libro enuntiatur, neque tamen eventus narratur. Nam Lysias prima vice victus *abiit Antiochiam et elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Iudaeam* (1 Mach. 4,35). Quod hisce indicatur, narratur in hoc nostro loco gestum. Venit cum maioribus copiis, cum octoginta millibus, cum in prima expeditione sexaginta millia adduxisset (1 Mach. 4,28). Ipso quoque tempore cui haec expeditio attribuitur manifestum evadit expeditionem illam narrari, quae in priore libro erat indicata. Nam ponitur post sanctuarium expiatum (10,1 seq.), et aliquo tempore post certamina, quae gesta sunt eodem tempore quod habetur 1 Mach. 5,3. Quibus simul patet hanc expeditionem non esse eandem de qua 1 Mach. 4,28-35 refertur: nam et numero militum et tempore differt; neque esse eandem, de qua 1 Mach. 6,28-63 et 2 Mach. 13 narratur.

Tres itaque expeditiones Lysiae hac textuum temporumque collatione facta statuuntur. Scio equidem multos duas solum assumere. Et ii quidem hanc vel eandem esse quae 1 Mach. 6 narretur, aut eandem quae 1 Mach. 4,25. Qui prius asserunt, dicunt eandem expeditionem in nostro libro bis narrari, semel in cap. 11, iterum in cap. 13 (*Grotius, Ewald,* Geschichte Israels IV p. 415, et probabile id censet *Gr.*); alii qui primam expeditionem describi censent, simul cum illa varias afferri res et conditiones contendunt, quae perperam desumptae sint ex secunda expeditione et traditione populari immutatae et inter se permixtae. Sed utrique ab obvio verborum sensu recedunt, discrimen temporis negligunt. Haec si attendantur, illa expeditio erit agnoscenda, de qua 1 Mach. 4,35 indicium certum affertur. Non video, cur talia rerum vestigia negligantur et auctor erroris arguatur.

Lysias, procurator ἐπίτροπος regis, cf. 1 Mach. 3,32; συγγενής titulus est dignitatis (cf. 1 Mach. 3,32) *graviter ferens* (cf. 7,39) eo magis valet, si clades eius 1 Mach. 4,34 respicitur et prospera certamina Machabaei quae partim 1 Mach. 5,1-8 et 2 Mach. 10 narrantur. Uti 1 Mach. 4,35 dicitur, revera multiplicatis militibus Iudaeam aggreditur v. 2; urbem Ierusalem oppressis Iudaeis habitandam tradere vult Graecis, sicuti rex ei mandaverat : ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum (1 Mach. 3,36); templum quoque tributarium facere ἀργυρολόγητον, pro quo scil. tributum seu vectigal persolvatur, ut ea quoque ratione delubris gentium aequipararetur. Antea enim reges dona templo contulerunt (3,3); postea iterum eiusmodi promittuntur (1 Mach. 10,31. 40); etiam sacerdotium, pontificatum singulis annis pecunia acquirendum esse voluit, ut suae consuleret avaritiae. Verum in his consiliis capiendis v. 4 nullatenus adiunxit considerationem de Dei potestate; in v. 2 λογιζόμενος, nunc ἐπιλογιζόμενος scil. quid ad priorem considerationem adiungendum fuisset; verum unice fiduciam suam posuit in numero et virtute exercitus; numerus octoginta (om. S) elephantorum nimius videtur et ad mendum referendus; 13,2 solum viginti duo recensentur. In exercitu Antiochi Magni septuaginta millium etiam solum viginti duo elephanti numerabantur (App. Syr. 32). Alias utique et maior numerus proditus est; ita in exercitu Poenorum adversus Regulum centum fuisse scribit Polybius (1,32,9), item centum habuisse in bello Africo Hannonem (1,74,3).

Bethsura dicitur esse locus munitus (graece); nam post primam expeditionem Lysiae oppidum a Iuda munitum est (1 Mach. 4,61); in prima expeditione etiam castra posuit Lysias ad Bethsuram (4,29;

graece); unde cum nunc tamquam locus munitus commemoretur, iterum habetur indicium pro expeditione altera post illam primam. Quod dicitur Bethsuram abesse ab urbe intervallo quinque stadiorum, mendum est apertum; ceterum lectiones variant : σχοίνους (A, 106, i. e. 150 stadia), ὡς σταδίους πεντακοσίους, imo πέντε πρὸς τοῖς μυρίοις 19. 62. 93. 23. 55. S; Eusebius et Hieronymus aiunt Bethsuram Hierosolyma versus meridiem distare viginti millia passuum; quae distantia fere consonat cum lectione πέντε σχοίνους. Non idem ubique schoeni modus erat; Plinius : schoenus, inquit, patet Eratosthenis ratione stadia 40, aliqui 32 stadia singulis schoenis dedere (12,14,30); si hanc alteram mensuram accipiamus, quinque schoeni erunt stadia 160, quae sunt 20 millia passuum (*Patrit.* p. 263). Lysias Bethsuram oppugnavit, ἔθλιβεν (vexavit, afflixit); non (ut vulg habet) expugnavit.

Inde rumor ortus est Lysiam oppugnare πολιορκοῦντα praesidia; quare Iudaei magno fervore Domini opem efflagitarunt v. 6, ut mitteret angelum protectorem Israeli ad salutem. Ipse Machabaeus exhortatione omnibus animos addidit v. 7; et prompte et alacriter progressi sunt, ὥρμησαν. Ibi autem, nempe cum prope Ierusalem essent, apparuit iis eques in veste candida (cf. Marc. 16,5) iis praebens ducatum προηγούμενος αὐτῶν, armaturam auream vibrans. Qua apparitione ad Dei laudes excitati et maximo animorum robore impleti sunt, ita ut prompti ac parati essent nedum homines, verum etiam bestias ferocissimas et muros ferreos prosternere, τιτρώσκειν vulnerare, per zeugma refertur ad muros. Alacres procedebant ἐν διασκευῇ acie instructa, apparatu bellico v. 10, habentes ex Dei misericordia socium pugnae et adiutorem coelestem. Quare λεοντηδὸν quasi leones irruebant maxima audacia in hostes; quos gladiis non prostraverunt, in fugam coniecerunt; plerique vulnerati γυμνοὶ abiectis armis. Ipse quoque Lysias turpi fuga vitam servavit. Ita consilia eius (v. 2. 3) irrita facta sunt.

4. *Quattuor documenta pacis* 11,13-38.

11,13. *Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans factam erga se diminutionem et intelligens invictos esse Hebraeos omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos,* 14. *promisitque se consensurum omnibus quae iusta sunt et regem compulsurum amicum fieri.* 15. *Annuit autem Machabaeus precibus Lysiae in omnibus utilitati*

11,13. Οὐκ ἄνους δὲ ὑπάρχων, πρὸς ἑαυτὸν ἀντιβάλλων τὸ γεγονὸς περὶ ἑαυτὸν ἐλάσσωμα, καὶ συννοήσας ἀνικήτους εἶναι τοὺς Ἑβραίους τοῦ πάντα δυναμένου Θεοῦ συμμαχοῦντος αὐτοῖς, προςαποστείλας, 14. ἔπεισε συλλύεσθαι ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαίοις, καὶ διότι καὶ τὸν βασιλέα (πείσειν) φίλον αὐτοῖς ἀναγκάζειν γενέσθαι. 15. Ἐπένευσε δὲ ὁ Μακκαβαῖος ἐπὶ πᾶσιν οἷς ὁ Λυσίας παρεκάλει, τοῦ συμφέ-

consulens, et quaecumque Machabaeus scripsit Lysiae de Iudaeis, ea rex concessit. 16. Nam erant scriptae Iudaeis epistolae a Lysia quidem hunc modum continentes :

Lysias populo Iudaeorum salutem. 17. Ioannes et Abesalom qui missi fuerant a vobis tradentes scripta postulabant ut ea quae per illos significabantur implerem. 18. Quaecumque igitur regi potuerunt perferri exposui, et quae res permittebat concessit. 19. Si igitur in negotiis fidem conservaveritis, et deinceps bonorum vobis causa esse tentabo. 20. De ceteris autem per singula verbo mandavi et istis et his qui a me missi sunt, colloqui vobiscum. 21. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, mensis Dioscori die vigesima et quarta.

22. Regis autem epistola ista continebat :

Rex Antiochus Lysiae fratri salutem.

23. Patre nostro inter deos translato nos volentes eos qui sunt in regno nostro sine tumultu agere et rebus suis adhibere diligentiam, 24. audivimus Iudaeos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Graecorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua. 25. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes iudicavimus templum restitui illis, ut agerent secundum suorum maiorum consuetudinem. 26. Bene igitur feceris, si miseris ad eos et dextram dederis, ut cognita nostra voluntate bono animo sint et utilitatibus propriis deserviant.

27. Ad Iudaeos vero regis epistola talis erat :

Rex Antiochus senatui Iudaeorum et ceteris Iudaeis salutem.

28. Si valetis, sic estis ut volumus; sed et ipsi bene valemus. 29. Adiit nos Menelaus dicens velle vos descendere ad vestros qui sunt apud nos. 30. His igitur qui commeant usque ad diem trige-

ροντος φροντίζων· ὅσα γὰρ ὁ Μακκαβαῖος ἐπέδωκε τῷ Λυσίᾳ διὰ γραπτῶν περὶ τῶν Ἰουδαίων, συνεχώρησεν ὁ βασιλεύς. 16. Ἦσαν γὰρ αἱ γεγραμμέναι τοῖς Ἰουδαίοις ἐπιστολαὶ παρὰ μὲν Λυσίου περιέχουσαι τὸν τρόπον τοῦτον.

Λυσίας τῷ πλήθει τῶν Ἰουδαίων χαίρειν.

17. Ἰωάννης καὶ Ἀβεσσαλὼμ οἱ πεμφθέντες παρ' ὑμῖν ἐπιδόντες τὸν ὑπογεγραμμένον χρηματισμὸν, ἠξίουν περὶ τῶν δι' αὐτοῦ σημαινομένων. 18. Ὅσα μὲν οὖν ἔδει καὶ τῷ βασιλεῖ προσενεχθῆναι διεσάφησα, ἃ δὲ ἦν ἐνδεχόμενα συνεχώρησεν. 19. Ἐὰν μὲν οὖν συντηρήσητε τὴν εἰς τὰ πράγματα εὔνοιαν, καὶ εἰς τὸ λοιπὸν πειράσομαι παραίτιος ὑμῖν ἀγαθῶν γενέσθαι. 20. Ὑπὲρ δὲ τῶν κατὰ μέρος ἐντέταλμαι τούτοις τε καὶ τοῖς παρ' ἐμοῦ διαλεχθῆναι ὑμῖν. 21. Ἔρρωσθε. Ἔτους ἑκατοστοῦ τεσσαρακοστοῦ ὀγδόου, Διοσκορινθίου εἰκοστῇ τετάρτῃ.

22. Ἡ δὲ τοῦ βασιλέως ἐπιστολὴ περιεῖχεν οὕτως·

Βασιλεὺς Ἀντίοχος τῷ ἀδελφῷ Λυσίᾳ χαίρειν.

23. Τοῦ πατρὸς ἡμῶν εἰς θεοὺς μεταστάντος βουλόμενοι τοὺς ἐκ τῆς βασιλείας ἀταράχους ὄντας γενέσθαι πρὸς τὴν τῶν ἰδίων ἐπιμέλειαν, 24. ἀκηκοότες τοὺς Ἰουδαίους μὴ συνευδοκοῦντας τῇ τοῦ πατρὸς ἐπὶ τὰ Ἑλληνικὰ μεταθέσει, ἀλλὰ τὴν ἑαυτῶν ἀγωγὴν αἱρετίζοντας, ἀξιοῦντας συγχωρηθῆναι αὐτοῖς τὰ νόμιμα· 25. αἱρούμενοι οὖν καὶ τοῦτο τὸ ἔθνος ἐκτὸς ταραχῆς εἶναι, κρίνομεν τό τε ἱερὸν αὐτοῖς ἀποκατασταθῆναι καὶ πολιτεύεσθαι κατὰ τὰ ἐπὶ τῶν προγόνων αὐτῶν ἔθη. 26. Εὖ οὖν ποιήσεις διαπεμψάμενος πρὸς αὐτοὺς καὶ δοὺς δεξιὰς, ὅπως εἰδότες τὴν ἡμετέραν προαίρεσιν εὔθυμοί τε ὦσι καὶ ἡδέως διαγίνωνται πρὸς τὴν τῶν ἰδίων ἀντίληψιν.

27. Πρὸς δὲ τὸ ἔθνος ἡ τοῦ βασιλέως ἐπιστολὴ τοιαύτη ἦν·

Βασιλεὺς Ἀντίοχος τῇ γερουσίᾳ τῶν Ἰουδαίων καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰουδαίοις χαίρειν.

28. Εἰ ἔρρωσθε, εἴη ἂν ὡς βουλόμεθα· καὶ αὐτοὶ δὲ ὑγιαίνομεν. 29. Ἐνεφάνισεν ἡμῖν Μενέλαος βούλεσθαι κατελθόντας ὑμᾶς γίνεσθαι πρὸς τοῖς ἰδίοις. 30. Τοῖς οὖν καταπορευομένοις μέχρι τριακάδος Ξανθικοῦ ὑπάρξει δεξιὰ

simum mensis Xanthici, damus dextras securitatis, 31. *ut Iudaei utantur cibis et legibus suis, sicut et prius; et nemo eorum ullo modo molestiam patiatur de his quae per ignorantiam gesta sunt.* 32. *Misimus autem et Menelaum qui vos alloquatur.* 33. *Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quinta decima die.*

34. *Miserunt autem etiam Romani epistolam ita se habentem :*

Quintus Memmius et Titus Manilius, legati Romanorum, populo Iudaeorum salutem. 35. *De his quae Lysias cognatus regis concessit vobis, et nos concessimus.* 36. *De quibus autem ad regem iudicavit referendum, confestim aliquem mittite diligentius inter vos conferentes, ut decernamus, sicut congruit vobis; nos enim Antiochiam accedimus.* 37. *Ideoque festinate rescribere, ut nos quoque sciamus, cuius estis voluntatis.* 38. *Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, quinta decima die mensis Xanthici.*

μετὰ τῆς ἀδείας, 31. χρῆσθαι τοὺς Ἰουδαίους τοῖς ἑαυτῶν δαπανήμασι καὶ νόμοις καθὰ καὶ τὸ πρότερον, καὶ οὐδεὶς αὐτῶν κατ' οὐδένα τρόπον παρενοχληθήσεται περὶ τῶν ἠγνοημένων. 32. Πέπομφα δὲ καὶ τὸν Μενέλαον παρακαλέσοντα ὑμᾶς. 33. Ἔρρωσθε. Ἔτους ἑκατοστοῦ τεσσαρακοστοῦ ὀγδόου, Ξανθικοῦ πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ.

34. Ἔπεμψαν δὲ καὶ οἱ Ῥωμαῖοι πρὸς αὐτοὺς ἐπιστολὴν ἔχουσαν οὕτως·

Κόιντος Μέμμιος, Τίτος Μάνιος, πρεσβῦται Ῥωμαίων, τῷ δήμῳ τῶν Ἰουδαίων χαίρειν. 35. Ὑπὲρ ὧν Λυσίας ὁ συγγενὴς τοῦ βασιλέως συνεχώρησεν ὑμῖν, καὶ ἡμεῖς συνευδοκοῦμεν. 36. Ἃ δὲ ἔκρινε προσανενεχθῆναι τῷ βασιλεῖ, πέμψατέ τινα παραχρῆμα ἐπισκεψάμενοι περὶ τούτων, ἵνα ἐκθῶμεν ὡς καθήκει ὑμῖν· ἡμεῖς γὰρ προσάγομεν πρὸς Ἀντιόχειαν. 37. Διὸ σπεύσατε καὶ πέμψατέ τινας, ὅπως καὶ ἡμεῖς ἐπιγνῶμεν ὁποίας ἐστὲ γνώμης. 38. Ὑγιαίνετε. Ἔτους ἑκατοστοῦ τεσσαρακοστοῦ ὀγδόου, Ξανθικοῦ πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ.

Uti sententia effertur in v. 14, πείσειν deleatur oportet; neque vulg. neque S hoc verbum exprimunt. Si retineretur, deberet scribi τον βασιλεα πεισειν και φιλον αυτοις etc.; sed pro και nullus testis afferri potest. Legit *Swete* πεισει, sed quomodo tunc αναγκαζειν apte poni possit, non intelligitur.

Lysias recogitans cladem (ἐλάσσωμα) sibi inflictam et intelligens invincibiles esse Hebraeos, cum Deum omnipotentem haberent socium belli, misit ad eos iisque persuasit se velle pacem inire quibusvis conditionibus iustis; καὶ διότι i. e. καὶ ὅτι et se etiam regem ut amicus iis fieret coacturum esse. Annuit Machabaeus omnibus quae Lysias rogavit (παρεκάλει), communi utilitati prospiciens. Nam pacem cum legis observatione populo procurare ei summopere cordi erat. Tunc autem eo magis potuit ac debuit annuere, quia quaecumque ipse de Iudaeis scripto dederat Lysiae, ea rex concessit. De ista pace nos docet auctor recitatis litteris Lysiae et regis.

Et primo recitatur epistola Lysiae v. 16-21. In ea epistola scribit legatos Iudaeorum tradidisse τὸν ὑπογεγραμμένον χρηματισμόν, scriptum scil. legatis a Machabaeo datum, quo continebantur quae Machabaeus postulabat, et quod scriptum Lysiae epistolae erat adiunctum (cf. 9, 25). Ipsos legatos rogasse de iis quae in illo exprimebantur. Inter ea

fuisse quae etiam regi proponenda erant, ἃ δὲ ἦν ἐνδεχόμενα quae fieri poterant, i. e. quae possibilia erant, concessit rex. Iam si Iudaei animos benevolos conservaverint εἰς τὰ πράγματα erga negotia scil. regni, erga administrationem regni, promittit Lysias se velle in posterum quoque tentare παραίτιος γενέσθαι ut fiam vobis auctor bonorum. Quod vero attinet de singulis quae adhuc restant ad pacem determinate concludendam, mandavit Lysias et legatis Iudaeorum et suis διαλεχθῆναι ὑμῖν, ut vobiscum colloquerentur.

Quaestio multum agitata est, sitne epistola haec genuina necne. Iudicium ferendum erit ex iis ipsis quae in epistola nobis offeruntur. In antecedente narratione Lysias insigni clade affectus et fugatus est; ipse mittit legatos ad pacem efficiendam conditionibus omnibus iustis; promittit se regi quoque persuasurum, coacturum ut animum benevolum erga Iudaeos induat. Huic petitioni Lysiae Machabaeus innuit et per legatos mittit ea quae postulanda esse censet pro pace concedenda. Hac rerum conditione perpensa fieri non potest, ut haec epistola ab aliquo Iudaeo sit conficta; verum tota eius forma et indoles prodit ingenium et superbiam Lysiae. Multo enim artificio epistola ita concepta est, ut Lysias quasi victor appareat qui pacem petentibus offerat. Statim ab initio cum emphasi effert legatos esse missos a Iudaeis; hoc utique verum est; sed cum legatos antea a se missos hic taceat, res ita exhibetur, ac si Iudaei primi legationem ad pacem petendam misisset. Legati tradunt scriptum, ἠξίουν *rogabant* περὶ τῶν... de iis quae ibi significabantur; legatos igitur exhibet rogantes, ut petitio benigne suscipiatur. In v. 19 Iudaeos quasi victos tractat, qui utpote victi spoponderint se gratis animis ea accepisse quae rex concesserit; quos itaque adhortatur, ut hos animorum sensus retineant; tum se in posterum etiam fore iis beneficum. Igitur iterum quae concessa sunt, in beneficii et gratiae loco esse habenda innuitur. Talem vero epistolam, qua sincera rerum veritas fere in contrarium vertitur, certo nemo Iudaeorum Lysiae supposuit. Si Iudaeus quidam fingere voluisset, nonne ad suae gentis gloriam rem uti erat exposuisset, Lysiam supplicantem per legatos, pacis conditiones aequas flagitantem a Machabaeo? etc.

Epistola scripta est die 24. mensis Dioscori; ita vulg., tischri posteriorem mensem praebet S; Dioscorus erat mensis sextus apud Cretenses. Sed quid nomen Cretense hoc loco? Censent aliqui Dioscorum esse mensis intercalaris nomen qui mensis ponatur ante Xanthicum, mensem sextum macedonicum (*Ideler*, Handbuch der Chronologie I p. 399; *Unger*, Zeitrechnung p. 776, in primo tomo : Handbuch der Klassischen Altertumswissenschaft, ed. Iwan von Müller). Sed improbabile est mensem intercalarem proprio designari nomine (*Niese*

l. c. p. 69). Graece habetur Διοσκορινθίου, κορινθίου 19. Quod nomen cum alibi non occurrat, vario modo tentatum est. Coniicit *Niese* nomen hoc mensis ab Antiocho Epiphane inductum, mox autem oblivioni esse datum; Antiochum eiusmodi studium prosecutum esse, colligi ex documento apud Iosephum (Antiq. 12,5,5; 12 264 ed. *Niese*); hic vero legi nomen mensis adeo ignotum, cum tamen falsario cuidam nomina mensium nota praesto fuissent, indicium esse idem monet epistolam non esse confictam. In 23. legitur in fine quartae epistolae 11,38 Ξανθικοῦ πεντεκαιδεκάτῃ Διοσκορίδου, inde deprehendi ait *Niese* Διοσκορίδου esse lectionem variantem pro Ξανθικοῦ et designari ea voce mensem eundem. Haec explicatio codicis unius testimonio commendata reliquis coniecturis praeferri merito potest. Annus qui adscribitur 148 nobis simul argumento est hanc expeditionem non esse eam de qua mentio fit 1 Mach. 4,28, neque eam 1 Mach. 6,58; nam illa facta est ita ut clades Lysiae etiam Antiocho regi nuntiaretur (1 Mach. 6,6); haec autem eadem est quae narratur 2 Mach. 13,1 anno 149. Nostra autem expeditio fit Antiocho Epiphane mortuo v. 23 et adscribitur anno 148; itaque clare designatur media inter illas.

Sequitur regis epistola, qua exhibetur responsum ad postulata Machabaei, de quibus modo Lysias v. 18 innuit. Ex aetate regis et ex munere Lysiae patet, hanc quoque epistolam ex mente et sententia Lysiae esse conceptam, sed ad speciem dignitatis regiae servandam tali forma exhiberi. Lysias appellatur *frater* titulo honoris ad dignitatem eximiam designandam. Ceterum epistola eadem indole constat, sicut epistola Lysiae; nihil indicatur de clade, nihil de legatis prius a Lysia missis (v. 13), Iudaei perhibentur rogantes, ut sibi concedantur legitima (v. 24 ἀξιοῦντας), omnia exhibentur ut a regis voluntate et arbitrio profecta (βουλόμενοι, αἱρούμενοι, κρίνομεν); a rege offerri pacem; Iudaei quasi essent animis deiecti iubentur εὔθυμοι esse, utpote qui sciant regis προαίρεσιν voluntatem, consilium. Quare ex epistolae argumento etiam satis apparet eius genuinitas, quae iam prima sententia suadetur: cum pater noster ad deos transierit; potest de apotheosi intelligi eo saltem sensu, quo in nummis Antiochus θεός nominari voluit (*K.*); de plurali maiestatico cf. 1 Mach. 10,19; τοὺς ἐκ τῆς βασιλείας (uti alias ἐκ τῆς πόλεως incolae urbis 1 Mach. 6,3), qui pertinent ad regnum, qui sunt subditi; γενέσθαι πρός, applicare sese ad suarum rerum curam, procurationem; μὴ συνευδοκοῦντας, maximam illam et valde efficacem oppositionem, immo completam destructionem consilii paterni rex voce designat quae regiae superbiae congruit: solummodo Iudaeos non consensisse, non approbasse, ut transferrentur ἐπὶ τὰ Ἑλληνικά ad graecos mores; τὴν ἑαυτῶν ἀγωγήν propriam vivendi

agendique rationem Iudaeos praeferre rex audivit. Num hoc solum audivit, nil aliud? Et in v. 25 animum suum pandit beneficum; templum restituit quod scil. iam habent, καὶ πολιτεύεσθαι ut res suas administrent ex more et consuetudine maiorum. Haec est conditio sine qua non a Machabaeo posita, cum annueret precibus Lysiae (v. 15); quam rex nunc exhibet tamquam liberalitate et benevolentia regia concessam. Ac si Lysias non iam misisset legatos, nunc ei datur a rege venia ut ad Iudaeos legationem mittat et iis petentibus det dextram, pacem eis concedat et reconciliationem, quasi non ipse Lysias pacem efflagitasset (v. 14). Hac regis voluntate cognita iubet eos ἡδέως lubenter sese applicare ad curam rerum suarum.

In epistola regis ad senatum (τῇ γερουσίᾳ, cf. 1 Mach. 12,6) et ad reliquos Iudaeos adhibetur formula, qua uti solebat Antiochus pater; cf. 9,20; illam formulam εἰ ἔρρωσθε etc. origine esse graecam, censet *Niese* p. 67; invenitur in coaevis litteris pergamenis, in litteris Antiochi VIII, in epistola Aristeae et in 3 Mach. — quare immerito ex ea formula, utpote *romana*, aliqui epistolam non esse genuinam collegerunt. Menelaus idem est, de quo 4,23 seq. 50; κατελθόντας ὑμᾶς γίνεσθαι πρὸς τοῖς ἰδίοις velle vos descendere (ab urbe in regiones; cf. v. 30 τοῖς καταπορευομένοις) et vestris negotiis operam dare; aliis verbis: velle vos cessare a bello et pacifice per regiones rebus vestris curam adhibere; S: velle vos quiete esse in laboribus et operibus vestris et vivere secundum leges vestras. Ceterum κατέρχεσθαι, κάθοδος praesertim dicitur de reditu exsulum, eorum qui a sedibus suis expulsi erant; qua notione *Niese* explicat. Quod vulg praebet, difficile intelligitur; *Lap*. peti veniam ad visitandos Iudaeos in Syria degentes; *Calm*. veniam colloquendi cum captivis Iudaeis, vel postulari tabulas liberi comeatus ad iter Antiochenum pace nondum conclusa. Statuit rex, ut intra quindecim dies qui redierint (cessarint a bello) fruerentur securitate, ὑπάρξει δεξιά dextera erit illis i. e. firma promissio, asseveratio cum securitate, ut uti possent suis cibis et legibus; simul concedi plenam veniam praeteritorum et incolumitatem. Mensis Xanthicus est mensis sextus macedonicus, fere congruit cum nisan Iudaeorum; primus Macedonum mensis Dius (octob.) vocatur.

Nomina legatorum aliter apud alios testes efferuntur. Μάνιος A, 55. 62. al. S; Μαιος 44. 74. 243; et 23. κοιντος μεμμιος τιτος μανιος ερνιος vulgo legitur Μάνλιος, vulg Manilius; S: Quintus Memmius Titus Manius. Eodem die, 15 mensis Xanthici, legati quoque scribunt se assentiri συνευδοκοῦμεν iis quae Lysias concessit. De iis autem quae Lysias regi esse proponenda iudicavit, deliberate ἐπισκεψάμενοι et mittite statim aliquem, ut sicut vobis convenit rem exponamus; proficisci-

mur προσάγομεν enim versus Antiochiam v. 36; ideo festinate et mittite aliquos πέμψατέ τινας (gr. S : mittite ad nos aliquem).

Hanc epistolam esse confictam asserunt ex duplice capite : ob temporis notationem quam Romani romanam exhibuissent; ob nomina legatorum qui ex aliis fontibus non noscuntur; duae enim circa illud tempus notae sunt legationes, inter quas vix est spatium pro tertia (*Gr.*).

Et de priore quidem, cur non dicatur auctorem, vel Iasonem pro suis eam temporis designationem selegisse quae ab ipsis intelligeretur et qua ubique in libro usus est? Verum potius dicendum est cum *Niese* (p. 72), plane immerito offendi illos aera Sel. adhibita; legati ea in re morem sequuntur regionum; afferre consules et calendarium romanum quod solum certa in regione cognoscebatur, plane abs re fuisset. Commemorantur utique legationes duae : una brevi ante expeditionem Antiochi in regiones orientales, quam gerebant C. Sulpicius et Manius Sergius[1] (Polyb. 31,9,6); altera post Antiochi Epiphanis mortem; quando missi fuerunt Cn. Octavius, Spurius Lucretius, Lucius Aurelius (l. c. 31,12,9). Quodsi neutra ad nostrum locum referri potest, tamen verissime dicit Bertheau : eo tempore « totus fere terrarum orbis a Romanis legatis et civibus erat obsessus (qui populi Romani auctoritate freti omnibus se immiscebant rebus, praesertim cum regum nomini Romani infestorum potestatem possent infringere) quorum nomina nobis servata non putem » (*K.*). Cum Ptolemaeus Philometor et Physcon inter se concertarent, Romani miserunt legatos (Livius, Epit. 46), qui fuisse videntur Canuleius et Quintus (Polyb. 31,18,4), hosque aliqui eosdem esse dicunt qui in v. 34 nominantur; ad res inter eosdem fratres componendas mox iterum missi legati Titus Torquatus et Cn. Merula (l. c. 31,18,9). Regnum Syriae erat tributarium seu vectigale Romanis (cf. 1 Mach. 8,7. 2 Mach. 8,10). Romani autem, ut Polybius vere dicit (25,1,4), omnia, etiam parum ad ipsos pertinentia, ab omnibus populis ex ipsorum sententia administrari volunt; sedulo quoque cavebant, ne regna evaderent nimis potentia, verum providebant, ut essent quibus coercerentur. Quare mirum esset, si sese non immiscuissent illis rebus, quae inter Syros et Iudaeos agitabantur (cf. *Niese* p. 72 seq.).

Quattuor has epistolas esse genuinas optime demonstravit *Niese* (l. c. p. 66 seq.). Arguit quippe, quicumque aliquid legerit ex Polybio vel inscriptiones quasdam et documenta temporis hellenistici cognita habeat, nihil posse afferre contra formam et dictionem epistolarum;

1. Manius Sergius exhiberi videtur in codice veneto (23) μανιος ερνιος (*Niese*).

eo scil. modo ubique eo tempore scriptum esse. Argumentum quoque epistolarum alienum esse ab omni suspicione fraudis; esse scripta sine ulla offensione (tadellose Schriftstücke), in quibus negotia tractentur et certa quaedam proponantur sine ullo fuco, sine ullo verbo quod peculiarem Iudaeorum gloriam spectet. At longe maior pars eruditorum acatholicorum has epistolas confictas esse statuunt; eas habent genuinas *Bertheau*, *Keil*, *Clinton*, *Unger*, verum eas pertinere volunt ad expeditionem illam quae 1 Mach. 6 et 2 Mach. 13 narratur.

5. *Ultio hostibus inflicta* 12,1-16.

12,1. *His factis pactionibus Lysias pergebat ad regem, Iudaei autem agriculturae operam dabant.* 2. *Sed hi qui resederant, Timotheus, et Apollonius Gennaei filius, sed et Hieronymus et Demophon, super hos et Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere et quiete.*

3. *Ioppitae vero tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogaverunt Iudaeos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas quas paraverant cum uxoribus et filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subiacentibus;* 4. *secundum commune itaque decretum civitatis et ipsis acquiescentibus pacisque causa nihil suspectum habentibus, cum in altum processissent, submerserunt non minus ducentos.* 5. *Quam crudelitatem Iudas in suae gentis homines factam ut cognovit, praecepit viris qui erant cum ipso, et invocato iusto iudice Deo,* 6. *venit adversus interfectores fratrum et portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem qui ab igne refugerant gladio peremit.* 7. *Et cum haec ita egisset, discessit quasi iterum reversurus et universos Ioppitas eradicaturus.* 8. *Sed cum cognovisset et eos qui erant Iamniae velle pari modo facere habitantibus secum Iudaeis,* 9. *Iamnitis quoque nocte supervenit et portum cum navibus succendit, ita ut lumen ignis appareret Ierosolymis a stadiis ducentis quadraginta.*

10. *Inde cum iam abiissent novem*

12,1. Γενομένων δὲ τῶν συνθηκῶν τούτων ὁ μὲν Λυσίας ἀπῄει πρὸς τὸν βασιλέα, οἱ δὲ Ἰουδαῖοι περὶ τὴν γεωργίαν ἐγίνοντο. 2. Τῶν δὲ κατὰ τόπον στρατηγῶν Τιμόθεος καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Γενναίου, ἔτι δὲ Ἱερώνυμος καὶ Δημοφῶν, πρὸς δὲ τούτοις Νικάνωρ ὁ Κυπριάρχης, οὐκ εἴων αὐτοὺς εὐσταθεῖν καὶ τὰ τῆς ἡσυχίας ἄγειν.

3. Ἰοππῖται δὲ τηλικοῦτο συνετέλεσαν τὸ δυσσέβημα· παρακαλέσαντες τοὺς σὺν αὐτοῖς οἰκοῦντας Ἰουδαίους ἐμβῆναι εἰς τὰ παρασταθέντα ὑπ' αὐτῶν σκάφη σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις ὡς μηδεμιᾶς ἐνεστώσης πρὸς αὐτοὺς δυσμενείας, 4. μετὰ δὲ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως ψήφισμα, καὶ τούτων ἐπιδεξαμένων ὡς ἂν εἰρηνεύειν θελόντων καὶ μηδὲν ὕποπτον ἐχόντων, ἐπαναχθέντας αὐτοὺς ἐβύθισαν, ὄντας οὐκ ἔλαττον τῶν διακοσίων. 5. Μεταλαβὼν δὲ Ἰούδας τὴν γεγονυῖαν εἰς τοὺς ὁμοεθνεῖς ὠμότητα, παραγγείλας τοῖς περὶ αὐτὸν ἀνδράσι καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸν δίκαιον κριτὴν Θεόν, 6. παρεγένετο ἐπὶ τοὺς μιαιφόνους τῶν ἀδελφῶν, καὶ τὸν μὲν λιμένα νύκτωρ ἐνέπρησε καὶ τὰ σκάφη κατέφλεξε, τοὺς δὲ ἐκεῖ συμφυγόντας ἐξεκέντησε. 7. Τοῦ δὲ χωρίου συγκλεισθέντος ἀνέλυσεν ὡς πάλιν ἥξων καὶ τὸ σύμπαν τῶν Ἰοππιτῶν ἐκριζῶσαι πολίτευμα. 8. Μεταλαβὼν δὲ καὶ τοὺς ἐν Ἰαμνείᾳ τὸν αὐτὸν ἐπιτελεῖν βουλομένους τρόπον τοῖς παροικοῦσιν Ἰουδαίοις, 9. καὶ τοῖς Ἰαμνίταις νυκτὸς ἐπιβαλὼν ὑφῆψε τὸν λιμένα σὺν τῷ στόλῳ, ὥςτε φαίνεσθαι τὰς αὐγὰς τοῦ φέγγους εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα σταδίων ὄντων διακοσίων τεσσαράκοντα.

10. Ἐκεῖθεν δὲ ἀποσπάσαντες σταδίους

stadiis et iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes quinque millia viri et equites quingenti. 11. *Cumque pugna valida fieret et auxilio Dei prospere cessisset, residui Arabes victi petebant a Iuda dextram sibi dari promittentes se pascua daturos et in ceteris profuturos.* 12. *Iudas autem arbitratus vere in multis eos utiles promisit pacem, dextrisque acceptis discessere ad tabernacula sua.*

13. *Aggressus est autem et civitatem quandam firmam pontibus murisque circumseptam, quae a turbis habitabatur gentium promiscuarum, cui nomen Casphin.* 14. *Hi vero qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum et apparatu alimoniarum, remissius agebant, maledictis lacessentes Iudam et blasphemantes ac loquentes quae fas non est.* 15. *Machabaeus autem invocato magno mundi principe, qui sine arietibus et machinis temporibus Iesu praecipitavit Iericho, irruit ferociter muris;* 16. *et capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles caedes fecit, ita ut adiacens stagnum stadiorum duorum latitudinis sanguine interfectorum fluere videretur.*

ἐννέα, ποιουμένων τὴν πορείαν ἐπὶ τὸν Τιμόθεον, προσέβαλον Ἄραβες αὐτῷ οὐκ ἐλάττους τῶν πεντακισχιλίων, ἱππεῖς δὲ πεντακόσιοι. 11. Γενομένης δὲ καρτερᾶς μάχης καὶ τῶν περὶ τὸν Ἰούδαν διὰ τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ βοήθειαν εὐημερησάντων, ἐλαττονωθέντες οἱ Νομάδες ἠξίουν δοῦναι τὸν Ἰούδαν δεξιὰν αὐτοῖς, ὑπισχνούμενοι καὶ βοσκήματα δώσειν καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ὠφελήσειν αὐτούς. 12. Ἰούδας δὲ ὑπολαβὼν ὡς ἀληθῶς ἐν πολλοῖς αὐτοὺς χρησίμους, ἐπεχώρησεν εἰρήνην ἄξειν πρὸς αὐτούς· καὶ λαβόντες δεξιὰς εἰς τὰς σκηνὰς αὐτῶν ἐχωρίσθησαν.

13. Ἐπέβαλε δὲ καὶ ἐπί τινα πόλιν γεφύραις ὀχυρὰν καὶ τείχεσι περιπεφραγμένην καὶ παμμιγέσιν ἔθνεσι κατοικουμένην, ὄνομα δὲ Κάσπιν. 14. Οἱ δ' ἔνδον πεποιθότες τῇ τῶν τειχέων ἐρυμνότητι, τῇ τε τῶν βρωμάτων παραθέσει, ἀναγωγότερον ἐχρῶντο τοῖς περὶ τὸν Ἰούδαν, λοιδοροῦντες καὶ προσέτι βλασφημοῦντες καὶ λαλοῦντες ἃ μὴ θέμις. 15. Οἱ δὲ περὶ τὸν Ἰούδαν ἐπικαλεσάμενοι τὸν μέγαν τοῦ κόσμου δυνάστην, τὸν ἄτερ κριῶν καὶ μηχανῶν ὀργανικῶν κατακρημνίσαντα τὴν Ἱεριχὼ κατὰ τοὺς Ἰησοῦ χρόνους, ἐνέσεισαν θηριωδῶς τῷ τείχει. 16. Καταλαβόμενοί τε τὴν πόλιν τῇ τοῦ Θεοῦ θελήσει, ἀμυθήτους ἐποιήσαντο σφαγάς, ὥστε τὴν παρακειμένην λίμνην, τὸ πλάτος ἔχουσαν σταδίων δύο, κατάρρυτον αἵματι πεπληρωμένην φαίνεσθαι.

In v. 10 αποσπασαντες Al, 23. 44,52,55. al. (uti v. 17), vulgo legitur αποσπασθεντων, quod utique melius ad constructionem aptum est, sicut statim sequitur ποιουμενων. Ille nominativus absolute positus certe satis est singularis, quia sequitur alia constructio in ποιουμενων. In v. 16 fertur quoque lectio καταρρειν το αιμα.

Narratio 12,1 adnectitur ad ea quae 11,14. 15 dicta sunt. Ibi enim ea exponuntur, quae *pactiones* vocari possunt, quod nomen ad ipsas epistolas minime congruit. Idem quoque nexus apparet ex eo, quia dicitur Lysiam abiisse ad regem; nam ex epistola Lysiae recitata 11, 16 seq. patet Lysiam iam fuisse reversum ad regem eique postulata Iudaeorum, quae Ioannes et Abesalom attulerant exposuisse. Itaque 12,1 auctor narrationem repetit quam superius 11,15 interruperat mentione facta de pactionibus inter Lysiam et Machabaeum, ut quaedam commemoraret cum his pactionibus connexa, scil. epistolas illas (cf. *Patr.* p. 264). Quod dicitur, Lysiam abiisse ad regem, indicium

iterum habetur, hanc expeditionem et pacis conclusionem aliam esse ab ea de qua narratur 1 Mach. 6,30-63; ibi enim ipse rex expeditioni intererat (6,33. 57. 60. 62). Iudaei pacis petitione a Lysia facta περὶ τὴν γεωργίαν ἐγίνοντο iterum sese occupationibus pacificis, ruralibus applicabant. Verum plures ex praefectis ac ducibus militum syrorum qui in variis locis praesidia agebant, non sinebant Iudaeos frui statu prospero nec vitam agere tranquillam. Timotheus cf. 1 Mach. 5,11. 34. 40; Apollonius ὁ τοῦ Γενναίου, filius Gennaei, distinguitur a duobus aliis (3,5. 7 et 4,21), quartus nomine Apollonius 1 Mach. 10,69 (cf. Polyb. 31,19,6; 31,21,2). Hieronymus et Demophon hic solum nominantur; Nicanor ὁ Κυπριάρχης, quo titulo distinguitur a Nicanore filio Patrocli (8,9; 14,12). Antiochus Epiphanes per aliquod tempus Cyprum insulam possidebat; eo tempore poterat Nicanor esse magistratus, seu praefectus insulae. Narrat Polybius (29,11,2) Popillium Cyprum navigasse, ut quantocius ex illa insula Antiochi copias eiiceret. Sed Κυπριάρχης etiam is dici potest qui praefuit sacris seu ludis in honorem deorum in insula instituendis, qui titulus est honoris, uti Ἀσιάρχης, Γαλατάρχης, Βιθυνιάρχης etc. (cf. Act. 19,31; *Mommsen*, Röm. Geschichte 5 p. 318).

Quali odio habiti sint Iudaei (cf. 1 Mach. 5,1. 2) et quid alienigenae, protectione Syrorum confisi, audere posse sibi persuaserint, illustratur narratione de incolis Ioppe v. 3 seq.; invitarunt Iudaeos ut secum iucundam facerent navigationem, ac si nulla in eos exsisteret malevolentia, verum ex communi civitatis decreto (scil. eos invitarunt); invitationem acceperunt Iudaei, ὡς ἂν utpote pacem colere volentes et nihil mali suspicati. Verum perfidi Ioppitae eductos in altum submerserunt non minus ducentos. Rem plane improbabilem censet *Gr.* ex duabus rationibus: Iudaeis debuisse notam fuisse malevolentiam Ioppitarum; in ipsa urbe, utpote emporio magno, multo plures Iudaeos incoluisse. Ad prius satis respondent verba ὡς ἂν εἰρηνεύειν θελόντων, cum Ioppitae instanter invitarent, Iudaei quantum fieri poterat pacem colere, indolem pacificam ostendere volebant, ne repulsa ipsi inimicitiarum auctores exsisterent. Neque sequitur ex narratione solum ducentos Iudaeos ibi habitasse. Iudas flagitium et crudelitatem ultus est; accendit portum, aedificia, scil. portus, scaphas exussit et qui eo confugerant trucidavit; qui scil. cum Iudaei urbi appropinquarent, ad scaphas confugere et per mare effugere tentarunt. Sed cum oppidum clausum esset, discessit (nam ad obsidionem faciendam paratus non erat) ea tamen intentione, ut iterum veniret et urbem deleret. Cur non reversus sit, ratio videtur nobis offerri iis quae 1 Mach. 5,9 seq. narrantur. Nam a Ioppe discessit, ut Iudaeis

Iamniae degentibus opem ferret; eo tempore litterae allatae sunt a Galaad, quibus contra Timotheum avocatus est (cf. *Patr.* p. 265). In v. 7 vulg. non exprimit textum graecum; S : et cum incolae urbis animadverterent, clauserunt portas.

Consilium malignum Iamnitarum pariter reddidit inefficax v. 8. 9; de Iamnia cf. 1 Mach. 4,15; παροικεῖν accolere, accolam esse sine civitatis iure. Iamnitis quoque noctu superveniens portum cum apparatu, navibus succendit, ut incendii fulgor intervallo 240 stadiorum usque Ierusalem cerneretur. Erant scil. Iamneae duae (uti Plinius loquitur 5,14), urbs a mari remota, et urbs cum portu ad mare; hic ergo intelligitur Ἰαμνιτῶν λιμήν (Ptolemaeus 16,5). Haud longe a Iamnia, cum iter faceret versus Timotheum, in eum impetum fecerunt Arabes nomades. Ope divina adiutus Iudas victor exsistit; victi nomades petunt pacem promissis datis de pascuis concedendis et de commodis Iudaeis praestandis. Existimavit Iudas eos vere posse utilitatem afferre, ὡς ἀληθῶς, verissime; praemittitur ὡς quibusdam adverbiis, uti ἀληθῶς, ἀτεχνῶς, ἑτέρως (cf. Vigeri graecae dictiones, ed. *Hermann*, 3. ed. p. 563), quod proprie est *sic ut vere*, qua dictione tota causa magis effertur (cf. Devar. *Klotz* p. 757).

Casphin, Κάσπιν a plerisque censetur esse Casphor (1 Mach. 5,26) situm in Galaad a Iarmuc fluvio septemtrionem versus. Erat urbs firma γεφύραις, aggeribus (hac notione γέφυρα erit hic capienda; aggeribus urbs munitur, non pontibus) et muris; S : circumdata et munita muris. Confisi firmitati murorum et victus abundantiae insolentius, contumacius ἀναγωγότερον sese gerebant adversus milites Iudae, eos maiore contemptu, quam pro re nata exspectari poterat, tractabant. Iudaei vero invocato Domino qui sine arietibus, ἅτερ μηχανῶν ὀργανικῶν sine machinis variis instrumentis bellicis ad iaciendos lapides, saxa, missilia instructis (cf. 1 Mach. 13,43 ἑλέπολις) tempore Iosue (Ios. 6,1 seq.) praecipitavit Iericho, θηριωδῶς quasi leonum modo, ferocissime contra muros irruerunt; stagnum sanguine repletum fluere videri, sanguine rubescere v. 16 populari hyperbole dicitur. Hodiedum ibi est castellum Chisfin et stagnum erit palus illa satis extensa inter Chisfin et Ain Esfera (*Furrer, Ks.*).

6. *Pugnatur contra Timotheum et duas urbes* 12,17-31.

12,17. *Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta et venerunt in Characa ad eos qui dicuntur Tubianaei, Iudaeos.* 18. *Et Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nullo-*

12,17. Ἐκεῖθεν δὲ ἀποσπάσαντες σταδίους ἑπτακοσίους πεντήκοντα διήνυσαν εἰς τὸν Χάρακα πρὸς τοὺς λεγομένους Τουβιήνους Ἰουδαίους.

18. Καὶ Τιμόθεον μὲν ἐπὶ τῶν τόπων οὐ

que negotio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmissimo praesidio. 19. *Dositheus autem et Sosipater qui erant duces cum Machabaeo peremerunt a Timotheo relictos in praesidio decem millia viros.* 20. *At Machabaeus ordinatis circum se sex millibus et constitutis per cohortes adversus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos.* 21. *Cognito autem Iudae adventu Timotheus praemisit mulieres et filios et reliquum apparatum in praesidium quod Carnion dicitur; erat enim inexpugnabile et accessu difficile propter locorum angustias.* 22. *Cumque cohors Iudae prima apparuisset, timor hostibus incussus est ex praesentia Dei qui universa conspicit, et in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis a suis deiicerentur et gladiorum suorum ictibus debilitarentur.* 23. *Iudas autem vehementer instabat puniens profanos et prostravit ex eis triginta millia virorum.* 24. *Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei et Sosipatris et multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur eo quod multorum ex Iudaeis parentes haberet ac fratres, quos morte eius decipi eveniret.* 25. *Et cum fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum, illaesum eum dimiserunt propter fratrum salutem.*

26. *Iudas autem egressus est ad Carnion interfectis viginti quinque millibus.* 27. *Post horum fugam et necem movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diversarum gentium habitabat, et robusti iuvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant; in hac autem machinae multae et telorum erat apparatus.* 28. *Sed cum Omnipotentem invocassent qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem; et ex eis qui intus erant, viginti quinque millia prostraverunt.* 29. *Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quae ab Ierosolymis sexcentis sta-*

κατέλαβον, ἄπρακτόν τε ἀπὸ τῶν τόπων ἐκλελυκότα, καταλελοιπότα δὲ φρουρὰν ἔν τινι τόπῳ καὶ μάλα ὀχυράν. 19. Δωσίθεος δὲ καὶ Σωσίπατρος τῶν περὶ τὸν Μακκαβαῖον ἡγεμόνων ἐξοδεύσαντες ἀπώλεσαν τοὺς ὑπὸ Τιμοθέου καταλειφθέντας ἐν τῷ ὀχυρώματι πλείους τῶν μυρίων ἀνδρῶν. 20. Ὁ δὲ Μακκαβαῖος διατάξας τὴν περὶ αὐτὸν στρατιὰν σπειρηδὸν, κατέστησεν αὐτοὺς ἐπὶ τῶν σπειρῶν, καὶ ἐπὶ τὸν Τιμόθεον ὥρμησεν ἔχοντα περὶ αὐτὸν μυριάδας δώδεκα πεζῶν, ἱππεῖς δὲ δισχιλίους πρὸς τοῖς πεντακοσίοις. 21. Τὴν δὲ ἔφοδον μεταλαβὼν Ἰούδα ὁ Τιμόθεος προεξαπέστειλε τὰς γυναῖκας καὶ τὰ τέκνα καὶ τὴν ἄλλην ἀποσκευὴν εἰς τὸ λεγόμενον Καρνίον· ἦν γὰρ δυσπολιόρκητον καὶ δυσπρόσιτον τὸ χωρίον διὰ τὴν πάντων τῶν τόπων στενότητα. 22. Ἐπιφανείσης δὲ τῆς Ἰούδα σπείρας πρώτης καὶ γενομένου δέους ἐπὶ τοὺς πολεμίους φόβου τε ἐκ τῆς τοῦ πάντα ἐφορῶντος ἐπιφανείας γενομένου ἐπ' αὐτοὺς, εἰς φυγὴν ὥρμησαν ἄλλος ἀλλαχῇ φερόμενος, ὥστε πολλάκις ὑπὸ τῶν ἰδίων βλάπτεσθαι καὶ ταῖς τῶν ξιφῶν ἀκμαῖς ἀναπείρεσθαι. 23. Ἐποιεῖτο δὲ τὸν διωγμὸν εὐτονώτερον Ἰούδας συγκεντῶν τοὺς ἀλιτηρίους, διέφθειρέ τε εἰς μυριάδας τρεῖς ἀνδρῶν. 24. Αὐτὸς δὲ ὁ Τιμόθεος ἐμπεσὼν τοῖς περὶ τὸν Δωσίθεον καὶ Σωσίπατρον ἠξίου μετὰ πολλῆς γοητείας ἐξαφεῖναι σῶον αὐτὸν διὰ τὸ πλειόνων μὲν γονεῖς, ὧν δὲ ἀδελφοὺς ἔχειν, καὶ τούτους ἀλογηθῆναι συμβήσεται. 25. Πιστώσαντος δὲ αὐτοῦ διὰ πλειόνων τὸν ὁρισμὸν ἀποκαταστῆσαι τούτους ἀπημάντους, ἀπέλυσαν αὐτὸν ἕνεκα τῆς τῶν ἀδελφῶν σωτηρίας.

26. Ἐξελθὼν δὲ ἐπὶ τὸ Καρνίον καὶ τὸ Ἀτεργατεῖον κατέσφαξε μυριάδας σωμάτων δύο καὶ πεντακισχιλίους. 27. Μετὰ δὲ τὴν τούτων τροπὴν καὶ ἀπώλειαν ἐπεστράτευσεν καὶ ἐπὶ Ἐφρὼν πόλιν ὀχυρὰν, ἐν ᾗ πάμφυλα πλήθη, νεανίαι δὲ ῥωμαλέοι πρὸ τῶν τειχῶν καθεστῶτες εὐρώστως ἀπεμάχοντο, ἔνθα δὲ ὀργάνων καὶ βελῶν πολλαὶ παραθέσεις ὑπῆρχον. 28. Ἐπικαλεσάμενοι δὲ τὸν δυνάστην τὸν μετὰ κράτους συντρίβοντα τὰς τῶν πολεμίων ἀλκὰς, ἔλαβον τὴν πόλιν ὑποχείριον καὶ κατέστρωσαν τῶν ἔνδον εἰς μυριάδας δύο καὶ πεντακισχιλίους. 29. Ἀναζεύξαντες δὲ ἐκεῖθεν ὥρμησαν ἐπὶ Σκυθῶν πόλιν, ἀπέχουσαν ἀπὸ Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξακοσίους. 30. Ἀπο-

diis aberat. 30. *Contestantibus autem his qui apud Scythopolitas erant Iudaeis, quod benigne ab eis haberentur etiam temporibus infelicitatis quod modeste secum egerint,* 31. *gratias agentes eis et exhortati etiam de cetero erga genus suum benignos esse, venerunt Ierosolymam die solemni septimanarum instante.*

μαρτυρησάντων δὲ τῶν ἐκεῖ καθεστωτων Ἰουδαίων, ἣν οἱ Σκυθοπολῖται ἔσχον πρὸς αὐτοὺς εὔνοιαν καὶ ἐν τοῖς τῆς ἀτυχίας καιροῖς ἥμερον ἀπάντησιν, 31. εὐχαριστήσαντες καὶ προςπαρακαλέσαντες καὶ εἰς τὰ λοιπὰ πρὸς τὸ γένος εὐμενεῖς εἶναι, παρεγενήθησαν εἰς Ἱεροσόλυμα τῆς τῶν ἑβδομάδων ἑορτῆς οὔσης ὑπογύου.

Suscipitur v. 17-25 expeditio in regionem Tubianaeorum contra Timotheum, cuius exercitus dispergitur; ipse capitur, sed liber dimittitur. Dein v. 26-31 expugnantur Carnion et Ephron munitiones; per Scythopolin redeunt Hierosolyma. Ex ipsis nominibus iam patet aliqua hic tangi, quae 1 Mach. 5,24 seq. narrata sunt; cf. Tubin 1 Mach. 5, 13; Timotheus 5,11. 34. 37. 40; Carnaim 5,26. 43; Ephron 5,46; Scythopolis 5,52 i. e. Bethsan, inde iter in Ierusalem.

Postquam Ioppitae et Iamnitae puniti sunt, Iudas litteris ex Galaad acceptis expeditionem suscepit in regionem transiordanicam, ubi Timotheus ex variis gentibus magnum collegerat exercitum (cf. 1 Mach. 5,9 seq.). In itinere illo pugnam habuit cum Arabibus v. 10; et in ipsa regione transiordanica expugnavit Casphin (Chisfin) septemtrionem versus a Iarmuk flumine v. 13-16. A qua munitione profecti per stadia 750 v. 17 pervenerunt in regionem Tubianaeorum (Tubin 1 Mach. 5,13), in terram Tob (cf. Iud. 11,3.2 Sam. 10,6) εἰς τὸν Χάρακα. S nomen appellativum intellexit : in urbem munitam; χάραξ palus, ut nomen proprium posset designare urbem vallo munitam vel castra vallo circumsepta. Timotheum quidem iis in locis comprehendere non valebant : nam ipse ἄπρακτος re infecta, non audens signa conferre? ab iis locis discesserat relicto tamen praesidio firmissimo. Ad hos milites praesidiarios expugnandos egressi ἐξοδεύσαντες. Dositheus et Sosipater, duo ex ducibus Machabaei, peremerunt plus quam decem millia v. 18. Machabaeus autem Timotheum persequi statuit; quem in finem exercitum in varias cohortes ordinavit σπειρηδὸν διατάξας, vulg ei attribuit exercitum sex millium, qui numerus alias non reperitur, et eos, Dositheum scil. et Sosipatrum, cohortibus praefecit; ita ex lectione communi κατέστησεν αὐτοὺς. iis itaque partem exercitus commisit (cf. v. 24), ut exercitu in varias partes diviso facilius Timotheum concluderent. Corrigit *Gr.* κατέστησεν τοὺς ἐπὶ τῶν σπειρῶν cohortibus duces praefecit, similiter S : sed haec sententia videtur valde supervacanea, neque ullo testimonio illa lectio τοὺς commendatur.

Exercitus Timothei numero sane ingenti effertur 120.000 peditum; equites 1.500, 2.500 habent vulg, S et sex minusculi. Numerus equi-

tum valde parvus est ratione habita peditum; verum eum numerum hyperbolice efferri ex traditione populari facile concesseris. Totam turbam militum, mulierum, filiorum eo comprehendi utique admitti potest; collegerat enim Timotheus exercitum suum ex promiscuis gentibus et nomadibus, qui cum tota sua familia et possessionibus ei sese adiunxerant. Timotheus quam primum incursionem Iudae advertit, mulieres et liberos καὶ τὴν ἄλλην ἀποσκευήν (1 Mach. 5,13) res reliquas, spolia, sarcinas, possessiones quas nomades secum asportarunt, praemisit in Carnion, munitionem difficilem expugnatu et accessu propter omnium locorum angustias, i. e. tota regio illa erat angusta, non plana; Carnion est hodie Kren in Ledscha (cf. 1 Mach. 5,26).

Promiscua illa multitudo exercitus ex variis tribubus collecti simulac cohors prima Machabaei visa est terrore correpta est et timore exorto in eos (ἐκ τῆς) eo quod Deus omnia disponens ac providens illum incussit terrorem, ita scil. se manifestans. In tali enim victoria, in terrore et fuga hostium cernitur manifestatio Dei cuncta intuentis ac dirigentis. In fugam se praecipitarunt ἄλλος ἀλλαχῇ φερόμενος alii alio abrepti, ita ut saepe ab ipsis suis vulnerarentur, scil. ut inter se vulnera infligerent, et gladiorum acie transfoderentur v. 22. Iudas vehementer instabat persecutioni confodiens flagitiosos; perditi sunt viri circa triginta millia. Supra 1 Mach. 5,34. 37-43 bis pugnatum esse narratur cum militibus Timothei; in priore pugna perierunt octo millia; de altera non affertur numerus. In hac narratione additur novum illud de Timotheo capto iterumque dimisso v. 24; ipse enim incidit in milites Dosithei et Sosipatri et μετὰ πολλῆς γοητείας multa cum fraude petiit, ut vivus dimitteretur, διὰ τὸ etc. quia plurium parentes, aliorum autem fratres haberet in sua potestate, et illis eveniet, ut male tractentur (additur quasi oratione directa), εἰ ἀποθάνοι vulgo additur (non habent S, A, 23. 44. 52. 55. al). Cum dicatur μετὰ πολλῆς γοητείας, Timotheus falso id asseruisse et malis artibus usus esse ad se liberandum convincitur. Postquam pluribus confirmavit fide data quod constitutum erat, scil. se illos incolumes (illaesos) remissurum esse, eum dimiserunt propter fratrum salutem v. 25.

Iudas autem Carnion praesidium aggressus est (v. 26) et Ἀτεργατεῖον, fanum scil. τέμενος (1 Mach. 5,44) Atergatis, quae Derceto quoque appellatur, et figura mulieris in piscem desinentis repraesentatur. Fanum illud succendit; in eo et in praesidio perierunt viginti quinque millia. Dein venit in Ephron (cf. 1 Mach. 5,46), vulgo legitur ἐν ᾗ κατῴκει Λυσίας, etiam S (sed non habent A, 23. 44. 52. 55. al. vulg), scil. ibi eum habuisse palatium, sedem, domicilium. Urbs erat bene munita; aderant iuvenes fortissimi, multi apparatus machina-

rum et telorum; quomodo capta sit, vide 1 Mach. 5,49-51. Inde profecti (ἀναζεύξαντες) venerunt Scythopolin, quae abest a Ierusalem stadiis 600, uti recte dicitur. Sed cum Iudaei contestarentur benevolentiam civium erga se et mitem eorum agendi rationem, ἥμερον ἀπάντησιν, etiam in calamitatibus, nihil damni urbi est illatum, e contra gratias egerunt eis. Reversus est Iudas cum suis in Ierusalem prope festum hebdomadum, i. e. Pentecostes; septem enim hebdomades numerandae erant a pascha usque ad pentecosten (Lev. 23,15. Deut. 16,9).

Haec determinatio temporis bene confirmat quae dicta sunt ad 12,1, scil. pactiones non referri ad litteras modo recitatas antea. Litterae scriptae erant die 15 mensis Xanthici (qui dies simul erat cum die 15 mensis secundi Iudaeorum); iam quae narrantur 12,2-30, non poterant peragi intra tres hebdomadas (cf. *Patr.* p. 264).

7. *Gorgias vincitur; expiantur peccata occisorum Iudaeorum* 12,32-46.

12,32. *Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam praepositum Idumaeae.* 33. *Exivit autem cum peditibus tribus millibus et equitibus quadringentis.* 34. *Quibus congressis contigit paucos ruere Iudaeorum.* 35. *Dositheus vero quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat, et cum vellet illum capere vivum, eques quidam de Thracibus irruit in eum humerumque eius amputavit; atque ita Gorgias effugit in Maresa.* 36. *At illis qui cum Esdrin erant diutius pugnantibus et fatigatis, invocavit Iudas Dominum adiutorem et ducem belli fieri,* 37. *incipiens voce patria et cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiae militibus incussit.*

38. *Iudas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam, et cum septima dies superveniret, secundum consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt.* 39. *Et sequenti die venit cum suis Iudas, ut corpora prostratorum tolleret et cum parentibus poneret in sepulcris paternis.* 40. *Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de*

12,32. Μετὰ δὲ τὴν λεγομένην Πεντηκοστὴν ὥρμησαν ἐπὶ Γοργίαν τὸν τῆς Ἰδουμαίας στρατηγόν. 33. Ἐξῆλθε δὲ μετὰ πεζῶν τρισχιλίων, ἱππέων δὲ τετρακοσίων. 34. Καὶ παραταξαμένων συνέβη πεσεῖν ὀλίγους τῶν Ἰουδαίων. 35. Δωσίθεος δὲ τις τῶν τοῦ Βακήνορος, ἔφιππος ἀνὴρ καὶ καρτερὸς, εἶχετο τοῦ Γοργίου, καὶ λαβόμενος τῆς χλαμύδος ἦγεν αὐτὸν εὐρώστως καὶ βουλόμενος τὸν κατάρατον λαβεῖν ζωγρίαν, τῶν ἱππέων τινὸς Θρακῶν ἐπενεχθέντος αὐτῷ καὶ τὸν ὦμον καθελόντος, διέφυγεν ὁ Γοργίας εἰς Μαρισά. 36. Τῶν δὲ περὶ τὸν Ἔσδριν ἐπὶ πλεῖον μαχομένων καὶ κατακόπων ὄντων, ἐπικαλεσάμενος ὁ Ἰούδας τὸν Κύριον σύμμαχον φανῆναι καὶ προοδηγὸν τοῦ πολέμου, 37. καταρξάμενος τῇ πατρίῳ φωνῇ τὴν μεθ' ὕμνων κραυγὴν, ἐνσείσας ἀπροσδοκήτως τοῖς περὶ τὸν Γοργίαν, τροπὴν αὐτῶν ἐποιήσατο.

38. Ἰούδας δὲ ἀναλαβὼν τὸ στράτευμα ἦκεν εἰς Ὀδολλὰμ πόλιν· τῆς δὲ ἑβδομάδος ἐπιβαλλούσης, κατὰ τὸν ἐθισμὸν ἁγνισθέντες αὐτόθι τὸ σάββατον διήγαγον. 39. Τῇ δὲ ἐχομένῃ ἦλθον οἱ περὶ τὸν Ἰούδαν καθ' ὃν χρόνον τὸ τῆς χρείας ἐγεγόνει, τὰ τῶν προπεπτωκότων σώματα ἀνακομίσασθαι καὶ μετὰ τῶν συγγενῶν ἀποκαταστῆσαι εἰς τοὺς πατρῴους τάφους. 40. Εὗρον δὲ ἑκάστου τῶν τεθνηκότων ὑπὸ

donariis idolorum quae apud Iamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Iudaeos; omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. 41. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini qui occulta fecerat manifesta; 42. atque ita ad preces conversi rogaverunt, ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Iudas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quae facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt.

43. Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans; 44. nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis; 45. et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam; 46. sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

τοὺς χιτῶνας ἱερώματα τῶν ἀπὸ Ἰαμνείας εἰδώλων, ἀφ' ὧν ὁ νόμος ἀπείργει τοὺς Ἰουδαίους· τοῖς δὲ πᾶσι σαφὲς ἐγένετο διὰ τήνδε τὴν αἰτίαν τούσδε πεπτωκέναι. 41. Πάντες οὖν εὐλογήσαντες τοῦ δικαιοκρίτου Κυρίου τοῦ τὰ κεκρυμμένα φανερὰ ποιοῦντος, 42. εἰς ἱκετείαν ἐτράπησαν, ἀξιώσαντες τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι. Ὁ δὲ γενναῖος Ἰούδας παρεκάλεσε τὸ πλῆθος συντηρεῖν ἑαυτοὺς ἀναμαρτήτους εἶναι, ὑπ' ὄψιν ἑωρακότας τὰ γεγονότα διὰ τὴν τῶν προπεπτωκότων ἁμαρτίαν.

43. Ποιησάμενός τε κατ' ἀνδρολογίαν κατασκευάσματα εἰς ἀργυρίου δραχμὰς δισχιλίας, ἀπέστειλεν εἰς Ἱεροσόλυμα προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων, ὑπὲρ ἀναστάσεως ἀναλογιζόμενος· 44. εἰ μὴ γὰρ τοὺς προπεπτωκότας ἀναστῆναι προσεδόκα, περισσὸν ἦν καὶ ληρῶδες ὑπὲρ νεκρῶν εὔχεσθαι· 45. εἶτ' ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον, ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια· ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι.

In v. 35 pro Bacenore (alias ignoto) praebent 19. 62. 64. 93 των Τουβιηνων, unde Dositheus quidam ex Iudaeis in locis Tubin, Tubianaeis (1 Mach. 5,13).

Post Pentecosten expeditio suscepta est contra Gorgiam, qui erat dux militum in Idumaea. Idumaea legitur apud omnes testes; aliqui mutare volunt Ἰαμνείας ob 1 Mach. 5,57, quia in ea urbe militibus praeerat et a Iosepho appellatur ὁ τῆς Ἰαμνείας στρατηγός (Ant. 12,8,6). Sed haec narratio plane alia est quam quae 1 Mach. 5,57 seq. habetur et gratuito asserunt hic afferri traditionem diversam, qua illa clades in victoriam mutetur. Iudaei progressi sunt ὥρμησαν contra Gorgiam, qui ex regione Idumaeorum egressus erat contra Iudaeos cum tribus millibus peditum et quadringentis equitibus v. 33. Sententiam referri ad Gorgiam plerique intellexerunt et patet ex numero equitum, quos Iudas nunquam habuit. Pugna facta pauci Iudaeorum ceciderunt. Dositheus quidam, unus ex militibus Bacenoris; ita distinguitur a Dositheo illo v. 19.24; ἔφιππος ἀνήρ vir equo insidens, equo vectus, qua appellatione indicatur aliquos quidem equis utentes in exercitu Iudae pugnasse, sed cohortem equitum ei praesto non fuisse. Dositheus itaque firmiter tenebat Gorgiam et pallio prehensum forti-

ter eum ducebat, quia maledictum illum vivum capere volebat (cf. graece, similiter S); sed quidam ex equitibus Thracibus irruit in eum eique brachium amputavit (ὦμον; cf. 15,30), ita ut Gorgias fuga elaberetur in Maresa, Μαρισά (S in Samariam): vide ad 1 Mach. 5,66; urbs ea in campestribus Iuda erat sita. Cum cohors cui praeerat Esdrin (ceteroquin ignotus) iam diutius pugnasset et fatigata esset, Iudas invocavit Dominum, ut adiutorem sese manifestaret et ducem belli, et sustulit voce patria cum canticis clamorem et inopinato irruens in milites Gorgiae cum suis eos in fugam coniecit v. 36. 37. Si Gorgias στρατηγὸς Idumaeae dicitur, etiam advertendum est eo tempore Idumaeos regionem australem Iudaeae occupatam tenuisse; ita Hebron urbs erat filiorum Esau; cf. 1 Mach. 5,65; et vide ad 1 Mach. 4,61.

Iudas cum exercitu venit in Odollam; ibi celebrabant sabbatum purificationibus ex more factis, ἁγνισθέντες scil. lotionibus factis effecti sunt levitice mundi, sancti. Pugna itaque prope Odollam facta est in australi parte Iudaeae vergente in occidentem, haud ita longe a finibus Idumaeae et Philisthaeae. Die sequenti venerunt Iudaei καθ' ὃν χρόνον, sicut pro tempore necessarium erat (χρόνον A, 19. 44. 52. 55, al.; τρόπον, vulg et S hoc membrum omittunt): nam feria sexta occisi erant; ergo die post sabbatum ob calorem aestatis corruptio corporum iam inceperat. Venerunt itaque ut corpora in sepulcris paternis conderent. At apud unumquemque interfectorum (graece, S) invenerunt sub tunicis ἱερώματα τῶν ἀπὸ Ἰαμνείας εἰδώλων, praebent 19. 62. 93 χρυσώματα (similiter S: aurum ex idolis Iamniae), vulg donaria; possunt intelligi anathemata, dona aurea vel argentea, quae illi ex fanis Iamniae furati sint. Alii explicant de phylacteriis seu amuletis, quibus superstitiosi illi se protegi existimarint contra deos Iamnitarum. Eiusmodi anathemata vel amuleta vel imagines idolorum attingere Iudaeis religioni erat; nam Deut. 7,26: nec inferes quidquam ex idolo (תועבה, βδέλυγμα) in domum tuam; quasi spurcitiam detestaberis etc.; quare ἀφ' ὧν ὁ νόμος a quibus lex arcet Iudaeos. Unde omnibus manifestum evasit illos cecidisse in poenam legis violatae, sive ex avaritia sive ex superstitione illas res sacras idolorum sibi acquisierint.

Ad preces conversi v. 42 rogaverunt ut peccatum illud penitus deleretur, ne scil. pernicies et poena latius serperet, sicut olim v. g. ob unius delictum populus clade est punitus (cf. Ios. 7,1. 2 Sam. 21,1; 24,13). Ea opportunitate usus ὁ γενναῖος Ἰούδας, vir eximius, hortatus est τὸ πλῆθος turbam, ut sese conservarent inculpabiles. Collectione viritim facta, κατ' ἀνδρολογίαν, subsidia sibi comparavit, circiter duo millia drachmarum argentearum; vulg duodecim millia; S, 19. 64. 93

tria millia; quas misit in urbem, ut offerretur sacrificium περὶ ἁμαρτίας pro peccato; in vulg *pro peccatis mortuorum,* uti scil. sensus elucet ex subsequentibus et ipse auctor mentem Iudae interpretatur. Rem laudat auctor inspiratus : praeclare et egregie agens, de resurrectione cogitans; S : ut offerrent sacrificia pro illis, propter spem resurrectionis ex mortuis. Sacrificium pro mortuis offerri et hanc Iudae mentem ac sententiam describi ab auctore, clare etiam efficitur ex v. 44; *nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret* (προσεδόκα exspectaret) superfluum erat et nugatorium, ληρῶδες, pro mortuis orare. Omnes resurrecturos esse enuntiatur; sacrificio igitur non resurrectio erit pro iis impetranda, sed resurrectio beata, ut omni culpa et poena expiata laetam sortiantur resurrectionem. Ipsum sacrificium nominatur oratio, quia sacrificium pro peccato revera est petitio remissionis peccati, culpae et poenae, petitio scil. ipsa re et oblatione facta exhibita.

In v. 45 εἶτ' ἐμβλέπων additur altera quaedam consideratio, cur praeclare egerit Iudas; prior consideratio continetur ἀναλογίζομενος et v. 44; dein scil. perpendens, iis qui cum pietate dormierunt pulcherrimum repositum esse praemium (χαριστήριον), — sancta et pia cogitatio — quare pro mortuis expiationem peregit, ut a peccato solverentur. Ita graece; ut igitur cum iis qui pie defuncti sunt praemium sortirentur ipsi quoque, offerendum curavit sacrificium, quo a peccato expiarentur atque expiati, seu soluti a peccato, iis aequipararentur qui cum pietate obierant. Aliqui minusculi (19. 62. 64. 93) ita habent : sancta et salubri cogitatione pro mortuis perfecit expiationem, ut eis remitteretur peccatum. In vulg sensus quoque clare exprimitur. Textus graecus eo praestat, quia effertur sacrificio voluisse Iudam efficere, ut parem cum piis adipiscerentur resurrectionem; attende illud εἶτα... ὅθεν.

Nihil ex hoc loco colligi pro doctrina catholica de purgatorio existimat *Keil,* 1° quia quae auctor ex actione Iudae inferat, non firmiter consistunt; Iudas enim sacrificium pro peccato potuit velle, ne superstites ob illorum peccatum damnum experirentur, 2° quia neque Iudas neque auctor libri viri sunt spiritu Dei illustrati aut prophetae inspirati. — Sufficiat nobis ab auctore illam sententiam et Iudae attribui et vehementer commendari; testimonium evidens est praeterea de fide Iudaeorum illius temporis.

Etiam *Grimm* monet Iudam potuisse velle sacrificium in bonum superstitum; cf. v. 42. Sed auctor libri explicite aliud de Iuda enuntiat. Dein monet *Gr.* : si pro mortuis sacrificium offerendum curabat, ita fieri poterat, ut apud Deum iis impetraret remissionem poenarum

in orco (Hades). Optime; ita censet *Gr.* et nihilominus contendit nihil rite colligi pro doctrina purgatorii. Vir doctus non videtur suspicari quidnam illa doctrina contineatur; alioquin intellexisset se remissione illa poenarum in orco verissime adstruxisse illam ipsam quam impugnat doctrinam.

8. *Menelaus misere perit* 13,1-8.

13,1. *Anno centesimo quadragesimo nono cognovit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversus Iudaeam,* 2. *et cum eo Lysiam procuratorem et praepositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia et equitum quinque millia et elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos.* 3. *Commiscuit autem se illis et Menelaus et cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriae salute, sed sperans se constitui in principatum.* 4. *Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem, et suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit (ut eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari.* 5. *Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris; haec prospectum habebat in praeceps.* 6. *Inde in cinerem deiici iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum.* 7. *Et tali lege praevaricatorem legis contigit mori, nec terrae dari Menelaum.* 8. *Et quidem satis iuste; nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cuius ignis et cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est.*

13,1. Τῷ δὲ ἐννάτῳ καὶ τεσσαρακοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἔτει προςέπεσε τοῖς περὶ τὸν Ἰούδαν, Ἀντίοχον τὸν Εὐπάτορα παραγενέσθαι σὺν πλήθεσιν ἐπὶ τὴν Ἰουδαίαν, 2. καὶ σὺν αὐτῷ Λυσίαν τὸν ἐπίτροπον καὶ ἐπὶ τῶν πραγμάτων, ἕκαστον ἔχοντα δύναμιν Ἑλληνικὴν πεζῶν μυριάδας ἕνδεκα καὶ ἱππεῖς πεντακισχιλίους τριακοσίους καὶ ἐλέφαντας εἰκοσιδύο, ἅρματα δὲ ὀρεπανηφόρα τριακόσια. 3. Συνέμιξεν δὲ αὐτοῖς καὶ Μενέλαος καὶ παρεκάλει μετὰ πολλῆς εἰρωνείας τὸν Ἀντίοχον, οὐκ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς πατρίδος, οἰόμενος δὲ ἐπὶ τῆς ἀρχῆς κατασταθήσεσθαι. 4. Ὁ δὲ βασιλεὺς τῶν βασιλέων ἐξήγειρε τὸν θυμὸν τοῦ Ἀντιόχου ἐπὶ τὸν ἀλιτήριον, καὶ Λυσίου ὑποδείξαντος τοῦτον αἴτιον εἶναι πάντων τῶν κακῶν, προςέταξεν, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐν τῷ τόπῳ, προςαπολέσαι ἀγαγόντας αὐτὸν εἰς Βέροιαν. 5. Ἔστι δὲ ἐν τῷ τόπῳ πύργος πεντήκοντα πηχῶν πλήρης σποδοῦ, οὗτος δὲ ὄργανον εἶχε περιφερὲς πάντοθεν ἀπόκρημνον εἰς τὴν σποδόν. 6. Ἐνταῦθα τὸν ἱεροσυλίας ἔνοχον ἢ καί τινων ἄλλων κακῶν ὑπεροχὴν πεποιημένον, ἅπαντες προςωθοῦσιν εἰς ὄλεθρον. 7. Τοιούτῳ μόρῳ τὸν παράνομον συνέβη θανεῖν, μηδὲ τῆς γῆς τύχοντα Μενέλαον πάνυ δικαίως. 8. Ἐπεὶ γὰρ συνετελέσατο πολλὰ περὶ τὸν βωμὸν ἁμαρτήματα, οὗ τὸ πῦρ ἅγνὸν ἦν καὶ ἡ σποδὸς, ἐν σποδῷ τὸν θάνατον ἐκομίσατο.

Expeditio haec ea est de qua etiam refertur 1 Mach. 6,28-63; cur rex iterum bellum moverit in Iudaeos, partim explicatur 1 Mach. 6,20-27 et partim quoque declaratur iis quae modo cap. 12 exposita sunt, scil. clade Timotheo inflicta et prospero successu Iudaeorum. Regem ab ipsis impiis inter Iudaeos esse incitatum ad opprimendos pios Dei cultores et in libro priore (6,22 seq.) et hic v. 3 indicatur. Bellum ibi adscribitur anno 150 sel. (6,20), hic anno 149.

Rumor qui Iudaeis allatus est de hac expeditione, προςέπεσε τοῖς περὶ

τὸν Ἰούδαν, numerum militum nimis exaggeravit, cum (saltem ex textu graeco) et regi et Lysiae attribuerentur centum decem millia peditum, quinque millia trecenti equites, viginti duos elephantos, currus falcatos trecentos, ἕκαστον ἔχοντα: cf. 1 Mach. 6,30, ibi currus falcati non clare commemorantur, de iis cf. 1 Mach. 1,18; 6,28; eiusmodi curribus etiam Antiochus Magnus usus est (App. Syr. 32; Livius 37,40); eos ita describit Livius (37,41): « cuspides circa temonem ab iugo decem (? duo?) cubita exstantes velut cornua habebant, quibus quidquid obvium daretur transfigerent; et in extremis iugis binae circa eminebant falces, altera aequata iugo, altera inferior in terram devexa; illa, ut quidquid ab latere obiiceretur abscinderet; haec, ut prolapsos subeuntesque contingeret; item ab axibus rotarum utrinque binae eodem modo diversae deligabantur falces ». Menelaus, cf. 4,25 seq. 5,15 regem et Lysiam convenit, συνέμιξεν cf. 3,7; erat igitur unus ex illis, de quibus refertur 1 Mach. 6,22 seq. Impius ille a Iuda cultu restaurato ab imperio et sacerdotio erat remotus; quare regem et Lysiam ad bellum incitabat μετὰ πολλῆς εἰρωνείας multa cum simulatione i. e. ea loquebatur quae falsa esse sciebat, scil. per Iudam saevitum esse in populum (1 Mach. 6,24. 25), unum remedium esse, ut ipse cum suis plane deleretur; alias regnum ac dominationem regis consistere non posse nec terram iudaicam tranquillitate ac pace unquam potiri posse. Verum ei minime cordi erat salus et prosperitas populi, sed unum appetebat, ut iterum constitueretur pontifex, ἐπὶ τῆς ἀρχῆς, uti 4,10. 27; ut iterum dominari posset Iuda devicto.

Mortem Menelai Iosephus narrat bello hoc peracto ac pace conclusa (Ant. 12,9,7). Atque tum eum esse punitum probabilius est et etiam hac narratione indicatur, cum dicatur *suggerente Lysia eum esse causam omnium malorum*, id quod solum bene intelligitur bello haud feliciter ad finem perducto, quando in eius auctores et instigatores ira Lysiae eo magis efferbuit, quo confidentius illi antea facilem promiserant victoriam. Tum facile quoque erat furorem regis in Menelaum, hortatorem belli et sponsorem certae victoriae, excitare. Erat Menelaus sua suasione et simulatione et mendacio instigator ad bellum; ergo facile potuit eum Lysias traducere auctorem omnium malorum v. 4.

Atque Deo disponente Lysiae accusatio furorem regis provocavit; i. e. Deus suscitavit τὸν θυμὸν iram, indignationem regis: iussit eum abduci Beroeam et ibi secundum loci consuetudinem perire. Beroeam non nominat vulg; est Beroea urbs Syrorum inter Hierapolin et Antiochiam; S : Chaleb, i. e. Aleppo. Ibi erat turris 50 cubitorum, plena cineris, πλήρης σποδοῦ, σποδὸς praecipue dicitur de cinere sub quo adhuc

ardor quidem fervet latens; ista turris habebat ὄργανον περιφερὲς machinam versatilem, vertibilem, seu apparatum quendam, qui circumverti poterat, omni ex parte declivem in cinerem, praecipitantem in cinerem v. 5. Ibi itaque si quis sacrilegii reus aut aliorum malorum auctor fuerit, eum omnes in interitum propellunt v. 6 graece; illud ἅπαντες creat difficultatem; nam non omnes Beroeenses machinam illam torquent vel vertunt, ut facinorosus in cinerem deiectus vel comburatur vel suffocetur; ergo *omnes* qui in illa turri ad tale munus deputati sunt? sed cur *omnes*? S vocem omittit : includunt ibi sacrilegum (spoliatorem templi). Corrigendum censet *Niese* ἅραντες προωθοῦσιν. Poena in templi spoliatores decreta Menelaus obiit, qui ipse vasa e templo furatus erat et Lysimacho quoque auctor eiusdem sceleris exstiterat (cf. 4,32. 39). Tali itaque sorte v. 7 contigit ut exlex ille interiret neque sepultura potiretur. Id iusto iudicio evenisse monet auctor; nam multa peccavit in altare, cuius ignis et cineres sacri sunt; quare cinere mortem consecutus est.

9. *Tertia expeditio Lysiae* 13,9-26.

13,9. *Sed rex mente effrenatus veniebat nequiorem se patre suo Iudaeis ostensurus.* 10. *Quibus Iudas cognitis praecepit populo ut die ac nocte Dominum invocarent, quo, sicut semper, et nunc adiuvaret eos;* 11. *quippe qui lege et patria sanctoque templo privari verentur, ac populum qui nuper paululum respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi.* 12. *Omnibus itaque simul id facientibus et petentibus a Domino misericordiam cum fletu et ieiuniis per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Iudas, ut se praepararent.* 13. *Ipse vero cum senioribus cogitavit, prius quam rex admoveret exercitum ad Iudaeam, et obtineret civitatem, exire et Domini iudicio committere exitum rei.* 14. *Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, et exhortatus suos ut fortiter dimicarent et usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria et civibus starent, circa Modin exercitum constituit.* 15. *Et dato signo suis Dei victoriae, iuvenibus fortissimis electis nocte aggressus aulam*

13,9. Τοῖς δὲ φρονήμασιν ὁ βασιλεὺς βεβαρβαρωμένος ἤρχετο, τὰ χείριστα τῶν ἐπὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ γεγονότων ἐνδειξόμενος τοῖς Ἰουδαίοις. 10. Μεταλαβὼν δὲ Ἰοῦδας ταῦτα παρήγγειλε τῷ πλήθει δι' ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐπικαλεῖσθαι τὸν Κύριον, εἴ ποτε καὶ ἄλλοτε καὶ νῦν ἐπιβοηθεῖν τοῖς τοῦ νόμου καὶ πατρίδος καὶ ἱεροῦ ἁγίου στερεῖσθαι μέλλουσι, 11. καὶ τὸν ἄρτι βραχέως ἀνεψυχότα λαὸν μὴ ἐᾶσαι τοῖς δυςφήμοις ἔθνεσιν ὑποχειρίους γενέσθαι. 12. Πάντων δὲ τὸ αὐτὸ ποιησάντων ὁμοῦ καὶ καταξιωσάντων τὸν ἐλεήμονα Κύριον μετὰ κλαυθμοῦ καὶ νηστειῶν καὶ προπτώσεως ἐφ' ἡμέρας τρεῖς ἀδιαλείπτως, παρακαλέσας αὐτοὺς ὁ Ἰούδας ἐκέλευσε παραγίνεσθαι. 13. Καθ' ἑαυτὸν δὲ σὺν τοῖς πρεσβυτέροις γενόμενος ἐβουλεύσατο πρὶν εἰςβαλεῖν τοῦ βασιλέως τὸ στράτευμα εἰς τὴν Ἰουδαίαν καὶ γενέσθαι τῆς πόλεως ἐγκρατεῖς, ἐξελθόντας κρῖναι τὰ πράγματα τῇ τοῦ Κυρίου βοηθείᾳ. 14. Δοὺς δὲ τὴν ἐπιτροπὴν τῷ κτίστῃ τοῦ κόσμου, παρακαλέσας τοὺς σὺν αὐτῷ γενναίως ἀγωνίσασθαι μέχρι θανάτου περὶ νόμων, ἱεροῦ, πόλεως, πατρίδος, πολιτείας, ἐποιήσατο περὶ Μωδεῖν τὴν στρατοπεδείαν. 15. Δοὺς δὲ τοῖς περὶ αὐτὸν σύνθημα Θεοῦ νίκης, μετὰ νεανί-

regiam in castris interfecit viros quattuor millia et maximum elephantorum cum his qui superpositi fuerant; 16. summoque metu ac perturbatione hostium castra replentes rebus prospere gestis abierunt. 17. Hoc autem factum est die illucescente, adiuvante eum Domini protectione.

18. *Sed rex accepto gustu audaciae Iudaeorum arte difficultatem locorum tentabat; 19. et Bethsurae, quae erat Iudaeorum praesidium munitum, castra admovebat; sed fugabatur, impingebat, minorabatur. 20. His autem qui intus erant Iudas necessaria mittebat. 21. Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Iudaico exercitu qui requisitus comprehensus est et conclusus. 22. Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris, dextram dedit, accepit, abiit; 23. commisit cum Iuda, superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiae, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Iudaeos deprecans subditusque eis, iurat de omnibus quibus iustum visum est; et reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum et munera posuit. 24. Machabaeum amplexatus est et fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem et principem. 25. Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiae conventionem, indignantes ne forte foedus irrumperent. 26. Tunc ascendit Lysias tribunal et exposuit rationem et populum sedavit, regressusque est Antiochiam; et hoc modo regis profectio et reditus processit.*

σκων ἀρίστων κεκριμένων ἐπιβαλὼν νύκτωρ ἐπὶ τὴν βασιλικὴν αὐλὴν, τὴν παρεμβολὴν ἀνεῖλεν εἰς ἄνδρας δισχιλίους, καὶ τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων σὺν τῷ κατ' οἰκίαν ὄχλῳ συνέθηκε, 16. καὶ τὸ τέλος τὴν παρεμβολὴν δέους καὶ ταραχῆς ἐπλήρωσαν, καὶ ἐξέλυσαν εὐημεροῦντες 17. ὑποφαινούσης δὲ ἤδη τῆς ἡμέρας. τοῦτ' ἐγεγόνει διὰ τὴν ἐπαρήγουσαν αὐτῷ τοῦ Κυρίου σκέπην.

18. Ὁ δὲ βασιλεὺς εἰληφὼς γεῦμα τῆς τῶν Ἰουδαίων εὐτολμίας, κατεπείρασε διὰ μεθόδων τοὺς τόπους. 19. Καὶ ἐπὶ Βαιθσούροις φρούριον ὀχυρὸν τῶν Ἰουδαίων προσῆγεν, ἐτροποῦτο, προσέκρουεν, ἠλαττονοῦτο. 20. Τοῖς δὲ ἔνδον Ἰούδας τὰ δέοντα εἰσέπεμψε. 21. Προσήγγειλε δὲ τὰ μυστήρια τοῖς πολεμίοις Ῥόδοκος ἐκ τῆς Ἰουδαϊκῆς τάξεως· ἀνεζητήθη δὲ καὶ κατελήφθη καὶ κατεκλείσθη. 22. Ἐδευτερολόγησεν ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐν Βαιθσούροις, δεξιὰν ἔδωκεν, ἔλαβεν, ἀπῆει, προσέβαλε τοῖς περὶ τὸν Ἰούδαν, ἥττων ἐγένετο· 23. μετέλαβεν ἀπονενοῆσθαι τὸν Φίλιππον ἐν Ἀντιοχείᾳ τὸν ἀπολελειμμένον ἐπὶ τῶν πραγμάτων, συνεχύθη· τοὺς Ἰουδαίους παρεκάλεσεν, ὑπετάγη καὶ ὤμοσεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαίοις, συνελύθη καὶ θυσίαν προσήγαγεν, ἐτίμησε τὸν νεὼν καὶ τὸν τόπον ἐφιλανθρώπησε, 24. καὶ τὸν Μακκαβαῖον ἀπεδέξατο· κατέλιπε στρατηγὸν ἀπὸ Πτολεμαΐδος ἕως τῶν Γερρηνῶν Ἡγεμονίδην. 25. Ἦλθεν εἰς Πτολεμαΐδα. Ἐδυσφόρουν περὶ τῶν συνθηκῶν οἱ Πτολεμαεῖς, ἐδείναζον γὰρ ὑπὲρ ὧν ἠθέλησαν ἀθετεῖν τὰς διαστάλσεις. 26. Προσῆλθεν ἐπὶ τὸ βῆμα Λυσίας, ἀπελογήσατο ἐνδεχομένως, συνέπεισε, κατεπράϋνεν, εὐμενεῖς ἐποίησεν, ἀνέζευξεν εἰς Ἀντιόχειαν. Οὕτω τὰ τοῦ βασιλέως τῆς ἐφόδου καὶ τῆς ἀναζυγῆς ἐχώρησεν.

Pro v. 16.17 bene proponit *Niese* : και εξελυσαν ευημερουντες υποφαινουσης ηδη της ημερας· τουτο δ'εγεγονει δια etc. In v. 25 fertur quoque εδειλιαζον υπεραγαν· ηθελησαν etc.

Dicitur rex induisse sensus feroces in Iudaeos, ita ut iis infligere vellet multo atrociora quam iis a patre essent facta, τὰ χείριστα τῶν, habes hic superlativum qui ritu comparativorum genitivum post se habet; vel si accurate talia considerantur, non quidem simpliciter

superlativum poni docent pro comparativo, sed ut vim sibi propriam, at cum comparatione ad aliud quid retineat (cf. Vigeri, *Herm.* p. 67. 718) : eorum quae facta sunt pessima. Antiochus Eupator puer eo tempore erat; eius nomine et auctoritate Lysias cuncta disponebat. Ergo ira haec et barbaries et furor potius Lysiae erit, etiam ob Machabaei conatum arcem expugnandi (1 Mach. 6,19 seq.). Exercitu appropinquante Iudas quam maxime studuit ope divina implorata Deum sibi adiutorem adsciscere; εἴποτε καὶ ἄλλοτε καὶ νῦν tacita quadam comparatione : sicut alias etiam nunc, ut iis auxilium praestaret, qui in periculo sint, ne privarentur legibus, templo, patria v. 11. Ita per triduum cum fletu, ieiuniis καὶ προπτώσεως prostratione, ritu supplicantium Deum misericordem implorabant; tum iussit Iudas paratos esse ad congrediendum v. 12. Iudas autem καθ' ἑαυτὸν seorsum cum senioribus congressus, γενόμενος, decrevit, ut, antequam regis exercitus in Iudaeam irrumperet, exirent et rem auxilio Dei decernerent; κρῖναι decernere, decidere, diiudicare v. 13. Creatori igitur relinquens curam, τὴν ἐπιτροπὴν scil. dispensationem belli, Iudas exhortatus est suos, ut generose usque ad mortem pugnarent pro legibus etc, πολιτείας, pro gubernatione sancita, scil. pro ea ratione qua ipsi rempublicam administrare, res singulas disponere solebant, pro conformatione et disciplina rei publicae; dein castrametatus est circa Modin; de Modin cf. 1 Mach. 2,1; 9,19. De hoc eventu nihil refertur 1 Mach. 6,32 seq. Iudas suis tesseram dedit ((σύνθημα, cf. 8,23) : Dei (est) victoria, et noctu impetum fecit in tentorium regium (αὐλὴν), τὴν παρεμβολὴν (A, 23. 52. 55. 71 al), quoad castra interfecit duo millia (A, 44.52), S : tria millia, vulg quattuor millia; alii legunt ἐν τῇ παρεμβολῇ, lectio facilior est; S : abiit ad castra et irruit nocte in regis aulam. Item occidit τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων qui primum locum tenebat, eximium (?), vel qui in prima acie quasi dux constitui solebat, simul cum iis qui in turre (elephanto imposita) erant; hi sunt σὺν τῷ κατ' οἰκίαν ὄχλῳ : cum turba domo inclusa; συνέθηκε prostravit? hanc notionem S quoque exprimit. Et τὸ τέλος v. 16, postremo castra hostium terrore ac perturbatione repleverunt et prospero successu habito abierunt, ἐξέλυσαν cf. 12,18; die iam illucescente abierunt tuti, securi propter protectionem Dei iis auxilium ferentem.

Hic eventus ponendus erit ante obsidionem Bethsurae (1 Mach. 6,31); nam de oppugnatione locorum munitorum tandem v. 18 sermo infertur eamque susceptam esse dicitur *accepto gustu audaciae Iudaeorum;* nam tentabat per artificia loca occupare. Bethsuram obsedit (cf. 4,29 graece; 6,31); breviter tribus verbis sine ulla coniunctione describitur iteratum regis conatum in vanum cessisse :

fugabatur, impetum faciebat, vincebatur; προσέκρουεν *impingebat*, irruebat; de iterato conatu arcem expugnandi, a qua tandem re infecta recessit (cf. 1 Mach. 6,31). Sequitur in priore narratione pugna ad Bethzacharam 6,32-48; post quam tandem Bethsura in regis potestatem venit, quia militibus praesidiariis deerant alimenta 6,49. Ad hoc refertur hic Iudam quidem iis necessaria misisse v. 20; at Rodocum quendam militem Iudaeum secreta hostibus prodidisse, certe etiam, quando, qua via obsessis in Bethsura commeatus mitteretur; qua proditione factum est, ut tandem rex arce potiretur. Rex enim post priorem conatum ἐδευτερολόγησεν iterum egit cum militibus Bethsurae, pacem obtulit, quae accepta est; dextram dare signum est ac symbolum reconciliationis, pacis, amicitiae; dextram accipere, pacem obtinere : cf. 1 Mach. 6,49. 50.

Regressus a Bethsura exercitum suum direxit contra montem templi (1 Mach. 6,51); idem hic enuntiatur : προσέβαλε τοῖς περὶ Ἰούδαν : aggressus est Iudaeos; et statim additur exitus totius expeditionis : ἥττων ἐγένετο minor factus est, inferior erat. Qua ratione inferior revera fuerit, explicatur 1 Mach. 6,57 seq. « nam deficimus quotidie, esca modica, locus munitus; unde faciamus pacem. » Et ratio affertur in utraque narratione eadem : periculum imminens a Philippo; ἀπονοεῖσθαι insanire, desperata consilia agitare; τὸν ἀπολελειμμένον relictus erat, seu constitutus super negotia ab Antiocho Epiphane 1 Mach. 6,14. 15. 55. Hoc periculo commotus Lysias persuasit regi, ut pax fieret; et rex ὑπετάγη sese subiecit, accepit conditiones quas Iudaei postulabant, iuramento confirmavit; συνελύθη litem composuit, pacem inivit (cf. 1 Mach. 13,47), τὸν τόπον locum templi, montem et regionem templi ἐφιλανθρώπησε benevole tractavit, vulg munera posuit; Machabaeum quoque benigne excepit, ἀπεδέξατο; de iis quae 1 Mach. 6,62 narrantur, Iason eiusque epitomator nihil comperisse videntur. Nam si rex mandatum dedit, ut murus destrueretur, vix dicendus erat ἐφιλανθρώπησε τὸν τόπον. Verum dubitari potest, an dederit mandatum hoc audientibus Iudaeis, quibuscum modo in gratiam voluit redire. Horum offensionem adeo apertam eo tempore certo evitavit.

Secundum vulg et *fecit eum*, Machabaeus constitutus est dux orae maritimae; sed quod graece habetur κατέλιπε στρατηγὸν... Ἡγεμονίδην vix aliter capi potest quam : reliquit ducem Hegemonidem; nam si ad Machabaeum referretur, exspectandum esset κατέλιπε αὐτὸν (uti vulg fert); dein illud ἡγεμονίδην iam posito στρατηγὸν antea penitus abundaret; nec de Iuda, incola Iudaeae, apte diceretur : reliquit eum, quae dictio arguit virum regis comitem quem Ptolemaide ducem constituit (cf. *K.*). Ita S quoque sententiam accepit, ut Hegemonides nomen

proprium habeatur. A Ptolemaide ἕως τῶν Γερρηνῶν (cf. 1 Mach. 11,59 a terminis Tyri usque ad fines Aegypti); cogitandum erit de urbe Gerar, quae a Gaza spectat inter meridiem et ortum solis, ad quam referri videtur lectio Γεραρηρῶν (55). Urbs enim Gerron, Gerra, inter Pelusium et Rhinocoluram sita, iam non pertinebat ad ditionem Syriae (cf. *Gr. K.*). Quare emendari poterit Γεραρηνῶν, S Gazer.

Ptolemenses graviter ferebant pactiones illas; indignabantur enim de iis, quarum definitiones abrogare volebant v. 25; Iudaeis concessum erat, ut suis moribus viverent, Deum colerent, res suas administrarent (1 Mach. 6,59). Ex indignatione alienigenarum de tali concessione intelligitur, quanto odio habiti sint Iudaei. Lysias, auctor pactionis, eam quantum potuit ἐνδεχομένως, defendit eiusque reddidit rationem, ἐπὶ τὸ βῆμα ascenso suggestu, perorans ex suggestu, populo rem persuasit, eum sedavit, εὐμενεῖς benevolos eos effecit v. 26.

Multas in ea narratione contradictiones cum 1 Mach. 6,28-63 invenit *Gr.*; plerasque earum iam *K.* refutavit. Putat uterque ex errore Modin designari locum, ubi Iudas castra posuerit v. 14. Sed cum exercitus Syrorum tantus erat, facile fieri potuit ut non omnes cohortes eodem itinere incederent; quis poterit ostendere, unam partem non potuisse per oram maritimam iter facere? ne isti statim irruerent in Iudaeam, optime iis opponebantur castra in Modin. Neque ex modo narrationis sequitur, quae in v. 15 referuntur esse gesta circa Modin. Utique *Gr.* contendit pro eo facinore bellico non relinqui spatium in 1 Mach. 6. At ubinam ibi singula per singulos dies ita seriatim et accurate describuntur, ut quis iure asserere posset incursum illum nocturnum non potuisse fieri? Quae de Bethsura v. 19 exponuntur, congruunt cum 6,31; quae v. 22 dicuntur, eadem sunt 6,49. Quodsi semel vel bis contigerit, ut Iudas eis alimenta mitteret, nondum sequitur quod *Gr.* vult, eos semper habuisse necessaria. Nonne v. 21 satis innuitur proditione Rhodoci illa subsidia esse impedita? Demum ἥττων ἐγένετο non dicitur rex in proelio victus; dictio illa bene adhibetur, quia rex demum id concessit, quod eius consilio Iudaeos penitus destruendi plane e contrario erat oppositum.

10. *Alcimus regem ad bellum instigat* 14,1-14.

14,1. *Sed post triennii tempus cognovit Iudas et qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cum multitudine valida et navibus per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna,* 2. *et tenuisse regiones adversus Antiochum et ducem*

14,1. Μετὰ δὲ τριετῆ χρόνον προσέπεσε τοῖς περὶ τὸν Ἰούδαν, Δημήτριον τὸν τοῦ Σελεύκου διὰ τοῦ κατὰ Τρίπολιν λιμένος εἰς-πλεύσαντα μετὰ πλήθους ἰσχυροῦ καὶ στόλου, 2. κεκρατηκέναι τῆς χώρας ἐπανελόμενον Ἀντίοχον καὶ τὸν τούτου ἐπίτροπον Λυσίαν.

eius Lysiam. 3. Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntarie coinquinatus est temporibus commistionis, considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare, 4. venit ad regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream et palmam, super haec et thallos, qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit. 5. Tempus autem opportunum dementiae suae nactus, convocatus a Demetrio ad consilium et interrogatus quibus rebus et consiliis Iudaei niterentur, 6. respondit : ipsi qui dicuntur Assidaei Iudaeorum, quibus praeest Iudas Machabaeus, bella nutriunt et seditiones movent nec patiuntur regnum esse quietum; 7. nam et ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni; 8. primo quidem utilitatibus regis fidem servans, secundo autem etiam civibus consulens; nam illorum pravitate universum genus nostrum non minime vexatur. 9. Sed oro his singulis, o rex, cognitis, et regioni et generi secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus prospice; 10. nam quamdiu superest Iudas, impossibile est pacem esse negotiis.

11. Talibus autem ab hoc dictis et ceteri amici hostiliter se habentes adversus Iudam inflammaverunt Demetrium, 12. qui statim Nicanorem praepositum elephantorum ducem misit in Iudaeam, 13. datis mandatis ut ipsum quidem Iudam caperet, eos vero qui cum illo erant dispergeret et constitueret Alcimum maximi templi summum sacerdotem. 14. Tunc gentes quae de Iudaea fugerant Iudam, gregatim se Nicanori miscebant, miserias et clades Iudaeorum prosperitates rerum suarum existimantes.

3. Ἄλκιμος δέ τις προγενόμενος ἀρχιερεὺς ἑκουσίως δὲ μεμολυμμένος ἐν τοῖς τῆς ἐπιμιξίας χρόνοις, συννοήσας ὅτι καθ' ὁντιναοῦν τρόπον οὐκ ἔστιν αὐτῷ σωτηρία, οὐδὲ πρὸς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον ἔτι πρόσοδος, 4. ἧκε πρὸς τὸν βασιλέα Δημήτριον πρώτῳ καὶ πεντηκοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἔτει, προσάγων αὐτῷ στέφανον χρυσοῦν καὶ φοίνικα, πρὸς δὲ τούτοις τῶν νομιζομένων θαλλῶν τοῦ ἱεροῦ, καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡσυχίαν ἔσχε. 5. Καιρὸν δὲ λαβὼν τῆς ἰδίας ἀνοίας συνεργὸν, προσκληθεὶς εἰς συνέδριον ὑπὸ τοῦ Δημητρίου καὶ ἐπερωτηθεὶς, ἐν τίνι διαθέσει καὶ βουλῇ καθεστήκασιν οἱ Ἰουδαῖοι, πρὸς ταῦτα ἔφη· 6. οἱ λεγόμενοι τῶν Ἰουδαίων Ἀσιδαῖοι, ὧν ἀφηγεῖται Ἰούδας ὁ Μακκαβαῖος, πολεμοτροφοῦσι καὶ στασιάζουσιν, οὐκ ἐῶντες τὴν βασιλείαν εὐσταθείας τυχεῖν. 7. Ὅθεν ἀφελόμενος τὴν προγονικὴν δόξαν, λέγω δὴ τὴν ἀρχιερωσύνην, δεῦρο νῦν ἐλήλυθα, 8. πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῶν ἀνηκόντων τῷ βασιλεῖ γνησίως φρονῶν, δεύτερον δὲ καὶ τῶν ἰδίων πολιτῶν στοχαζόμενος· τῇ μὲν γὰρ τῶν προειρημένων ἀλογιστίᾳ τὸ σύμπαν ἡμῶν γένος οὐ μικρῶς ἀκληρεῖ. 9. Ἕκαστα δὲ τούτων ἐπεγνωκὼς σὺ, βασιλεῦ, καὶ τῆς χώρας καὶ τοῦ περιισταμένου γένους ἡμῶν προνοήθητι καθ' ἣν ἔχεις πρὸς ἅπαντας εὐαπάντητον φιλανθρωπίαν. 10. Ἄχρι γὰρ Ἰούδας περίεστιν, ἀδύνατον εἰρήνης τυχεῖν τὰ πράγματα.

11. Τοιούτων δὲ ῥηθέντων ὑπὸ τούτου θᾶττον οἱ λοιποὶ φίλοι δυςμενῶς ἔχοντες τὰ πρὸς τὸν Ἰούδαν προςεπύρωσαν τὸν Δημήτριον· 12. προςκαλεσάμενος δὲ εὐθέως Νικάνορα τὸν γενόμενον ἐλεφαντάρχην, καὶ στρατηγὸν ἀναδείξας τῆς Ἰουδαίας ἀπέστειλε, 13. δοὺς ἐπιστολὰς αὐτὸν μὲν τὸν Ἰούδαν ἐπανελέσθαι, τοὺς δὲ σὺν αὐτῷ σκορπίσαι, καταστῆσαι δὲ Ἄλκιμον ἀρχιερέα τοῦ μεγίστου ἱεροῦ. 14. Οἱ δὲ ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας πεφυγαδευκότες τὸν Ἰούδαν ἔθνη συνέμισγον ἀγεληδὸν τῷ Νικάνορι, τὰς τῶν Ἰουδαίων ἀτυχίας καὶ συμφορὰς ἰδίας εὐημερίας δοκοῦντες ἔσεσθαι.

Quale triennium intelligatur, vide supra ad 10,3. Alii numerant a 13,1 ubi commemoratur annus 149 et hic v. 4 annus 151, ita ut uterque terminus a quo et ad quem simul computetur, uti simili ratione

dicitur Christus post dies tres resurrexisse (*Gr. K.*) vel a morte Antiochi Epiphanis et ab accessu Antiochi Eupatoris (*Lap. Calm.*). De Demetrio vide 1 Mach. 7,1. Cum paucis comitibus appulit Tripolim; sed cum gaudio exceptus a Tripoli cum copiis collectis et apparatu bellico expeditionem suscepit. Verba graeca ab aliquibus ita intelliguntur, ut Demetrius dicatur in portum Tripolis introisse cum magno exercitu et navibus, id quod non sine gravi errore affirmetur (*Gr. Ks.*). Verum advertenda sunt duo: nam διὰ τοῦ λιμένος non est *in* portum introire, sed verti debet: postquam in portu cum multitudine valida et navibus navem conscendit; dein attendi oportet προσέπεσε τοῖς, nuntius iis allatus est (cf. 13,1); fama autem de magna multitudine facile spargi potuit, imo fere debuit quam primum innotuit eum occupasse regionem et Antiocho et Lysiae eius curatori mortem intulisse. Tripolis est urbs Phoenicum, inter Byblum et Aradum, a Sidone septemtrionem versus; nomen accepit a tribus coloniis harum trium urbium, ex quibus ipsa coaluit; hodie Tarabulus. A Tripoli navigaverit Demetrius usque ad Seleuciam Pieriam, inde profectus in regni caput, Antiochiam, sedit super sedem regni sui (1 Mach. 7,2). Quomodo dici possit ἐπανελόμενον, vide l. c. v. 3. 4.

De Alcimo cf. 1 Mach. 7,5 seq. προγενόμενος vel προγεγονὼς (A. 106. 19. 62. 64. 93) ἀρχιερεύς, antea factus summus sacerdos; in 62. 64. 19. 93 additur τις ὁ καὶ Ἰάκειμος, Ἰάκιμος etiam appellatur apud Iosephum (Ant. 12,9,7 et 20,10), qui dicit eum mortuo Menelao pontificem statutum esse. Pace autem Iudaeis concessa cum venia vivendi secundum legem (13,23) Alcimus tempore commistionis (quo scil. multi Iudaeorum sub Antiocho Epiphane mores graecos imitati a lege et cultu defecerant) apostataverat, spontanea superstitione pollutus, τῆς ἐπιμιξίας, quam lectionem S quoque cum vulg tuetur. Praebet A ἀμιξίας cum aliquot minusculis, et ita *Swete*, *Fr.* textum ediderunt; est tempus ἀμιξίας, proprie tempus discordiae, factionum, tempus quo separatio a gentibus observari debebat; cf. ad v. 38. Alcimus igitur moribus alienigenarum pollutus vidit, quamdiu Iudas potestate valeret, sibi nullam superesse spem sacerdotii; quare subsidium quaerit apud Demetrium, cui attulit coronam auream (cf. 1 Mach. 10,29) φοίνικα ramum palmarem (cf. 1 Mach. 13,37) et praeterea de consuetis ramis (olivarum) templi, τῶν νομιζομένων, νομίζεσθαι in nativa significatione: esse in consuetudine, assuefieri, solere. Alcimus regi qui modo regnum capessivit officium praestat, offerens coronam et palmam, ut reverentiam et subiectionem populi et reipublicae exhibeat, offerens ramos olivarum, sicuti a sacerdotibus templi regi in signum honoris dari solebant (cf. *Gr.*). Quae tria simul considerari possunt symbola di-

gnitatis, victoriae, pacis. Assignatur annus 151 graece et S; 150 vulg et ex ratione temporis in hoc libro potius exspectares annum 150, uti vulg habet. Alcimum sese contulisse ad regem narratur 1 Mach. 7,5, iterum 7,25, nostro loco et 2 Mach. 14, 26. Unde ter regem adiit. Quaestio est, utrum haec nostra narratio de primo an de secundo aditu valeat. Quia hic statim v. 12 Nicanor mittitur, aliqui narrationem referunt ad secundum, i. e. ad 1 Mach. 7,25, nec quidquam obstat. Nam signa illa reverentiae et obsequii poterant certe etiam tum praestari; quae conqueritur de Iuda, fere etiam 7,25 insinuantur. Poterat auctor priorem illum ad regem adventum et expeditionem Bacchidis omittere; nam in illa haud multum effectum est.

Mox opportunitatem nactus est querelas regi proponendi; tempus favens et quasi cooperans ipsius dementiae, pravitati v. 5; vocatur scil. a rege εἰς συνέδριον in consessum interrogatur, in quanam animorum dispositione versentur Iudaei et quid consilii agitent. Accusat pios Dei cultores, i. e. Iudaeos legis observantes, ac si isti continuo bella moventes, rebelles, inimici regni regnum quiete frui omnino non paterentur; Assidaei, cf. 1 Mach. 2,42; 7,13. Secundum Iosephum Alcimus mortuo Menelao factus est pontifex (Ant. 12,9,7), itaque iam ab Antiocho Eupatore; unde iam in primo suo ad Demetrium accessu potuit dicere ἀφελόμενος, si vero ad alterum narratio spectat, respicitur eius in Iudaeam dominatio, quae ei a Bacchide commissa erat et a qua per Iudam cohibitus est (1 Mach. 7,20 seq.). Dicit τὴν προγονικὴν δόξαν quae sibi per maiores debeatur; erat enim ex progenie Aaron (1 Mach. 7,14). Ut rem suam regi persuadeat, primo ait γνησίως φρονῶν se sincere sollicitum esse de iis quae regi conveniant, de eius iuribus, dominatione, obsequiis ei praestandis; secundo στοχαζόμενος, ait se curam gerere suorum quoque civium; nam τῇ ἀλογιστίᾳ temeritate, insano agendi modo Assidaeorum et Iudae universam gentem amittere possessionem, ἀκληρεῖ redditur expers hereditatis, possessionis, spoliatur, fit misera v. 8. Monet dein regem, ut postquam haec omnia bene cognoverit (inquisitione? facta), prospiciat regioni et generi Iudaeorum afflicto, τοῦ περιισταμένου γένους ἡμῶν, proprie quod circumsistitur, i. e. affligitur, vexatur; sermonem condit aliqua adulatione: κατὰ, pro comi tua in omnes benevolentia v. 9. Et concludit ratione gravi v. 10 superstite Iuda res regni nunquam posse pacifice consistere.

Alcimo ita perorante, etiam reliqui aulici, φίλοι, familiares regis (qui hoc titulo utebantur), qui male affecti erant in Iudam, festinabant amplius regem ad iram incitare, προεπύρωσαν. Cum pergat narratio εὐθέως, de secundo accessu Alcimi ad regem sermo institui videtur. Nicanor, qui antea erat in re militari praepositus elephantorum,

magister elephantorum (ut Livius habet 37,41), mittitur in Iudaeam v. 12; ἐντολὰς, sed A, S et plures minusculi ἐπιστολάς mandata scripto data v. 13, ut scil. Iudam removeret, ἐπανελέσθαι e medio tollere, S occidere, socios eius et commilitones ut dispergeret et Alcimum institueret summum sacerdotem maximi templi; cur maximi? putatne Demetrius habere Iudaeos plura templa, et Alcimum praeficiendum esse maximo? si additur ab auctore ad venerationem templi commendandam, vide 2,20 et 5,15.

Ad Nicanorem confluxerunt magno numero, ἀγεληδὸν turmatim, catervatim, qui antea propter Iudam per Iudaeam ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας fuga dilapsi erant; putabant scil. isti alienigenae miserias Iudaeorum suas fore prosperitates v. 14; S qui fugerant ex terra Iuda; sed ἐπὶ contra est.

11. *Nicanor prius pacifice agit cum Iuda, dein dolose* 14,15-36.

14,15. *Audito itaque Iudaei Nicanoris adventu et conventu nationum, conspersi terra rogabant eum qui populum suum constituit, ut in aeternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit.* 16. *Imperante autem duce statim inde moverunt convenerunt-que ad castellum Dessau.* 17. *Simon vero frater Iudae commiserat cum Nicanore, sed conterritus est repentino adventu adversariorum.* 18. *Nicanor tamen audiens virtutem comitum Iudae et animi magnitudinem, quam pro patriae certaminibus habebant, sanguine iudicium facere metuebat.* 19. *Quam ob rem praemisit Posidonium et Theodotium et Matthiam, ut darent dextras atque acciperent.* 20. *Et cum diu de his consilium ageretur, et ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium una fuit sententia amicitiis annuere.* 21. *Itaque diem constituerunt, qua secreto inter se agerent; et singulis sellae prolatae sunt et positae.* 22. *Praecepit autem Iudas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur; et congruum colloquium fecerunt.*

23. *Morabatur autem Nicanor Ierosolymis, nihilque inique agebat, gregesque turbarum quae congregatae fuerant dimisit.* 24. *Habebat autem Iudam semper carum ex animo et erat viro incli-*

14,15. Ἀκούσαντες δὲ τὴν τοῦ Νικάνορος ἔφοδον καὶ τὴν ἐπίθεσιν τῶν ἐθνῶν, καταπασάμενοι γῆν ἐλιτάνευον τὸν ἄχρι αἰῶνος συστήσαντα τὸν ἑαυτοῦ λαὸν, ἀεὶ δὲ μετ' ἐπιφανείας ἀντιλαμβανόμενον τῆς ἑαυτοῦ μερίδος. 16. Προστάξαντος δὲ τοῦ ἡγουμένου ἐκεῖθεν εὐθέως ἀναζεύξας συμμίσγει αὐτοῖς ἐπὶ κώμην Δεσσαού. 17. Σίμων δὲ ὁ ἀδελφὸς Ἰούδα συμβεβληκὼς ἦν τῷ Νικάνορι, βραδέως δὲ διὰ τὴν αἰφνίδιον τῶν ἀντιπάλων ἀφασίαν ἐπταικώς. 18. Ὅμως δὲ ἀκούων ὁ Νικάνωρ ἣν εἶχον οἱ περὶ τὸν Ἰούδαν ἀνδραγαθίαν καὶ ἐν τοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀγῶσιν εὐψυχίαν, ὑπευλαβεῖτο τὴν κρίσιν δι' αἱμάτων ποιήσασθαι. 19. Διόπερ ἔπεμψε Ποσιδώνιον καὶ Θεόδοτον καὶ Ματταθίαν δοῦναι καὶ λαβεῖν δεξιάς. 20. Πλείονος δὲ γενομένης περὶ τούτων ἐπισκέψεως καὶ τοῦ ἡγουμένου τοῖς πλήθεσιν ἀνακοινωσαμένου, καὶ φανείσης ὁμοψήφου γνώμης, ἐπένευσαν ταῖς συνθήκαις. 21. Ἐτάξαντο δὲ ἡμέραν ἐν ᾗ κατ' ἰδίαν ἥξουσιν εἰς τὸ αὐτό· καὶ προῆλθε, παρ' ἑκάστου δίφραξ, ἔθεσαν δίφρους. 22. Διέταξεν Ἰούδας ἐνόπλους ἑτοίμους ἐν τοῖς ἐπικαίροις τόποις, μήποτε ἐκ τῶν πολεμίων αἰφνιδίως κακουργία γένηται, τὴν ἁρμόζουσαν ἐποιήσαντο κοινολογίαν.

23. Διέτριβεν ὁ Νικάνωρ ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ ἔπραττεν οὐθὲν ἄτοπον, τοὺς δὲ συναχθέντας ἀγελαίους ὄχλους ἀπέλυσε. 24. Καὶ εἶχε τὸν Ἰούδαν διὰ παντὸς ἐν προσώπῳ, ψυχικῶς τῷ ἀνδρὶ προσεκέκλιτο. 25. Παρεκάλεσεν αὐτὸν

natus. 25. *Rogavitque eum ducere uxorem filiosque procreare; nuptias fecit; quiete egit, communiterque vivebant.* 26. *Alcimus autem videns caritatem illorum ad invicem et conventiones, venit ad Demetrium et dicebat Nicanorem rebus alienis assentire, Iudamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse.* 27. *Itaque rex exasperatus et pessimis huius criminationibus irritatus scripsit Nicanori dicens graviter quidem se ferre de amicitiae conventione, iubere tamen Machabaeum citius vinctum mittere Antiochiam.* 28. *Quibus cognitis Nicanor consternabatur et graviter ferebat, si ea quae convenerant irrita faceret, nihil laesus a viro.* 29. *Sed quia regi resistere non poterat, opportunitatem observabat, qua praeceptum perficeret.*

30. *At Machabaeus videns secum austerius agere Nicanorem et consuetum occursum ferocius exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis occultavit se a Nicanore.* 31. *Quod cum ille cognovit fortiter se a viro praeventum, venit ad maximum et sanctissimum templum, et sacerdotibus solitas hostias offerentibus iussit sibi tradi virum.* 32. *Quibus cum iuramento dicentibus nescire se ubi esset qui quaerebatur, extendens manum ad templum,* 33. *iuravit dicens: nisi Iudam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam et altare effodiam et templum hoc Libero patri consecrabo.* 34. *Et his dictis abiit. Sacerdotes autem protendentes manus in coelum invocabant eum qui semper propugnator esset gentis ipsorum, haec dicentes:* 35. *Tu, Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuae fieri in nobis.* 36. *Et nunc, sancte sanctorum, omnium Domine, conserva in aeternum impollutam domum istam, quae nuper mundata est.*

γῆμαι καὶ παιδοποιήσασθαι· ἐγάμησεν, εὐστάθησεν, ἐκοινώνησε βίου. 26. Ὁ δὲ Ἄλκιμος συνιδὼν τὴν πρὸς ἀλλήλους εὔνοιαν καὶ τὰς γενομένας συνθήκας ἀναλαβὼν, ἦκε πρὸς τὸν Δημήτριον καὶ ἔλεγε τὸν Νικάνορα ἀλλότρια φρονεῖν τῶν πραγμάτων· τὸν γὰρ ἐπίβουλον τῆς βασιλείας Ἰούδαν διάδοχον ἀναδέδειχεν ἑαυτοῦ. 27. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἔκθυμος γενόμενος καὶ ταῖς τοῦ παμπονήρου ἐρεθισθεὶς διαβολαῖς, ἔγραψε Νικάνορι φάσκων ὑπὲρ μὲν τῶν συνθηκῶν βαρέως φέρειν, κελεύων δὲ τὸν Μακκαβαῖον δέσμιον ἐξαποστέλλειν ταχέως εἰς Ἀντιόχειαν. 28. Προςπεσόντων δὲ τούτων τῷ Νικάνορι, συνεκέχυτο καὶ δυςφόρως ἔφερεν, εἰ τὰ διεσταλμένα ἀθετήσει μηδὲν τἀνδρὸς ἠδικηκότος. 29. Ἐπεὶ δὲ τῷ βασιλεῖ ἀντιπράττειν οὐκ ἦν, εὔκαιρον ἐτήρει στρατηγήματι τοῦτ' ἐπιτελέσαι.

30. Ὁ δὲ Μακκαβαῖος αὐστηρότερον διεξάγοντα συνιδὼν τὸν Νικάνορα τὰ πρὸς αὐτὸν καὶ τὴν εἰθισμένην ἀπάντησιν ἀγριωτέραν ἐσχηκότα, νοήσας οὐκ ἀπὸ τοῦ βελτίστου τὴν αὐστηρίαν εἶναι, συστρέψας οὐκ ὀλίγους τῶν περὶ ἑαυτὸν, συνεκρύπτετο τὸν Νικάνορα. 31. Συγγνοὺς δὲ ὁ ἕτερος ὅτι γενναίως ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἐστρατήγηται, παραγενόμενος ἐπὶ τὸ μέγιστον καὶ ἅγιον ἱερὸν, τῶν ἱερέων τὰς καθηκούσας θυσίας προςαγόντων, ἐκέλευσε παραδιδόναι τὸν ἄνδρα. 32. Τῶν δὲ μεθ' ὅρκων φασκόντων μὴ γινώσκειν ποῦ ποτ' ἐστὶν ὁ ζητούμενος, προτείνας τὴν δεξιὰν εἰς τὸν νεὼ ταῦτα ὤμοσεν· 33. ἐὰν μὴ δέσμιόν μοι τὸν Ἰούδαν παραδῶτε, τόνδε τὸν τοῦ Θεοῦ σηκὸν εἰς πεδίον ποιήσω, καὶ τὸ θυσιαστήριον κατασκάψω, καὶ ἱερὸν ἐνταῦθα τῷ Διονύσῳ ἐπιφανὲς ἀναστήσω. 34. Τοσαῦτα δὲ εἰπὼν ἀπῆλθεν· οἱ δὲ ἱερεῖς προτείναντες τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπεκαλοῦντο τὸν διὰ παντὸς ὑπέρμαχον τοῦ ἔθνους ἡμῶν, ταῦτα λέγοντες. 35. Σὺ Κύριε τῶν ὅλων ἀπροςδεὴς ὑπάρχων, εὐδόκησας ναὸν τῆς σῆς σκηνώσεως ἐν ἡμῖν γενέσθαι. 36. Καὶ νῦν, ἅγιε παντὸς ἁγιασμοῦ Κύριε, διατήρησον εἰς αἰῶνα ἀμίαντον τόνδε τὸν προςφάτως κεκαθαρισμένον οἶκον.

Iudaei more solito oratione et habitu lugentium ac poenitentium se praeparabant audita Nicanoris incursione et invasione gentium; effun-

debant terra conspersi preces ad Deum, qui usque in aeternum populum suum constituit sibi proprium (cf. Ex. 3,15; 28,29. Ier. 31, 36 etc.), et semper μετ' ἐπιφανείας evidenter, opem tulit hereditati suae, populo quem sibi in peculium elegit (Ex. 19,5; cf. 1,26). Terra conspersi se Domino sistunt profitentes simul se impotes esse eiusque auxilium cum animorum demissione implorantes et habitu tristium ac lugentium eius provocantes misericordiam. Hac praeparatione facta v. 16 profecti sunt et cum hostibus congressi ad vicum Dessau (ceteroquin ignotum; S דשי, ergo דישי tritura?), ἀναζεύξας συμμίσγει A, 23. 44. 55 al; vulgo ἀνέζευξαν καὶ συμμίσγουσιν, vulg. S. In ea dimicatione Simon cum suis detrimentum accepit v. 17; βραδέως A, 19. 44. 55 al; vulgo βραχέως i. e. pro brevi tempore ἐπταικώς acies eius nutabat; vel βραδέως lente acies nutabat; vel levem cladem accepit, διὰ τὴν αἰφνίδιον propter repentinam consternationem (ἀφασίαν obstupefactionem qua quis elinguis reddatur) quae ab hostibus irruentibus erat iniecta. Sensum bene declarat vulg : repentino adventu conterritus; hostes videntur irruptionem fecisse in aciem Simonis subito eo loco et tempore, ubi is minime id exspectavit. At quamvis attoniti tamen ea virtute et robore pugnabant, ut Nicanor vereretur ferro et sanguine rem decernere v. 18, εὐψυχία animositas, alacritas quam in pugna pro patria exhibuerant; δι' αἱμάτων per caedes scil. rem ad exitum perducere, per pugnam cruentam.

Quapropter misit Nicanor tres viros qui pacem offerrent et acciperent (cf. 13,22) v. 19, i. e. ut ea proponerent quibus pax utrimque accipi, concludi posset. Deliberatum est de pacis conditionibus; eae cum copiis quoque communicatae sunt; omnium sententia cum esset concors, annuerunt foederibus, consenserunt foedera esse concludenda. Constituerunt diem, quando soli in eundem locum convenirent; scil. Iudas et Nicanor; κατ' ἰδίαν privatim, ergo soli duces duo; προῆλθε venit Iudas ad colloquium; sellas posuerunt, παρ' ἑκάστου ab utraque parte sella erat; vulgo legitur διαφόρους δίφρους i. e. eximias, sublimes, bene elaboratas sellas, scil. prout dignitati colloquentium congruebat. Iudas prudenter caverat, ne forte insidiis caperetur; v. 22 διέταξεν constituerat armatos; congruum colloquium, i. e. quod utriusque decebat dignitatem, fecerunt. Quid effectum sit, ex sequentibus colligendum est. Nicanor quiete degit in urbe; copias collectas catervatim dimisit, ἀγελαίους gregatim, per greges. Iudam autem habebat semper ἐν προσώπῳ (hebraismo לפני?) coram se v. 24, conversabatur cum eo, vulg habuit eum carum (similiter S), ψυχικῶς (4,37) ex animo ei bene voluit, ei erat deditus. Eum exhortabatur, ut in matrimonium duceret, scil. ut se vitae quietae dederet omissa belli gerendi ratione. Et Iudas duxit

uxorem, εὐστάθησεν, feliciter vivebat, ἐκοινώνησε βίου particeps fuit vitae, fruebatur tranquillitate ac deliciis vitae.

Initio itaque Nicanor familiariter cum Iuda conversatus cuncta pacifice componere studuit. Verum mox propter malitiam Alcimi et nova regis mandata mentem mutavit. De priore illa familiaritate tacetur 1 Mach. 7; ibi enim a v. 27 Nicanor iam inimicus describitur. Sed propterea non est statim arguendum, hanc nostram narrationem esse confictam. Nam bene ratio redditur, cur voluerit Nicanor pacifice agere v. 18, et parva illa Simonis clades, etiam teste *Gr.*, certe non est excogitata ab auctore. Sicut itaque in hac parte suppletur narratio prioris libri, ita hanc narrationem libri secundi oportet complere ex priore libro v. g. pugna illa ad Capharsalama facta (1 Mach. 7,31). Ex v. 18 simul cernitur ratio, cur Nicanor mandata regis accurate exsequi veritus subiectionem Iudaeorum modo pacifico obtinere tentaverat. Unde singulae partes narrationis bene inter se cohaerent.

Alcimi indignatio ex eo inflammatur, quia eius consilia, approbata regiis ad Nicanorem mandatis, minime a Nicanore in opus deducuntur v. 26. Cum itaque videret mutuam inter ambos benevolentiam et foedus initum, sese iterum contulit ad regem eique aperuit Nicanorem excogitare, moliri quae aliena essent a regni negotiis; ἀναλαβὼν secum sumpsit foedus conclusum, i. e. exemplar foederis, ut illo regi ostenso accusationem suam firmaret; vulg verbum omisit, sicut S quoque; immo ipsum regni insidiatorem, Iudam, ab eo designatum esse successorem suum, successorem scil. Alcimi in sacerdotio. Nicanor nihil in rebus Iudaeorum internis et sacris mutavit; quare etiam Alcimum non constituit pontificem; nam talem pontificem Iudas neutiquam admisisset. Alcimus denuo bonum nactus est successum apud regem; nam viri huius facinorosissimi παμπονήρου διαβολαῖς calumniis lacessitus, irritatus rex scripsit Nicanori se aegre ferre foedus conclusum, et praecipere ut Machabaeum vinctum cito mitteret Antiochiam. Hoc nuntio Nicanor obstupefactus est, συνεκέχυτο cf. 13,23, consternatus est, et aegre ferebat, cum Iudas in nulla re quidquam deliquisset, si foedus conclusum dissolveret; εἰ ponitur pro ὅτι et declaratur εἰ quia initio Nicanor exhibeatur dubius, deliberans, utrum dissolveret τὰ διεσταλμένα conclusa necne (cf. *Gr. K.*). Verum, si qua erat haesitatio, non diu permansit; nam οὐκ ἦν, fieri non potuit ut regi obniteretur; quare opportunitatem attendebat rem dolo, stratagemate, perficiendi (cf. 1 Mach. 7,27-29). Iudas autem quam primum advertit Nicanorem non iam uti consueta comitate, verum prae se ferre pro solita benevolentia animum frigidum, statim intellexit illam austeritatem mali esse augurii; quare collectis non paucis suorum se abscondit a Nicanore;

οὐκ ὀλίγους, ita S quoque; vulg. *paucis suorum congregatis*. Omittitur in hac narratione pugna apud Capharsalama (1 Mach. 7,31). Cum itaque neque dolo neque bello Iudam capere posset et intelligeret se e contra a viro arte esse circumventum, quippe qui statim insidiis se subtraxisset γενναίως generose, nihil mali in eum molitus, Nicanor minis obtentis propositum attingere statuit. Accessit scil. ad templum et dum sacerdotes solitas offerrent hostias iussit tradi Iudam. Sacerdotes cum iuramentis affirmant se nescire ubi lateat Iudas. Nicanor autem manum versus templum extendens iurat : nisi Iudam mihi tradideritis, hoc Dei templum solo aequabo et altare destruam et hic sanctuarium splendidum erigam Baccho (cf. 6,7, Baccho cultum exhibere iubebantur). Censet *Gr.* quia Nicanor iam semel expertus et confessus sit potentiam Dei protectoris Iudaeorum, plane improbabile esse eum postea talia loqui potuisse. Verum recte reponit *K.* qui ea inter se conciliari non posse existimet, aperte prodere se parum cognitam habere indolem et naturam animi humani.

Sacerdotes recurrunt ad arma efficacia, ad preces et supplicationes; tu Domine τῶν ὅλων ἀπροσδεὴς ὑπάρχων nullius rei indigens, vulg τῶν ὅλων bis expressit, sicut S quoque (S etiam : extenderunt manus ad habitantem in coelo); Deus qui bene sibi placuit templum habitationis suae habere inter suos, censendus est illud conservari velle (cf. 3 Reg 8,27 seq.); quare maxima cum fiducia rogant v. 36, ἅγιε παντὸς ἁγιασμοῦ auctor scil. omnis sanctitatis, qui itaque sanctitatem ubique florere vult, et proinde etiam templum suum ab omni profanatione tutum servari vult. Nuper mundatum est insigni Dei beneficio; ergo orant : tantum opus, tantum beneficium non sit cassum!

12. *Facinus Raziae* 14,37-46.

14,37. *Razias autem quidam de senioribus ab Ierosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis et bene audiens, qui pro affectu pater Iudaeorum appellabatur.* 38. *Hic multis temporibus continentiae propositum tenuit in Iudaismo, corpusque et animam tradere contentus pro perseverantia.* 39. *Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Iudaeos, misit milites quingentos; ut eum comprehenderent.* 40. *Putabat enim, si illum decepisset, se cladem Iudaeis maximam illaturum.* 41. *Turbis autem irruere in domum eius et ianuam*

14,37. Ῥαζὶς δέ τις τῶν ἀπὸ Ἱεροσολύμων πρεσβυτέρων ἐμηνύθη τῷ Νικάνορι ἀνὴρ φιλοπολίτης καὶ σφόδρα καλῶς ἀκούων καὶ κατὰ τὴν εὔνοιαν πατὴρ τῶν Ἰουδαίων προσαγορευόμενος. 38. Ἦν γὰρ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις τῆς ἀμιξίας κρίσιν εἰσενηνεγμένος Ἰουδαϊσμοῦ καὶ σῶμα καὶ ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ παραβεβλημένος μετὰ πάσης ἐκτενίας. 39. Βουλόμενος δὲ Νικάνωρ πρόδηλον ποιῆσαι ἣν εἶχε πρὸς τοὺς Ἰουδαίους δυσμένειαν, ἀπέστειλε στρατιώτας ὑπὲρ τοὺς πεντακοσίους συλλαβεῖν αὐτόν. 40. Ἔδοξε γὰρ ἐκεῖνον συλλαβὼν τούτοις ἐργάσασθαι συμφοράν. 41. Τῶν δὲ πληθῶν μελλόντων τὸν

disrumpere atque ignem admovere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio se petiit; 42. eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus et contra natales suos indignis iniuriis agi. 43. Sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, et turbae intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, praecipitavit semetipsum viriliter in turbas.

44. Quibus velociter locum dantibus casui eius venit per mediam cervicem. 45. Et cum adhuc spiraret, accensus animo surrexit, et cum sanguis eius magno fluxu deflueret et gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit, 46. et stans supra quandam petram praeruptam et iam exsanguis effectus, complexus intestina sua utrisque manibus proiecit super turbas, invocans dominatorem vitae ac spiritus, ut haec illi iterum redderet; atque ita vita defunctus est.

πύργον καταλαβέσθαι καὶ τὴν αὐλαίαν θύραν βιαζομένων καὶ κελευόντων πῦρ προσάγειν καὶ τὰς θύρας ὑφάπτειν, περικατάληπτος γενόμενος ὑπέθηκεν ἑαυτῷ τὸ ξίφος· 42. εὐγενῶς θέλων ἀποθανεῖν, ἤπερ τοῖς ἀλιτηρίοις ὑποχείριος γενέσθαι καὶ τῆς ἰδίας εὐγενείας ἀναξίως ὑβρισθῆναι. 43. Τῇ δὲ πληγῇ μὴ κατευθικτήσας διὰ τὴν τοῦ ἀγῶνος σπουδὴν, καὶ τῶν ὄχλων εἴσω τῶν θυρωμάτων εἰσβαλόντων, ἀναδραμὼν γενναίως ἐπὶ τὸ τεῖχος, κατεκρήμνισεν ἑαυτὸν ἀνδρωδῶς εἰς τοὺς ὄχλους.

44. Τῶν δὲ ταχέως ἀναποδισάντων, γενομένου διαστήματος, ἦλθε κατὰ μέσον τὸν κενεῶνα. 45. Ἔτι δὲ ἔμπνους ὑπάρχων καὶ πεπυρωμένος τοῖς θυμοῖς, ἐξαναστὰς φερομένων κρουνηδὸν τῶν αἱμάτων καὶ δυσχερῶν ὄντων τῶν τραυμάτων, δρόμῳ τοὺς ὄχλους διελθὼν, 46. καὶ στὰς ἐπί τινος πέτρας ἀπορρῶγος, παντελῶς ἔξαιμος ἤδη γενόμενος, προβαλὼν τὰ ἔντερα καὶ λαβὼν ἑκατέραις ταῖς χερσὶν ἐνέσεισε τοῖς ὄχλοις, καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸν δεσπόζοντα τῆς ζωῆς καὶ τοῦ πνεύματος ταῦτα αὐτῷ πάλιν ἀποδοῦναι, τόνδε τὸν τρόπον μετήλλαξεν.

Nicanor, ut minis suis pondus adderet et momentum Iudaeosque perterrefaceret, et suum in eos odium ac contemptum exemplo exhiberet, avide usus est occasione qua ei Razis, vir nobilis et omnium aestimatione honoratissimus, denuntiabatur tamquam qui maxime legis observantiam tuitus esset. Nomen fertur quoque Ραξεις, Ραξης, Ραχις; S Ragesch; Ραζις fere nos remittit ad רִזִּי macies, tabes, pernicies; erit itaque cognomen viro ex eventu luctuoso additum. Laudes viri sunt: erat amicus civium, boni itaque communis studiosus, optima fama apud omnes insignis, ob benevolentiam appellatus pater Iudaeorum; iste Nicanori denuntiatus est. Cur? affertur ratio graece v. 38, ἦν γὰρ, item S; is enim prioribus temporibus τῆς ἀμιξίας[1] incommistionis (*Lap.*), segregationis (a gentibus, *Calm.*), fugae commercii cum paganis, proprie discordiae invexerat discrimen Iudaismi, vel decretum i. e. quam maxime contulerat, ut Iudaismus purus conservaretur; *continentiae* tempora (vulg) eodem modo explica, quibus scil. sese a commercio moribusque alienigenarum continebant, continere debebant. Et pro Iudaismo corpus et animam, vitam, cum

1. In psalterio Salom. 2,14 legitur de hoc tempore : θυγατέρες Ἱερουσαλὴμ... ἐμίαινον ἑαυτὰς ἐν φυρμῷ ἀναμιξίας (cf. *Gr.*).

omni contentione periculis obtulerat; pro tuenda paterna institutione omnia prodere, vitae periculum adire paratus erat. Ad hunc itaque comprehendendum misit milites quingentos; tot selegit, ut Iudaeos terreret et efficaciter cohiberet ne resisterent. Illo enim capto, utpote viro eximio, existimabat se Iudaeis afferre calamitatem magnam; συλλαβών vulg *decepisset*; Salianus iam censuit legendum esse *cepisset*. Cum Iudas lateret, fortasse huius viri prudentia et consilio res administrabantur; eo itaque amoto damnum Iudaeis inferri pronum erat concludere; et cum Iudam capere non potuisset, voluit regi capto altero suam promptitudinem demonstrare.

Cum turmae militum iam in eo essent, ut turrim (in qua erat) occuparent et cum infringerent, vi aperirent αὐλαίαν θύραν ianuam atrii, qua in atrium, in vestibulum aditus patet, et cum ignem admoveri et ianuas incendi iuberent, περικατάληπτος γενόμενος iam prope erat ut comprehenderetur; quod ut vitaret, *gladio se petiit*; nam maluit generose mori quam subditus fieri flagitiosis hominibus et contumeliose tractari, id quod propriam nobilitatem plane dedeceret; ἀναξίως. « Hic fuit sensus Raziae, uti fuit aliorum nobilium huius saeculi, qui generosum putant mori potius quam ludibria indigna pati » (*Lap.*). Sed propter festinationem pugnae (ἀγῶνος periculi? quia periculo exigebatur festinatio), quia incursus in eum factus festinationem exigebat, μὴ κατευθυκτήσας ictu non bene tetigit, non ita in gladium incubuit, ut mortem sibi inferret, non eam corporis partem ictu confodit, qua transverberata mors sequeretur. Quare, cum turbae per ianuas irrumperent, ipse forti animo in murum (turris) celeriter ascendit et ἀνδρωδῶς sicut virum fortem decet, virili virtute se praecipitem dedit in turbas. Istis retro cedentibus cum intervallum fieret, cecidit in medium locum vacuum (τὸν κενεῶνα); κενεών in graecitate posteriore spatium vacuum significat; antea potissimum significabat ilia, inguina, i. e. vacuum illud inter costas et femur. Unde alii vertunt : in media ilia, in ventrem cecidit; vulg *venit per mediam cervicem*, cecidit ita ut mediam cervicem ad humum allideret (*Lap.*), in ventrem aut latus cecidit. Sed cum antea dicatur turbas recessisse, seu locum dedisse, certe intelligendum est eum cecidisse in intervallum illud turbis recedentibus exortum, i. e. in locum vacuum inter murum et turbam. S hanc partem omisit : isti statim ut viderunt, recesserunt et dederunt locum, et cum adhuc viveret etc.

Sed ne isto quidem casu vitam finivit; etiam tum adhuc spirans, furore accensus, quamvis fontis instar sanguis erumperet et vulnera essent molesta, cursu per turbas transiit et stetit supra saxum quoddam praeruptum; et iam penitus exsanguis extraxit viscera et ea

ambabus manibus complexus proiecit, incussit ἐνέσεισε ea super turbas, invocans Dominum vitae et spiritus, ut haec sibi restitueret. Spem itaque et fidem resurrectionis profitetur. Et in illis vocibus vitam finivit.

Qua mente, quo animo Razias sibi mortem intulerit, auctor exponit. Putabat quippe Razias iis in conditionibus, ne a scelestis illis captus indigna ludibria sustineret in ignominiam religionis et patriae, esse occisionem sui ipsius licitam, honestam, nobilem, generosam, viro forti ac nobili plane dignam. Ergo certissime ipsi persuasum erat sibi esse mortem eligendam. Id quoque ex eo colligitur, quod exhibetur vir pius, legis constanter observans, qui a contaminatione morum alienigenarum religiose abstinuit et iamiam moriturus pia invocatione Dei fidem suam profitetur. Haec auctor refert mentem eius declarans. Verum quid ipse auctor de isto facinore sentiat, non aperit. Razias suae conscientiae dictamen secutus recte egit. Alia est quaestio liceatne in universum in iisdem conditionibus sibi mortem inferre. — De hoc facinore Raziae sat multa praebent Serarius, Lap. Calm.

13. *Iudas suos confortat ad pugnandum* 15,1-16.

15,1. *Nicanor autem, ut comperit Iudam esse in locis Samariae, cogitavit cum omni impetu die sabbati committere bellum.* 2. *Iudaeis vero, qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus : ne ita ferociter et barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, et honora eum qui universa conspicit.* 3. *Ille infelix interrogavit, si est potens in coelo qui imperavit agi diem sabbatorum.* 4. *Et respondentibus illis : est Dominus vivus ipse in coelo potens, qui iussit agi septimam diem;* 5. *at ille ait : et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma et negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut consilium perficeret.*

6. *Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus cogitaverat commune trophaeum statuere de Iuda;* 7. *Machabaeus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum;* 8. *et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente habe-*

15,1. Ὁ δὲ Νικάνωρ μεταλαβὼν τοὺς περὶ τὸν Ἰούδαν ὄντας ἐν τοῖς κατὰ Σαμάρειαν τόποις, ἐβουλεύσατο τῇ τῆς καταπαύσεως ἡμέρᾳ μετὰ πάσης ἀσφαλείας αὐτοῖς ἐπιβαλεῖν. 2. Τῶν δὲ κατ' ἀνάγκην συνεπομένων αὐτῷ Ἰουδαίων λεγόντων· μηδαμῶς οὕτως ἀγρίως καὶ βαρβάρως ἀπολέσῃς, δόξαν δὲ ἀπομέρισον τῇ προτετιμημένῃ ὑπὸ τοῦ πάντα ἐφορῶντος μεθ' ἁγιότητος ἡμέρᾳ· 3. ὁ δὲ τρισαλιτήριος ἐπηρώτησεν, εἰ ἔστιν ἐν οὐρανῷ δυνάστης ὁ προστεταχὼς ἄγειν τὴν τῶν σαββάτων ἡμέραν; 4. τῶν δὲ ἀποφηναμένων· ἔστιν ὁ Κύριος ζῶν αὐτὸς ἐν οὐρανῷ δυνάστης ὁ κελεύσας ἀσκεῖν τὴν ἑβδομάδα· 5. ὁ δὲ ἕτερος, κἀγώ, φησί, δυνάστης ἐπὶ τῆς γῆς ὁ προστάσσων αἴρειν ὅπλα καὶ τὰς βασιλικὰς χρείας ἐπιτελεῖν. Ὅμως οὐ κατέσχεν ἐπιτελέσαι τὸ σχέτλιον αὐτοῦ βούλημα.

6. Καὶ ὁ μὲν Νικάνωρ μετὰ πάσης ἀλαζονείας ὑψαυχενῶν διεγνώκει κοινὸν τῶν περὶ τὸν Ἰούδαν συστήσασθαι τρόπαιον· 7. ὁ δὲ Μακκαβαῖος ἦν ἀδιαλείπτως πεποιθὼς μετὰ πάσης ἐλπίδος ἀντιλήψεως τεύξασθαι παρὰ τοῦ Κυρίου. 8. Καὶ παρεκάλει τοὺς σὺν αὐτῷ μὴ δειλιᾶν τὴν τῶν ἐθνῶν ἔφοδον, ἔχοντας δὲ

rent adiutoria sibi facta de coelo et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. 9. Et allocutus eos de lege et prophetis, admonens etiam certamina quae fecerant prius, promptiores constituit eos. 10. Et ita animis eorum erectis simul ostendebat gentium fallaciam et iuramentorum praevaricationem. 11. Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastae munitione, sed sermonibus optimis, et exhortationibus, exposito digno fide somnio per quod universos laetificavit.

12. *Erat autem huiuscemodi visus : Oniam qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudaeorum. 13. Post hoc apparuisse et alium virum, aetate et gloria mirabilem et magni decoris habitudine circa illum. 14. Respondentem vero Oniam dixisse : hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei. 15. Extendisse autem Ieremiam dextram et dedisse Iudae gladium aureum dicentem : 16. Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.*

κατὰ νοῦν τὰ προγεγονότα αὐτοῖς ἀπ' οὐρανοῦ βοηθήματα, καὶ τὰ νῦν προσδοκᾶν τὴν παρὰ τοῦ παντοκράτορος ἐσομένην αὐτοῖς νίκην. 9. Καὶ παραμυθούμενος αὐτοὺς ἐκ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, προσυπομνήσας δὲ αὐτοὺς καὶ τοὺς ἀγῶνας οὓς ἦσαν ἐκτετελεκότες, προθυμοτέρους αὐτοὺς κατέστησε. 10. Καὶ τοῖς θυμοῖς διεγείρας αὐτοὺς, παρήγγειλεν ἅμα παρεπιδεικνὺς τὴν τῶν ἐθνῶν ἀθεσίαν καὶ τὴν τῶν ὅρκων παράβασιν. 11. Ἕκαστον δὲ αὐτῶν καθοπλίσας οὐ τὴν ἀσπίδων καὶ λογχῶν ἀσφάλειαν, ὡς τὴν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς λόγοις παράκλησιν, καὶ προεξηγησάμενος ὄνειρον ἀξιόπιστον ὕπαρ τι πάντας εὔφρανεν.

12. Ἦν δὲ ἡ τούτου θεωρία τοιάδε· Ὀνίαν τὸν γενόμενον ἀρχιερέα, ἄνδρα καλὸν καὶ ἀγαθὸν, αἰδήμονα μὲν τὴν ἀπάντησιν, πρᾷον δὲ τὸν τρόπον καὶ λαλιὰν προιέμενον πρεπόντως, καὶ ἐκ παιδὸς ἐκμεμελετηκότα πάντα τὰ τῆς ἀρετῆς οἰκεῖα, τοῦτον τὰς χεῖρας προτείναντα κατεύχεσθαι τῷ παντὶ τῶν Ἰουδαίων συστήματι. 13. Εἶθ' οὕτως ἐπιφανῆναι ἄνδρα πολιᾷ καὶ δόξῃ διαφέροντα, θαυμαστὴν δέ τινα καὶ μεγαλοπρεπεστάτην εἶναι τὴν περὶ αὐτὸν ὑπεροχήν. 14. Ἀποκριθέντα δὲ τὸν Ονίαν εἰπεῖν· ὁ φιλάδελφος οὗτός ἐστιν ὁ πολλὰ προσευχόμενος περὶ τοῦ λαοῦ καὶ τῆς ἁγίας πόλεως, Ἱερεμίας ὁ τοῦ Θεοῦ προφήτης. 15. Προτείναντα δὲ τὸν Ἱερεμίαν τὴν δεξιὰν παραδοῦναι τῷ Ἰούδᾳ ῥομφαίαν χρυσῆν, διδόντα δὲ προσφωνῆσαι τάδε·

16. Λάβε τὴν ἁγίαν ῥομφαίαν, δῶρον παρὰ τοῦ Θεοῦ, δι' ἧς θραύσεις τοὺς ὑπεναντίους.

Nicanor audiens Iudaeos esse in locis Samariae (cf. 1 Mach. 7,39), statuit eos aggredi die sabbati μετὰ πάσης ἀσφαλείας cum omni securitate; scil. sperabat eo die Iudaeos non esse paratos ad pugnam neque suspicaturos incursionem; Iudaeos autem sese defensuros esse, si impeterentur, ignorare non poterat, cum certe de ea re a Iudaeis esset edoctus (cf. 1 Mach. 2,41). Incautos itaque opprimere voluit. Iudaei autem qui coacti in eius exercitu erant eum ab hoc consilio dimovere studebant; ita irruere in Iudaeos die requiei esse crudele et barbarum; honorem tribue diei, qui a Deo antea (antequam homines eum diem honorarent) cum sanctitate fuerat honoratus, cui Deus ab initio honorem diei sancti contulerit. Deus hunc diem a communibus et profanis segregatum voluit haberi sanctum. Nicanor autem ὁ τριξαλιτήριος ter facinorosus, scil. ob insolentiam qua contra Deum sese extulit,

audiens Deum in coelo potentem iussisse agi diem sabbati, non veretur quasi Deum irridens dicere : se esse potentem in terra, ideoque eo ipso die se iubere sumi arma et negotia regis perfici; τὴν ἑβδομάδα cf. 6,11; ὁ Κύριος ζῶν una notione Dominus vivus, cum allusione ad idola vita carentia; ἀσκεῖν celebrare. Qua re impeditus fuerit Nicanor, ne sabbato irrueret in Iudaeos, non narratur v. 5. Nicanor non utique tenebatur ad sabbati legem servandam, cum Iudaeus non esset; nihilominus variis rationibus eius consilium σχέτλιον βούλημα dicitur : debuit revereri legem divinam Iudaeis impositam; cum ipse iam agnoverit potentiam Dei protectoris Iudaeorum (8,36), eius sermo v. 5 vere blasphemus est; incautos opprimere idque in odium obsequii religiosi pessimum erat consilium.

Et Nicanor quidem sibi proposuit publicum monumentum victoriae de Iudaeis reportatae erigere; ἀλαζονεία iactantia; ostentatio; ὑψαυχενῶν alta, erecta cervice incedens; insolenter se gerens v. 6. E contra Machabaeus v. 7 spem in Deo collocabat; et quam ipse habebat firmam fidem et confidentiam, etiam in suis excitare, fovere, augere studebat v. 8; ex ope divinitus antea collata efficacem petebat rationem spei augendae; καὶ τὰ νῦν etiam nunc (cf. 1 Mach. 7,35). Et eos confortabat, animum erigere, consolari studebat παραμυθούμενος v. 9, ex promissis et exemplis auxilii divini contentis in lege et apud prophetas; unum exemplum vide 1 Mach. 7,41 ea occasione propositum. Praeterea iis in memoriam revocabat quam fortiter et feliciter iam saepius pugnassent. Ad excitandos animos etiam addidit mentionem de perfidia gentium et de periuriis; cf. perfidiam Apollonii 5,25, Ioppitarum 12,5; Iamnitarum 12,8 et generatim 1 Mach. 5,2 seq.; iuramentum violavit Antiochus Eupator 1 Mach. 6,62, Lysias qui pace conclusa (2 Mach. 11,13 seq.) mox denuo bellum movit (13,2 seq.). Hac perfidia commemorata et odium in perfidos excitatur et Deus ultor et vindex iniuriarum ad poenas perfidis infligendas provocatur; unde spes et fiducia victoriae augetur; παρήγγειλεν, de duce militari imperante quid fieri oporteat v. 10; vocem omiserunt vulg, S.

Postquam eos armavit, non tam securitate clypeorum ac lancearum, quam (ὡς) exhortatione illa quae in bonis sermonibus consistit, etiam enarrans somnium fide dignum omnes gaudio affecit; ita graece; somnium accuratius describitur addito ὄπαρ τι vera quaedam visio, ergo somnium tam clarum, distinctum quasi vera quaedam species ac visio vigilanti oblata; S non somnium effert sed visionem quam vidit; vulg omittit ὄπαρ τι; fertur lectio ὑπέρ τι (A, 23. 52. 74. 93; εἴπερ τι) magis fide dignum quam quidquam, scil. formatur comparativus particula ὑπὲρ non raro apud LXX. In somnio ei exhibitus est

Onias, cf. 3,1. 5; 4,1 qui expansis manibus orabat pro tota natione (συστήματι) Iudaeorum. Qualis vir fuerit Onias describitur : fuerat pontifex, egregius, modestus in conversatione seu commercio cum aliis, mitis moribus, sermonem proferens cum decore, cum dignitate, qui a puero sedulo operam dederat omnibus quae ad virtutem proprie pertinent. Hac laude viri eius quoque intercessio pro populo commendatur, cum vera virtute vir semper maxime cordi habeat civium salutem. Praeter Oniam ei ostensus est alius vir canitie et splendore eximius, οὕτως scil. ita, uti Onias scil. expansis manibus orans; circa eum erat admirabilis quaedam et magnificentissima maiestas v. 13. Qui ab Onia declaratur esse Ieremias propheta; uti olim in vita, ita post mortem quoque fratrum est amator et supplex pro illis orat. Et qualem effectum habiturae sint orationes horum duorum, declaratur v. 16 : datur Iudae gladius aureus, munus a Deo, gladius sanctus, quia ad opera pro Deo praestanda, ad vindictam iniuriarum, ad salutem populo Dei comparandam datur — quo symbolo certa victoria praesignatur.

Intercessio sanctorum « pro universa ecclesia in genere » etiam in libris doctrinalibus protestantium docetur (cf. Confess. August. et Apol. Conf. art. 21; *Gr. K.*); at negatur rite fieri invocationem sanctorum. Bene adnotat *Gr.* parvum solummodo passum esse ab illa intercessione ad hanc invocationem. Et revera, si possunt intercedere et orare pro nobis, pronum est, ut nos eos rogemus, ut id faciant.

14. *Clades et mors Nicanoris* 15,17-37.

15,17. *Exhortati itaque Iudae sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus et animi iuvenum confortari, statuerunt dimicare et confligere fortiter, ut virtus de negotiis iudicaret, eo quod civitas sancta et templum periclitarentur.* 18. *Erat enim pro uxoribus et filiis itemque pro fratribus et cognatis minor sollicitudo; maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi.* 19. *Sed et eos qui in civitate erant non minima sollicitudo habebat pro his qui congressuri erant.* 20. *Et cum iam omnes sperarent iudicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiae equitesque opportuno in loco compositi,* 21. *considerans Machabaeus adventum multitudinis et*

15,17. Παρακληθέντες δὲ τοῖς Ἰούδα λόγοις πάνυ καλοῖς καὶ δυναμένοις ἐπ' ἀρετὴν παρορμῆσαι καὶ ψυχὰς νέων ἐπανδρῶσαι, διέγνωσαν μὴ στρατοπεδεύεσθαι, γενναίως δὲ ἐμφέρεσθαι καὶ μετὰ πάσης εὐανδρίας ἐμπλακέντες κρῖναι τὰ πράγματα, διὰ τὸ καὶ τὴν πόλιν καὶ τὰ ἅγια καὶ τὸ ἱερὸν κινδυνεύειν. 18. Ἦν γὰρ ὁ περὶ γυναικῶν καὶ τέκνων, ἔτι δὲ ἀδελφῶν καὶ συγγενῶν ἐν ἥττονι μέρει κείμενος αὐτοῖς, μέγιστος δὲ καὶ πρῶτος ὁ περὶ τοῦ καθηγιασμένου ναοῦ φόβος. 19. Ἦν δὲ καὶ τοῖς ἐν τῇ πόλει κατειλημμένοις οὐ πάρεργος ἀγωνία ταρασσομένοις τῆς ἐν ὑπαίθρῳ προςβολῆς. 20. Καὶ πάντων ἤδη προςδοκώντων τὴν ἐσομένην κρίσιν, καὶ ἤδη συμμιξάντων τῶν πολεμίων καὶ τῆς στρατιᾶς ἐκταγείσης καὶ τῶν θηρίων ἐπὶ μέρος εὔκαιρον ἀποκατασταθέντων τῆς τε ἵππου κατὰ κέρας

apparatum varium armorum et ferocitatem bestiarum, extendens manus in coelum prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. 22. Dixit autem invocans hoc modo : tu Domine qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Iuda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia, 23. et nunc dominator coelorum mitte angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui, 24. ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit.

25. *Nicanor autem et qui cum ipso erant cum tubis et canticis admovebant. 26. Iudas vero et qui cum eo erant invocato Deo per orationes congressi sunt; 27. manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes prostraverunt non minus triginta quinque millia, praesentia Dei magnifice delectati. 28. Cumque cessassent et cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. 29. Facto itaque clamore et perturbatione excitata patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. 30. Praecepit autem Iudas qui per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris et manum cum humero abscissam Ierosolymam perferri.*

31. *Quo cum pervenisset, convocatis contribulibus et sacerdotibus ad altare accersiit et eos qui in arce erant. 32. Et ostenso capite Nicanoris et manu nefaria quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei magnifice gloriatus est, 33. linguam etiam impii Nicanoris praecisam iussit particulatim avibus dari, manum autem dementis contra templum suspendi. 34. Omnes igitur coeli benedixerunt Dominum, dicentes : benedictus qui locum suum incontaminatum servavit. 35. Suspendit*

τεταγμένης, 21. συνιδὼν ὁ Μακκαβαῖος τὴν τῶν πληθῶν παρουσίαν καὶ τῶν ὅπλων τὴν ποικίλην παρασκευὴν τήν τε τῶν θηρίων ἀγριότητα, προτείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπεκαλέσατο τὸν τερατοποιὸν Κύριον, γινώσκων ὅτι οὐκ ἔστι δι' ὅπλων, καθὼς δὲ ἂν αὐτῷ κριθῇ τοῖς ἀξίοις περιποιεῖται τὴν νίκην. 22. Ἔλεγε δὲ ἐπικαλούμενος τόνδε τὸν τρόπον· σὺ, δέσποτα, ἀπέστειλας τὸν ἄγγελόν σου ἐπὶ Ἐζεκίου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας, καὶ ἀνεῖλεν ἐκ τῆς παρεμβολῆς Σενναχηρεὶμ εἰς ἑκατὸν ὀγδοηκονταπέντε χιλιάδας, 23. καὶ νῦν, δυνάστα τῶν οὐρανῶν, ἀπόστειλον ἄγγελον ἀγαθὸν ἔμπροσθεν ἡμῶν εἰς δέος καὶ τρόμον, 24. μεγέθει βραχίονός σου καταπλαγείησαν οἱ μετὰ βλασφημίας παραγενόμενοι ἐπὶ τὸν ἅγιόν σου λαόν. Καὶ οὗτος μὲν ἐν τούτοις ἔληξεν.

25. Οἱ δὲ περὶ τὸν Νικάνορα μετὰ σαλπίγγων καὶ παιάνων προςῆγον. 26. Οἱ δὲ περὶ τὸν Ἰούδαν μετ' ἐπικλήσεως καὶ εὐχῶν συνέμιξαν τοῖς πολεμίοις· 27. καὶ ταῖς μὲν χερσὶν ἀγωνιζόμενοι, ταῖς δὲ καρδίαις πρὸς τὸν Θεὸν εὐχόμενοι, κατέστρωσαν οὐδὲν ἧττον μυριάδων τριῶν καὶ πεντακισχιλίων, τῇ τοῦ Θεοῦ μεγάλως εὐφρανθέντες ἐπιφανείᾳ. 28. Γενόμενοι δὲ ἀπὸ τῆς χρείας καὶ μετὰ χαρᾶς ἀναλύοντες, ἐπέγνωσαν προπεπτωκότα Νικάνορα σὺν τῇ πανοπλίᾳ. 29. Γενομένης δὲ κραυγῆς καὶ ταραχῆς, εὐλόγουν τὸν δυνάστην τῇ πατρίῳ φωνῇ. 30. Καὶ προςέταξεν ὁ καθ' ἅπαν σώματι καὶ ψυχῇ πρωταγωνιστὴς ὑπὲρ τῶν πολιτῶν, ὁ τὴν τῆς ἡλικίας εὔνοιαν εἰς ὁμοεθνεῖς διαφυλάξας, τὴν τοῦ Νικάνορος κεφαλὴν ἀποτεμόντας καὶ τὴν χεῖρα σὺν τῷ ὤμῳ φέρειν εἰς Ἱεροσόλυμα.

31. Παραγενόμενος δὲ ἐκεῖ καὶ συγκαλέσας τοὺς ὁμοεθνεῖς καὶ τοὺς ἱερεῖς πρὸ τοῦ θυσιαστηρίου στήσας, μετεπέμψατο τοὺς ἐκ τῆς ἄκρας. 32. Καὶ ἐπιδειξάμενος τὴν τοῦ μιαροῦ Νικάνορος κεφαλὴν καὶ τὴν χεῖρα τοῦ δυςφήμου, ἣν ἐκτείνας ἐπὶ τὸν ἅγιον τοῦ παντοκράτορος οἶκον ἐμεγαλαύχησε, 33. καὶ τὴν γλῶσσαν τοῦ δυςσεβοῦς Νικάνορος ἐκτεμὼν, ἔφη κατὰ μέρος δώσειν τοῖς ὀρνέοις, τὰ δὲ ἐπίχειρα τῆς ἀνοίας κατέναντι τοῦ ναοῦ κρεμάσαι. 34. Οἱ δὲ πάντες εἰς τὸν οὐρανὸν εὐλόγησαν τὸν ἐπιφανῆ Κύριον λέγοντες· εὐλογητὸς ὁ διατηρήσας τὸν ἑαυτοῦ τόπον ἀμίαντον. 35. Ἐξέδησε

autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset et manifestum signum auxilii Dei. 36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate praeterire; 37. habere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar, quod dicitur voce syriaca, pridie Mardochaei diei.

δὲ τὴν τοῦ Νικάνορος προτομὴν ἐκ τῆς ἄκρας ἐπίδηλον πᾶσι καὶ φανερὸν τῆς τοῦ Κυρίου βοηθείας σημεῖον. 36. Ἐδογμάτισαν δὲ πάντες μετὰ κοινοῦ ψηφίσματος μηδαμῶς ἐᾶσαι ἀπαρασήμαντον τήνδε τὴν ἡμέραν, 37. ἔχειν δὲ ἐπίσημον τὴν τρισκαιδεκάτην τοῦ δωδεκάτου μηνὸς, Ἄδαρ λέγεται τῇ συριακῇ φωνῇ, πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Μαρδοχαϊκῆς ἡμέρας.

Confortati Iudae sermonibus valde bonis et aptis ad fortitudinem excitandam et ad animos iuvenum roborandos, ἐπανδρῶσαι (A, 19. 23. 44. 52. al.) vulgo ἐπανορθῶσαι erigendos, statuerunt μὴ στρατοπεδεύεσθαι non castra ponere (μὴ etiam S effert) sed fortiter, generose hostes aggredi et cum omni virili robore comminus pugnantes, ἐμπλακέντες, rem ad finem perducere, rem decernere, κρῖναι τὰ πράγματα; cf. 13,13, eo quod et urbs et instituta sacra, τὰ ἅγια, et templum in summo essent periculo. Istud periculum eos summopere tenuit anxios et sollicitos, adeo ut minor timor iis esset de familia et de cognatis; maximus autem et praecipuus, πρῶτος, timor eos sollicitos haberet de consecrato templo v. 18; eius itaque profanationem praeprimis metuebant. Haud levi angore etiam tenebantur qui in urbe relicti erant, quippe qui anxii erant et animis perturbati ταρασσόμενοι ob proelium subdio committendum, τῆς ἐν ὑπαίθρῳ προσβολῆς v. 19. Bene describitur in v. 20-24 praeparatio ad pugnam ex utraque parte, ex parte hostium v. 20, ex parte Machabaei v. 21 seq. Iam omnes exspectabant fore, ut de rebus decerneretur, τὴν ἐσομένην κρίσιν, iam hostes sese congregaverant et acies erat instructa et elephanti in loco opportuno collocati erant et equites in utraque ala exercitus dispositi v. 20; quid iam Machabaeus ad talem aspectum? cum tantam videret adesse multitudinem, et varium armorum apparatum, et bestiarum ferocitatem, manibus in coelum extensis invocavit prodigia facientem Dominum, bene sciens, successum non esse positum in armis ὅτι οὐκ ἔστι δι' ὅπλων scil. victoriam non haberi per arma, verum Deum attribuere victoriam dignis, prout ipse iudicaverit v. 21. Et Deum deprecatus est qui olim misit angelum interficientem in exercitu Sennacherib 185 millia (cf. 8,19. 1 Mach. 7,41; 4 Reg. 19,35. Is. 37,36. Eccli. 48,24), ut etiam nunc mitteret angelum ante nos εἰς θεός qui hostibus terrorem ac metum incuteret; ἀνεῖλεν (A, 19. 44. 52; S) vulg ἀνεῖλες, uti vulg. magnitudine brachii tui (ita iungit S quoque cum graeco) prosternantur qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum v. 24. Deo itaque iterato proponitur rem ipsius Dei agi; hostes nempe blasphemi sunt, Iudaei natio Deo sacra,

Deo consecrata, quam ipse sibi elegerit in peculium (Ex. 19,5).

Milites Nicanoris progrediebantur ad pugnandum inter sonitum tubarum et carminum bellicorum. Milites autem Iudae cum invocatione et precibus congrediebantur cum hostibus. Et dum manibus quidem pugnabant, cordibus autem ad Deum supplicationes dirigebant, prosternebant, non minus quam triginta quinque millia, evidenti auxilio (ἐπιφανείᾳ) Dei magnopere delectati v. 27; ἐπιφάνεια cf. 12,22; 14,15. Eo negotio peracto, γενόμενοι ἀπὸ τῆς χρείας, cum recessissent a pugna, γίγνεσθαι ἀπὸ cf. 10,27, et cum gaudio redirent, adverterunt Nicanorem prostratum cum plena armatura, iacentem scil. perfecte armatum. Tum extollebatur magnus clamor et strepitus, prae admiratione, gaudio et gratiarum actione, quod impius ille e vita excessisset, ταραχή strepitus, tumultus, quia omnes avide accedere tentabant ad videndum hostem prostratum. Deo autem voce patria debitas laudes persolvebant. Iudas autem caput Nicanoris abscindi et manum cum brachio in urbem portari iussit. Victoria tam praeclara reportata, ad quam Iudas exhortationibus et precibus et fortitudine pugnandi milites efficaciter animaverat, laudes eius celebrare auctor opportunum duxit v. 30; praedicat eum, quia erat omni ex parte corpore et animo propugnator pro civibus, qui itaque omni modo sese impendens, bona sua et studia commodis civium consecrans pro eorum felicitate labores, contentiones, pugnas subire nunquam detrectaverit; insuper benevolentiam quam a iuventute habebat, in suos contribules fideliter servavit etiam in aetate provecta; erat constans in amore civium, quae constantia commendatur diuturnitate temporis.

In ipsa urbe convocavit populum, sacerdotes iussit stare ante altare, accersiit quoque eos qui in arce erant; hisce omnibus ostendit caput impuri (μιαροῦ) et manum conviciantis (δυςφήμου), quam contra sanctum templum cum magna insolentia gloriabundus et minabundus extenderat 14,32. 33; linguam quoque eius exscindi iussit et per partes avibus dari, *manum autem dementis contra templum suspendi* v. 33, similiter S; τὰ δὲ ἐπίχειρα τῆς ἀνοίας i. e. merces, poena insaniae, hisce utique significatur manus abscissa, signum poenae illius insaniae; suspendebatur κατέναντι τοῦ ναοῦ e regione templi, in loco ex adverso, non in ipso templo, quod tali suspensione fuisset pollutum. Arx eo tempore nondum erat in potestate Iudaeorum (cf. 1 Mach. 13,51); quare τοὺς ἐκ τῆς ἄκρας praesidiarios arcae auctor distinguit ab iis quos ὁμοεθνεῖς vocat. Caput Nicanoris, προτομήν (A, 23. 44 a), proprie partem anteriorem, vulgo legitur κεφαλήν, religavit in arce, certe in exteriore parte, seu latere, ut in ipsa urbe cerni posset tamquam

evidens omnibus ac manifestum signum opis divinitus collatae v. 35.

Ut autem perennis exstaret eius victoriae grata memoria et recordatio beneficii templi a profanatione custoditi (14,33), communi decreto omnes constituerunt, eum diem nequaquam absque celebritate esse relinquendum. Pro ea sollemnitate assignatus est dies tertius decimus mensis duodecimi, qui apud Syros Adar appellatur (in dialecto aramaica), et qui dies est πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς M. ἡμέρας, sc. dies unus ante diem decimum quartum Adar; cf. Esth. 9,21. 29. 31; 1 Mach. 7,49.

Epilogus auctoris 15, 38-40.

15,38. *Igitur his erga Nicanorem gestis et ex illis temporibus ab Hebraeis civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis.* 39. *Et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi.* 40. *Sicut enim vinum semper bibere aut semper aquam contrarium est, alternis autem uti delectabile, ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.*

15,38. Τῶν οὖν κατὰ Νικάνορα χωρησάντων οὕτω καὶ ἀπ' ἐκείνων τῶν καιρῶν κρατηθείσης τῆς πόλεως ὑπὸ τῶν Ἑβραίων, καὶ αὐτὸς αὐτόθι τὸν λόγον καταπαύσω. 39. Καὶ εἰ μὲν καλῶς καὶ εὐθίκτως τῇ συντάξει, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἤθελον· εἰ δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι. 40. Καθάπερ γὰρ οἶνον κατὰ μόνας πίνειν, ὡςαύτως δὲ καὶ ὕδωρ πάλιν πολέμιον· ὃν δὲ τρόπον οἶνος ὕδατι συγκερασθεὶς ἡδὺς καὶ ἐπιτερπῆ τὴν χάριν ἀποτέλει, οὕτω καὶ τὸ τῆς κατασκευῆς τοῦ λόγου τέρπει τὰς ἀκοὰς τῶν ἐντυγχανόντων τῇ συντάξει. Ἐνταῦθα δὲ ἔσται ἡ τελευτή.

Auctor finem imponere vult narrationi (λόγος cf. Act. 1,1) quia exposuit quomodo res circa Nicanorem successum habuissent (χωρησάντων, cf. 3,40) et quia ab illo tempore urbs ab Hebraeis erat occupata. Periculum destructionis quam inferre volebant Antiochus Epiphanes (9,14) et Nicanor (14,33) subsequentibus temporibus non iam imminebat, quamvis res iudaicae variis calamitatibus vexarentur; ita mox clade et morte Iudae (1 Mach. 9,16-18), insolentia infidelium Iudaeorum et Alcimi impietate (9,23-29. 54) et erectis munitionibus Syrorum (9,50-53). Dein auctor de sua narratione iudicium fert: si quidem narratio facta est καλῶς bene, apte εὐθίκτως ratione habita compositionis, hoc evenit quod ipse volui; si vero facta est leviter et mediocriter, tunc evenit quod ego attingere potui, ἐφικτόν ultra quod ego me non porrigere possum. Magna modestia de sua narratione loquitur. Quid sit praestandum, utique bene cognovit; narratio fieri debet καλῶς, in dictione, in ordine ac descriptione rerum, εὐθίκτως rem quasi acu tangendo, accurate, aptissime. Sed modeste suggerit, se fortasse solum attingere potuisse et expri-

mere genus scribendi leve, mediocre, exile, tenue. Quid vero voluerit et quid scriptori appetendum et exoptandum sit, declarat v. 40 comparatione : vinum meracum bibere, solum aquam bibere, neutrum convenit nec placet; convenientem facere mixtionem utriusque, hoc gratum est; πολέμιον infestum; itaque ingratum, molestum. Eodem modo τὸ τῆς κατασκευῆς τοῦ λόγου genus et modus instruendi et adornandi narrationem delectat aures eorum, qui in compositionem illam incidunt (ἐντυγχάνειν 2,25); scil. ipsae res gestae proponi debent genere dicendi grato, grata quadam narrandi varietate, ita ut legentibus delectatio afferatur. Talis autem delectatio neque habetur in rebus gestis solum per se spectatis, neque in solo ornatu et convenientia verborum, verum habetur in apta mixtione, si res olim gestae narrandi arte quasi iterum vivere, fieri, mentem legentis occupare et perstringere videntur. In vulg indicatur opus esse varietate dicendi et narrandi. Quod alii quandoque explicant : genus dicendi debere institui modo καλῶς, εὐθίκτως, modo εὐτελῶς, μετρίως, certe abest et a mente auctoris et a vi et significatione comparationis. Nam ipse indicat se voluisse scribere καλῶς καὶ εὐθίκτως; hoc ergo semper appetendum esse censet; ex *commistione* aquae et vini apta exoritur potus gratus; verba vero bona, convenientia et verba exilia, tenuia non ita misceri possunt, ut unus sermo aptus concinnus exsistat; neque una pars narrationis esse potest sublimis, altera vilis et abiecta; grata varietas plane alio modo est efficienda.

A. M. D. G.

INDEX

PROLEGOMENA 1

1. De nomine 1
2. De iis quae in libro continentur 2
3. De chronologia 10
4. Conspectus rerum utriusque libri 12
5. De numero pugnantium 17
6. De documentis allatis 22
7. De indole narrationis 26
8. Quando liber compositus sit 32
9. De textibus versionum 33
10. Subsidia interpretationis 35

INTRODUCTIO 1,1-2,70 38

1. Prooemium de regno Alexandri et successorum 1,1-10 38
2. Antiochus rex spoliat templum 1,11-29 44
3. Apollonius saevit in Iudaeos 1,30-42 53
4. Regis edictum de religione 1,43-56 57
5. Persecutio in fideles 1,57-67 60
6. Mathathias deflet miseriam populi 2,1-14 63
7. Qua occasione coepta sit defensio legis 2,15-26 67
8. Initium dimicationis pro lege 2,27-48 70
9. Mathathias moritur 2,49-70 75

PARS PRIMA : *Res a Iuda gestae* 3,1-9,22 80

1. Celebratur laus Iudae 3,1-9 80
2. Iudas devicit Apollonium et Seronem 3,10-26 82
3. Antiochus Lysiae mandat de Iudaeis 3,27-37 85
4. Bellum utrimque paratur 3,38-60 88
5. Iudas partem exercitus syri fugat 4,1-15 94
6. Facta est salus magna 4,16-25 97
7. Clades Lysiae inflicta 4,26-35 99
8. Templum emundatur et instruitur 4,36-51 101
9. Dedicatio templi 4,52-61 104
10. Vincuntur Edomitae, Beanitae, Ammonitae 5,1-8 107
11. Inimici Iudaeorum in Galaad et Galilaea 5,9-23 109

12. Expeditio in Galaad 5,24-36 112
13. Proelium ad Raphon 5,37-44 116
14. Reducuntur Israelitae in Iudaeam 5,45-54 117
15. Quibus adsit Dei benedictio 5,55-68 119
16. De obitu Antiochi regis 6,1-16 122
17. Impii Iudaei opem regis efflagitant 6,17-30 126
18. Pugna ad Bethzacharam 6,31-47 129
19. Oppugnatio montis templi 6,48-54 134
20. Perfidia regis 6,55-63 136
21. Machinationes Alcimi 7,1-22 138
22. Contra Iudam mittitur Nicanor 7,23-32 142
23. Insolentia Nicanoris et mors 7,33-50 144
24. Quid Iudas de Romanis audierit 8,1-16 148
25. Foedus initur cum Romanis 8,17-32 154
26. Cadit Iudas in pugna 9,1-22 157

PARS ALTERA : *Res a Ionatha gestae* 9,23-12,54 165

1. Ionathas eligitur dux 9,23-31 165
2. Facinus filiorum Iambri vindicatur 9,32-42 167
3. Quae Bacchides contra Iudaeos egerit 9,43-57 169
4. Apostatae bellum accendunt 9,58-73 173
5. Demetrius et Alexander expetunt amicitiam Ionathae 10,1-21 176
6. Quae Demetrius promiserit 10,22-45 180
7. Dominatio Alexandri firmatur 10,46-58 187
8. Ionathas honoratur 10,59-66 189
9. Ionathas feliciter pugnat contra Apollonium 10,67-89 191
10. Alexander regno privatur; restituitur Demetrius 11,1-19 195
11. Quae Demetrius Iudaeis concesserit 11,20-37 200
12. Demetrius a Iudaeis protegitur 11,38-53 204
13. Ionathas ab Antiocho honoratus feliciter pugnat 11,54-74 207
14. Legatio ad Romanos et ad Spartiatas 12,1-18 212
15. Exemplar epistolae ad Oniam missae 12,19-23 215
16. Ionathas pugnat, munit urbem 12,24-38 217
17. Perfidia Tryphonis, capitur Ionathas 12,39-54 220

PARS TERTIA : *Res a Simone gestae* 13,1-16,24 224

1. Simon eligitur dux 13,1-11 224
2. Perfidia Tryphonis occiditur Ionathas 13,12-24 225
3. Monumentum erigitur in Modin 13,25-30 227
4. Simon partes Demetrii eligit 13,31-40 229
5. Simon occupat Gazaram et arcem in urbe 13,41-54 231
6. Qualis fuerit sub Simone prosperitas 14,1-15 235
7. Renovantur foedera 14,16-24 238
8. Documentum de meritis Machabaeorum 14,25-49 241
9. Antiochus VII regnum occupat 15,1-14 248
10. Quas litteras Romani pro Iudaeis dederint 15,15-24 250
11. Antiochus se exhibet perfidum 15,25-36 253

12. Bellum Cendebaei contra Iudaeos 15,37-16,10. 255
13. Quas insidias struxerit gener Simonis 16,11-24 259

PROLEGOMENA AD ALTERUM LIBRUM 262

1. De argumenti secundi libri Mach. 262
2. De indole narrationis 263
3. Quid auctor narratione spectaverit 270
4. De fide narrationis. 272
5. Quo tempore liber scriptus sit. 275
6. De lingua. 277
7. De textu et versionibus. 278
8. De divisione libri 280

INTRODUCTIO 1,1-2,33 281

1. Epistola prior 1,1-10ª 281
2. Altera Epistola 1,10-2,19. 284
3. Prologus epitomatoris 2,20-33. 301

PARS PRIOR : *Eventus usque ad purificationem templi* 3,1-10,9 307

1. Simonis malitia 3,1-8 307
2. Magna de Heliodori consilio consternatio 3,9-22 310
3. Heliodoro quid acciderit 3,23-40 312
4. Simonis et Iasonis facinora 4,1-17. 316
5. Iason supplantatur a Menelao 4,18-29 320
6. Facinora Menelai et Lysimachi 4,30-50. 325
7. Iason misere interiit 5,1-10. 330
8. Antiochus saevit in urbem 5,11-27 333
9. Crudelis in Iudaeos persecutio 6,1-17 339
10. Martyrium Eleazari 6,18-31. 344
11. Martyrium septem fratrum matrisque 7,1-42 348
12. Bellum paratur 8,1-15 358
13. Clades Nicanori inflicta 8,16-29. 363
14. Dei in hostes vindicta 8,30-36. 368
15. Dei in Antiochum vindicta 9,1-29. 371
16. Cultus templi restituitur 10,1-9 379

PARS ALTERA : *Gesta sub Antiocho Eupatore* 10,10-15,40. 383

1. Bellum contra Idumaeos 10,10-23 383
2. Timotheus vincitur 10,24-38 386
3. Clades Lysiae illata 11,1-12. 389
4. Quattuor documenta pacis 11,13-38 392
5. Ultio hostibus inflicta 12,1-16. 399
6. Pugnatur contra Timotheum et duas urbes 12,17-31 402
7. Gorgias vincitur; expiantur peccata occisorum Iudaeorum 12,32-46 . . 406
8. Menelaus misere perit 13,1-8. 410
9. Tertia expeditio Lysiae 13,9-26 412

10. Alcimus regem ad bellum instigat 14,1-14 41
11. Nicanor prius pacifice agit cum Iuda, dein dolose 14,15-36 42
12. Facinus Raziae 42
13. Iudas suos confortat ad pugnandum 15,1-16. 42
14. Clades et mors Nicanoris 15,17-37. 43
Epilogus auctoris 15,38-40 43

UNIVERSITAS OTTAVIENSIS O. M. I.

La Bibliothèque
Université d'Ottawa
Echéance

The Library
University of Ottawa
Date Due

a39003 001732808b

BS 485 .C62 V1111 1907
KNABENBAUER, JOSEPHO.
COMMENTARIUS IN DUO LI

CE BS 0485
.C62 V001/11 1907
COO KNABENBAUER, COMMENTARIUS
ACC# 1043193

U D' / OF OTTAWA
COLL ROW MODULE SHELF BOX POS C
333 02 12 01 09 11 2